







BODLEIAN
LIBRARY

Reverendiss. DD. BEDA O.S.Bened. Abbas Welsofontan9, Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præses.



HISTORIA MONASTERII WESSOFONTANI ILLUSTRANS HISTORIAM BAVARICAM UNIVERSALEM & PARTICULAREM DEPROMPTA


EX APPROBATISSIMIS SCRIPTORIBUS RERUM GERMANICARUM, & MAXIME BAVARICARUM,

AUTHORE
P. COELESTINO LEUTTNER
Benedictino Wessofontano Exempt.
Congregationis Benedictino-Bavaricæ Secretario
Protonotario Apostolico publico in curia Romana immatriculato.

PERMISSU SUPERIORUM.



Augustæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ,
Sumptibus Fratrum Ignatii & Antonii Wagner, Bibliopolarum
MDCCLIII.



REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI
AC
AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

BEDÆ,

ANTIQUISSIMI, CELEBERRIMI, AC EXEMPTI
MONASTERII
WESSOFONTANI

ABBATI VIGILANTISSIMO,
EXEMPTÆ CONGREGATIONIS
BENEDICTINO-BAVARICÆ SUB TITULO
SS. ANGELORUM CUSTODUM
PRÆSIDI GENERALI,

ALMÆ, AC ARCHI-EPISCOPALIS UNIVERSITATIS
SALISBURGENSIS ASSISTENTI DIGNISSIMO &c. &c.

DOMINO,

AC
PATRI SUO
PLURIMUM GRATIOSO.

Reverendissime, Perillustris ac Amplissime

DOMINE, DOMINE PRÆSUL,

DOMINE, AC PATER PLURIMUM GRATIOSE!



ANnum Jubilæum, à fundatione Monasterii Millesimum, ejusque per tot annos post varias revolutiones & afflictos temporum casus conservationem Divinæ Providentiæ debemus, & sicut contestamur, ita in grati animi monumentum Ejusdem beneficia in compendio per historiam palam facimus, & communicamus. Hanc verò cujus honori inscribamus dedicemúsque, illa ipsa sapientissima rerum humanarum gubernatrix satis luculenter nobis, jam ante nihil aliud cogitantibus, indicare visa est, dum hunc ipsum annum Jubilæum altero & novo Jubilæo magis gloriosum reddere voluit, Monasterio nempe sponsæ Tuæ à primordiis millesimum, Tibi verò, *Reverendissime ac Amplissime Domine, Domine Præsul*, ejusdem sponso ab ingressu Religionis quinquagesimum summo omnium nostrûm cum solatio clementissimè indulgendo. Illam proin adoramus, & omnia in acceptis referimus: Tibi gratulamur, ac prospera omnia auspicamur, Divinæ denique Directricis annutum eò promptiores sequimur, quò pluribus aliis titulis obstrictos nos esse

invenimus, & profitemur, cur inſcriptionem hiſtoriæ noſtræ Weſſofontanæ Tibi ſacram deberi judicemus. Hiſtoriam ſcribimus Patrum noſtrorum, Anteceſſorum Tuorum, cui jam majori jure inſcribamus, quam Patri noſtro *Amandiſſimo*? Hiſtoriam Monaſterii noſtri publicæ luci commendamus, à decem ſæculis venerabili memoriâ digniſſimam, cui conſecrabimus alii, quàm Seniori noſtro, ab experientia, à ſcientia, à pietate & prudentia nominatiſſimo, dicam verbô, *BEDAE Venerabili?* Hiſtoriam adornamus, quæ ob infinita Tua merita in immenſum excreſceret, ſi omnia in Tui, qui etiam in nos redundat, honoris præconia juris publici faceremus; faceremus autem, niſi modeſtiam Tuam offenſam iri meritò timeremus. Nihilominus fiant iſta palam: neque enim grata filiorum memoria turpi oblivione ſepeliri patietur, ſed Poſteris publica luce commendabit ſuo tempore: interim pauca quædam, eáque palam nota ut hìc recenſeamus, neque Te contrarium, nos verò devinctos eſſe, exiſtimamus; quæ ipſa ſingularia virtutum Tuarum decora nobis tunc confratribus, nunc filiis Tuis incitamento fuerunt, ut omnes & ſinguli unanimi, nullius, niſi Tui ipſius deſideratô ſuffragiô, ad Præſulis & Abbatis dignitatem vocaremus Te (licèt invitum, & reluctantem) Te inquimus, *Venerabilis BEDA*! Neque credat quiſquam hæc verba inopinatò nobis excidiſſe; nam præſaga Superiorum voluntate Tibi nomen hoc impoſitum eſſe nullatenus dubitamus, cùm tanti nominis menſuram Te impleviſſe, & virtutibus ac meritis, ſi non parem, certè æmulum eſſe videamus. Liceat hìc aliqua ex vita S. Patroni Tui allegare, ut æquiori lance Tua cum ipſius meritis ponderemus. De hoc legimus, eum ſeptennem à parentibus ſub magiſterio Benedicti Abbatis Cœnobii SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Anglia nutriendum, traditum fuiſſe, tantóſque ibi profectus feciſſe, ut Doctor Clariſſimus effulſerit, nihilque pluris habuerit, quàm divinas legere, & exponere ſcripturas, nunquam otiò torpuerit, nunquam à ſtudio ceſſaverit, ſemper legerit, ſemper ſcripſerit, ſemper docuerit, ſemper oraverit. Prototypon ſpectavimus, ectypon inſpiciamus. Cùm teneris jam ab annis pia Te parentum cura D. Benedicti filiis in celeberrimo illo piarum & liberalium artium emporio Salisburgenſi committeret, ita illorum ſpei ſatisfeciſti, & exſpectationem ſuperâſti,

sti, ut Musas omnes humaniores, & Stagiritem ipsum in Tui admirationem rapueris, Wessofontum verò in Tui susceptionem facillimum & promptissimum habueris. Tyrocinio dein longè ultra tempus (Bavaria tunc belli tumultibûs obnoxia, eámque ob causam plurimîs, si non omnibus à Monasterio profugîs) extenso probatus satis, ac spiritu Benedictino imbutus, Deo postea per solemnia vota dicatus, denuò altioribus Te studiis in laudata Universitate informari jussus es; quod ea rursus fidelitate, ac solertia præstitisti, ut Doctor Clarissimus reversus quidem, sed unum, alterúmve statim post annum sacra Te Themis iterum iterúmque evocaverit, sacrísque Canonibus prælegendis in communi studio almæ & exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ Professorem præfecerit, ex cujus eruditissima & solida doctrina plurimi posthac Professores eximii, & Infulata capita prodierunt, ejusmodi doctrinam & natos ex hac honores Tibi in acceptis referentes. Quanta hoc in munere lectione, quanto studio, quanto labore desudaveris, testes sunt omnes, quotquot instructioni Tuæ subjecti erant, admirati, quomodo ea omnia tam feliciter peragere potueris, ubi toto pene tempore S. Meditationibus, Lectionibus, Orationi aliísque piis, ac religiosis exercitationibus occupatissimum Te fuisse oculîs spectarunt suîs, dubii, an *pietas* doctrinæ, aut doctrina pietati prævaleat. Utrumque in Te respexere semper, & agnovere & Superiores, & Confratres Tui, cùm illi Te laboriosissimis officiis præfectum in rerum gerundarum negotiis periculosissimis usi sunt, hi verò tribûs interpolatim vicibus ad fasces Prioratûs vocaverunt. Nunquam dimittendum, nisi *Reverendissimorum Præsidis*, & Assistentium desiderium, dixissem pene, violentia, eripuisset, & S. denuò Themis, annis jam profectum ad juris Canonici Cathedram vocâsset, & Episcopalis Lycei Frisingensis Regentem vindicâsset. Quanta hæc iterum munera sedulitate gesseris, nobis tacentibus loquuntur discipuli, Tua institutione ad gradus altiores promoti, fatentur pauperes Tuis consiliis adjuti, loquuntur viduæ à Te defensæ, testantur ædificii forma renovata, supellex aucta, ornatus in Oratorio B. V. sine labe Conceptæ (hæc dum audis, legisve, non poteris non solatio perfundi maximo) per Te cœptus, & maxima ex parte perfectus. Hæc autem omnia non ita occultè, &

tacitè

tacitè tractari potuerunt, ut non eorum fama in viciniam primùm, dein ad ulteriores fines perveniret. Quare factum est, ut Salisburgum vocatus, Themidi, quam ibì matrem & nutricem habuisti, gratitudinis tesseram solvere, atque Doctoratûs Laureâ ornatûs (pridem ea Tibi debebatur) doctrinæ Tuæ Canonicæ fructus publicè exponere & communicare jussus fueris. Exposuisti, communicasti & ea quidem approbatione, ut ob doctrinæ soliditatem, pietatis eminentiam, prudentiæ præstantiam jam magnificos Tibi honores pararet, & destinaret Universitas celeberrima, nisi Confratrum Tuorum amor & unanimis consensûs Tua merita Pedo & Infula coronasset, Téque suum Patrem & Præsulem salutâsset, reluctante quidem, sed non prævalente Tua modestia & humilitate. Hic enimverò jam meritorum Tuorum metam attigisse, ad laborum finem pervenisse, quietis denique sedem invenisse quisque existimabit: verùm hìc primùm majora negotia tum publica, tum privata, & labores partim impositi, partim ultrò suscepti totum sibi vendicârunt, propriùmque voluerunt Te, *BEDA Venerabilis!* Quæ omnia tamen ita feliciter superâsti, ut ab oratione, à lectione, à scriptione, à vigiliis, à zelo Divino, à choro non solùm non remittere visus sis, sed etiam Tuo exemplo ad laudes Divinas præiveris, Domum Dei pretiosa supellectile exornaris, integras pene noctes insomnes duxeris, jura Monasterii defenderis, & Doctor Clarissimus pro Tuo in Musas amore filios Tuos partim ipse instruxeris, partim ad alia, Salisburgensia præprimis, emporia miseris, severioribûs artibûs excolendos, & nonnisi cum publica approbatione revocandos. Quod hic singulari, & ad posteros transmittenda memoria dignum censemus, est, quòd ea omnia præstiteris etiam iniquissimis temporibus, & infestissimis belli tumultibus. Magna profectò hæc nobis, quæ ab initio Tui Regiminis præstitisti, sed parva atque humilia Tibi fuere, &, quæ aliis laboriosa videbantur, otii literarii & sanctæ quietis locò Tu habuisti. Hoc ubi respexêre Musæ, invidentes Tibi hoc animi solatium, denuo ad sui culturam Te evocarunt, dum biennio ab electione vix elapso eædem Musæ Benedictinæ Frisingenses primùm, dein Salisburgenses ad Te, *Reverendissime Pater*, confugêre, in Tuo præsidio spem suam collocantes, suique augmentum

tum

tum & ornamentum à Te requirentes. Harum exemplo animati Reverendissimi Domini Domini Præsules, sub gloriosis Angelicis auspiciis in Bavaria pugnantes, almæ & exemptæ Congregationis Præsidium Tibi obtulerunt, imposuerunt, & reluctanti pene obtruserunt. In quorum seu honorum seu onerum delatione omnium admirationem longissimè superat id, quòd tria illa Præsidia una simul & semel sustinueris, exemplo ubique inaudito, prius Consul creatus, quam senator electus, ubique Præses proclamatus, priusquam aut Visitatoris aut Assistentis munere sis unquam defunctus. Incredibile aliis videri poterit, quod nobis spectantibus manifestum est, quantos nempe labores pro Musis excolendis, & conservanda S. Religionis disciplina impenderis? Quot itinera in rebus etiam arduis, parte anni aspera, tempestate aërisque temperie varia peregeris? quos sumptus feceris? quot tædia (quæ in tanta rerum diversitate ejusmodi officia comitari, aut sequi solent) devoraveris? Quot dies, noctésque in rebus diversis perficiendis indefesso studio consumpseris? quorum aliqua quidem nobis perspicua sunt, quamvis plurima incognita. Mirari interim liceat, qua ratione, & quibus viribus unus tot, & tantis negotiis inter varios rerum occurrentium casus etiam septuagenario proximus sufeceris? Suffecisti tamen, perfecisti, & satisfecisti, & ita satisfecisti, ut à Reverendissimo Congregationis Benedictino - Bavaricæ consessu jam bis in Præsidio confirmatus, &, ut veriùs dicam, omnium penè votis postulatus sis. Et licet hæc foris perageres, tantáque, aliena etiam negotia expedires, totus tamen domesticis Monasterii Tibi commissi occupatus esse videbaris, cùm disciplinæ regulari toto animo Te impenderes, cùm rei œconomicæ mira solertia, & dexteritate invigilares, cùm jura Monasterii singulari prudentia vindicares, cùm ædificii molem partim augeres, partim exornares, cùm Ecclesiis incorporatis pia liberalitate benefaceres, cùm Ecclesiam Matricem auro, argento, & pretiosis ornamentis condecorares *Beda* verè *Venerabilis.*

De sanctissimo nominis Tui Patrono ulterius scriptores antiqui posterorum memoriæ reliquerunt, eum à Sergio summo in terris Christi Vicario ex Monasterio Romam vocatum esse, eò quòd ejus

praesentia in arduis caussis fidei Ecclesiae Dei valdè utilis esset & necessaria. Hoc equidem de Te, *Reverendissime Pater*, dicere non possumus; diximus autem, & confirmamus, pluribus Te vicibus ex Asceterio non solùm evocatum, sed rebus insuper gravissimis applicatum, controversias plures, Tuô arbitrio dirimendas, à viris, dignitate magna fulgentibus, commissas, à Magnatibus & Principibus Tuum Judicium fuisse expetitum. In quibus gerendis Tua prudèntia ita enituit, ut *Reverendissimi*, *Serenissimi*, ac respectivè *Celsissimi Principes* & *Episcopi Frisingensis* ac *Salisburgensis* Te dignissimum iudicaverint, quem in Consilium adsciscerent, suúmque Consiliarium denominarent; Summa verò sedes negotia satis ardua Tibi committeret. Tacemus, partim, ne modestiæ Tuæ ruborem offundamus, partim, ne aliorum invidiam excitemus, tacemus plures alios eosque rem publicam concernentes honores & officia, quos Tibi ultrò oblatos esse novimus, Tua tamen humilitate, etiam cum offerentium offensa, declinâsti, recusâsti. Verùm aliqua, quo in Tui perennem nominis honorem cedunt, & palam nota sunt, tacere debita gratitudo non permittit. Annus supra millesimum septingentesimum agebatur quadragesimus octavus, cum Monasteria plura, & inter ista etiam Wessofontanum humillima veneratione suscepêre Hospitem Eminentissimum, Purpuratum Cardinalem Angelum Mariam Quirinum, magnum illud Ecclesiæ ornamentum, & scientiarum ac omnigenæ eruditionis lumen nominatissimum, cujus animum Tuo eruditissimo eloquio suavissima comitate, sapientissimis sermonibus ita Tibi devinxisti, ut ex eo tempore non solum Te gratiosissima manu sua, & literarum commercio frequentissimè honoraret, sed & singularî munificentiâ suum erga Te affectum contestaretur. Testis est magnifica illa ab artificis manu æquè, ac à purissimi argenti pretio Lampas conspicua, quam ad aram Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ suspendi voluit, Sodalitatis sub Ejusdem titulo erectæ Protector potentissimus. Testis est illa S. Benedicti statua ex argento speciosa, ex S. Patris verò ac Patriarchæ nostri Reliquiis plurimi æstimanda, quam in Ejusdem altari collocari præcepit Patronus Clementissimus. Testis est liberalissima illa pluribus litteris confirmata promissio, qua proximè S. Bendicto

fratri

fratri S. Sororem Scholasticam id est ejus statuam ex eodem ære confectam jungere, & ad nos dirigere constituit Benefactor Eminentissimus, cui Deus & annos & vires augeat, atque conservet. Sed neque illud silentio prætereundum esse existimavimus, quòd Te Supremus Ecclesiæ Romanæ Antistes Benedictus XIV. sæpiùs jam magnificis epistolis, seu Brevibus Apostolicis honorârit, gratiámque Apostolicam Tibi eligendi, & exorandi, copiam fecerit, indulserit. SS. Antistitum favoribus nec latum unguem cedere voluisse videtur Summorum Principum Clementia, dum B. Virgini sine labe conceptæ liberalitate Regia pretiosissimas, auro & argento turgentes vestes obtulit Poloniæ Princeps Regia Potentissima: dum alia ornamenta & subsidia pro exornanda Altaris ejusdem Virginis honoribus dicati, fabrica munificentia incredibili subministravit Domus Bavarica Serenissima: dum nuperrimè primùm, præter alia jam priùs, & sæpiùs oblata, ornatum integrum à pretio incomparabilem, à phrygia & Ipsius Augustissimæ Imperatricis arte, ac manu Minervæ æmula, inæstimabilem sacravit liberalitas Regia, Clementissima, quibus omnibus Deus retribuat, & Domui præcipuè Bavaricæ, tot sæculis longa Principum serie conspicuæ, benedicat, atque successione mascula perennem faciat.

Illud denique & Tibi honori, & nobis solatio ducendum esse arbitramur, quòd Tu eosdem ex avita stirpe testes habeas anni Tui Iubilæi ab ingressu Religionis quinquagesimi, quos nos à fundatione Iubilæi millenarii: gratulamur enim nobis, eorum posse Nepotes, quorum Proavos in erectione Monasterii fundatores & Dotatores colimus, nunc in millenaria ejusdem conservatione venerari in Illustrissima familia quidem Törringana Viros Excellentissimos, Patronos Gratiosissimos, et in Commissario, à Serenissimo Electore clementissimè deputato, alterum Thassilonem, Ejusque Germen Serenissimum Maximilianum Josephum, si non Fundatorem, Protectorem certè Potentissimum, perpetua serie, ùt precamur, etiam ad Posteros transferendum.

Nunc autem rursus ad Te, *Beda Venerabilis!* Pater Reverendissime! nostra se vertit oratio: Et si fortasse Tuæ modestiæ, laudum omnium impatienti, hæc nimia videantur, illud Tibi dictum puta:

 sic

ſic honorabitur quem Rex (Regum) honorari voluerit: nos verò hisce opera Dei manifeſtari honorificum eſſe duximus, confidentes & precantes, ut illud Prophetæ Regii, ſicut in Patrono Tui nominis adimpletum eſſe ſcimus, ita in Te adimpleatur: longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Utrumque, ùt diximus, precamur. Et hoc poſtremum quidem unicam votorum Tuorum metam eſſe, Tui aſſidui labores, perpetuæ vigiliæ, conſtans lectio, ferventiſſimus Dei zelus, irremiſſibilis oratio ſumma tum noſtrûm, tum exterorum cum ædificatione teſtati ſunt. Sed neque huic Tuo pio voto invidemus, minùs improbamus, quin omnes & ſinguli toto animo immarceſcibilem gloriam, meritis Tuis debitam apprecamur & auguramur, ſed nonniſi poſt annos plurimos, Patrono Tuo non coævos ſolùm, verùm etiam ut Jubilæo Profeſſionis accedat Jubilæum Primitiarum, & Dignitatis Abbatialis vovemus, & ſi fortè annos hosce diuturnos nimis ac deſiderio Tuo, quo ad patriam cæleſtem anhelas, longaevam moram poſituros arbitreris, cogita Te populo eſſe neceſſarium, cogita Monaſterii Tui, & reipublicæ literariæ, ac Monaſticæ emolumentum id expoſcere, cogita Tibi non auferri ſed prorogari & prorogando augeri gloriam, tribue hoc filiorum Tuorum votis ac deſideriis. Sed tribueres fortaſſe etiam, qui labores nullos recuſas, ſed id in Tua poteſtate non eſſe contendes: tribue tamen, & concede æquo animo, ut nobis liceat Superis pro Tua diuturna incolumitate, pro conſtanti valetudine, pro ſanitatis ac virium Tuarum integritate, pro feliciſſimo Regiminis Tui ſucceſſu ſupplicare, quod omnes & ſinguli unitîs & continuîs precibûs fideliter data fide præſtabimus, neque, meritis præcipuè Tuis accedentibus, Eosdem difficiles ſperamus, quibus ſupplices & grati & Tibi ſemper erimus

Obſtrictiſsimi filii

P. Bonifacius Wagner
p. t. Prior ac Conventus.

APPROBATIO CENSORIS.

Historiam hanc Monasterii Wessofontani publica ac gloriosa luce dignissimam censeo. August. Vind. 14. Sept. 1753.

FRANCISCUS JOSEPHUS de HANDL, SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniss. Princ. & Episc. Aug. Consil. Eccles. Major. Pœn. & Libr. Censor, nec non insig. Eccl. ad S. Maur. Canon. & Paroch. Mppr.

Imprimatur. Ex Vicariatu Augustano.
Die 18. Septembris 1753.

NICOLAUS ANTONIUS SEIZ, J. U. Doctor, SS^{mi} D^{ni} Nostri Prælatus Domest. Ecclesiæ Cathedral. Augustanæ Canon. Capit. Ser. & Rev. Principis Episc. Augustani Vicarius in Spiritual. Generalis.



Præfatio ad Lectorem.

1. BEnedicite Fontes Domino, cantamus meritò cum tribus Hebræis pueris, quos camino ignis ardentis immisit Nabuchodonosor Rex, & incolumes egressos miratus est, verique DEI potentiam agnovit. Benedicant igitur Fontes Wessonis Domino, Regi sæculorum immortali, qui Monasterium nostrum, olim tenuissimum, & acerbo Fundatoris fato pœne prostratum, in mille jam annos contra atrocissima tempora, & varias vices in hodiernum diem conservavit incolume, dum interim maximæ & opulentissimæ civitates, imò integra regna, ab antiqua gloria deciderunt & collapsa sunt, quacumque opum magnitudine & armorum potentiâ valuissent. Planè brachium DEI fuit, quo tenue inermium agmen, inter tot armatorum ruinas, evasit incolume, & in hunc diem perseverat, non alio certè, quàm divinæ providentiæ & bonitatis præsidio. Rectè igitur non quasi nostrâ potentiâ vel prudentia hucusque steterimus, gloriamur, sed Raphaelis Archangeli monito humiliter paremus: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum quidem est: opera autem DEI revelare & confiteri honorificum est.* Tobiæ 12. v. 6. & 7.

2. Non

2. Non igitur rectè solummodo nos facturos, sed & honorificè, arbitramur, dum stupenda divinæ clementiæ prodigia in conservando Monasterio nostro palam confiteri contendimus, & notam facere potentiam ejus, qui tot inter fatorum vicissitudines eruit servos suos, & hucusque incolumes conservavit. Excitat nos publicum inter litteratos silentium de Monasterio nostro, dum aliorum cœnobiorum fata tum propriis monachorum laboribus, tum exterorum Authorum solertiâ in lucem sunt edita, de nostro ferè nihil. Attigêre pauca Brunnerus, Adelzreitterus, Raderus, Ertelius, Hundius, Khammus, Pezius: verùm hæc omnia quid sunt ad historiam mille annorum, cùm duas intra horas facillimè legi possint ea, quæ omnes illi Authores de Monasterio nostro scripserunt?

3. Bonum officium monasterio præstitit unus, & ferè solus P. Stephanus Leopolder, natu Tegernseensis, professione Wessofontanus, cujus merita folio 388. commemorabimus, dum, ut ibidem narrabitur, plurima Monasterii documenta transscripsit ex veteribus membranis. Hæ aliò pervenerunt, in manus Aventini, Bruschii, & aliorum. Excitet Deus membranarum illarum possessores, ut viris eruditis illas committant cum selectu publicandas, unde plurimum lucis & authoritatis Historiæ, non solius Bavariæ, sed universæ Germaniæ affulgeret. Itaque soli ferè Stephano acquiescimus, exceptis Codicibus duobus Sæculi X. & XI. Christiani, adhuc in membrana superstitibus, quos nobis temporum iniquitas avara & futuri improvida reliquit.

4. Alleviavit nostrum in hac Historia concinnanda laborem insignis bonitas Reverendissimorum Abbatum Thassilonis & Bedæ. Ille mihi novello Sacerdoti, quem prurire in antiquitates eruendas videret, instrumenta archetypa monasterii nostri manu sua ex archivo subministravit: quorum excerpta utinam, tyro adhuc, diligentiùs adversariis meis intulissem! Interim tamen, dum Frisingæ, dum Salisburgi per annos multos versabar, non omisi, quæcunque ad Monasterium nostrum pertinerent, curiosè ex quibuslibet libris, inscriptionibus, epitaphiis, aliisque documentis conquirere, labore planè

planè non gravi, sed jucundissimo. Reversus ad Fontes Wessonis, jam viciniùs diversas hausi notitias, archivum mihi apertum est, Reverendissimus Abbas meus BEDA pretiosissimis coëmptis libris inopiam meam sublevavit, industriam acuit, animum ad complendam Monasterii Historiam excitavit.

5. Sanè utcumque Monasterium nostrum, velut inglorium, hucusque jacuerit, quantum ad exterorum notitiam attinet, imò plures Abbates aliunde accersitos habuerit, Ilsungum ex inferiore Quercu, Lantoldum ex Hirsaugia, Udalricum III. ex Ebersperga, Udalricum VI. & Petrum II. ex Tegernseénsi, Leonardum ex Weihenstephanensi, Joannem ex Andecensi, Henricum ex Schyrensi cœnobio; alii è nostris octo ad fundanda, regenda, administranda monasteria vocati sunt. Mecdinus cum duobus sociis monasterio S. Petri in monte Madronæ initium dedit: Guntherus ab Hermanno Episcopo Monasterio SS. Udalrici & Afræ Augustano impositus fuit: Udalricus de Höhenkirchen post tricennale apud nos regimen ad monasterium Ettalense vocatus est: Urbanus Rottenstein à nostro ad Faucense S. Magni cœnobium gubernandum transiit: Georgius Zimmermann Abbas, Casparus Kurbel Administrator, Monasterio Andecensi sunt dati: Joachimus Puechauer ab Archiepiscopo Salisburgensi Monasterio ibidem S. Petri constitutus administrator, mox Abbas, & Universitatis promotor: nostra ætate Lambertus ad Montem S. Georgii in Tyroli, primùm SS. Theologiæ & SS. Canonum Professor, altero anno Abbas postulatus est, singulari œconomiæ studio, novi ac splendidissimi Templi ædificio, & eruditis in lucem editis libris celeber. Verùm ex his omnibus sit & omnibus nobis tribuatur soli DEO gloria.

6. Subditæ nobis Hofmarchiæ Wessofontanæ honorem suum subtrahere non possumus, quatuor ex eadem egregios Abbates nacti; & primum quidem Wernherum de Greutt, alterum Paulum Ranck, tertium Gregorium Jacob, quartum Georgium Ybelhör, quorum omnium encomia meritorum petenti Historiæ hujus Index faciet satis. Sed nec tacere possumus vicinarum civitatum, qua-

rum

rum ecclesiæ secundùm sanctiorem curam ad monasterium nostrum pertinent, præclara encomia per viros clarissimos, natos ipsarum cives, comparata. Sola Ordinis Benedictini lumina ex iis orta recensere sufficiet. Landsperga, quæ prior in jus nostrum venit, Monasterio Andecensi Cœlestinum Probst, Schyrensi Marianum Schwab, Lunælacensi Simonem Rebiser, Nideraltachensi Adalbertum, Ettalensi Placidum, Ottoburano Petrum, egregios Abbates genuit. Weilhemium pridem Monasterio nostro Norbertum ex Dynastis suis natum, & Benedictum Jæger, Andecensi Maurum Rambeck, Ettalensi Romualdum dedit antistites. Si vicinorum quoque gloria non est negligenda, Schongavii natos Cremifanense Austriæ celeberrimum monasterium nominatissimos Abbates Placidum Puechauer, & Erenbertum Schrevogl: oppidum Diessense S. Monti Andecensi Maurum Friesenegger, & Georgium Zimmerman, Fontibus nostris Benedictum Schwarz Abbates dedit. Erlinga, vicus ad pedem montis Andecensis situs, insignes Wessofontano nostro cœnobio præsules genuit Bernardum Gering, & Thassilonem Pölzl. Bernrieda ad lacum Vermium iisdem nostris Fontibus Abbates produxit Wolfgangum Dreitterer & Virgilium Dallmayr.

7. Verùm hæc hactenus dicta sunto. Qualemcumque meam industriam si litteratis non placituram, venia tamen donandam spero, ab iis maximè, qui vel Diœceses suas, vel monasteria, vel stirpes illustratas cupiunt. Ubique, fateor, ùt Lector facilè colliget, honorem DEI, cultum Deiparæ, Sanctorum gloriam, patriæ decus, mihi propositum fuisse in metam, & magis quidem, quàm monasterii nostri splendorem. Præcipuè verò rem gratam me facturum Bollandiani Operis prosecutoribus, à SS. Patre Nostro Benedicto XIV. non solùm laudatis & æstimatis, sed etiam adjutis. His ego per hanc opellam me subministrâsse arbitror qualecunque subsidium, sicut & Bavariæ sanctæ, & Atlantis Mariani, & Vindeliciæ sacræ, Historiæ quoque Germanicæ supplementum. Omnia porrò Summæ sedis judicio subjecta volo, quæ scripsi, sicut Protestatio mea docebit statim subnectenda.

PRO-

PROTESTATIO
AUCTORIS.

IN hac Monasterii nostri Wessofontani Historia multa exposui de diversis personis illustribus, tum martyrio tum sanctitatis famâ celebratis, earúmque translationibus à sepulchro primo ad aliud institutis: item de miraculis, ac beneficiis eorum intercessione obtentis: demum nonnullis titulum sanctitatis ante plusquam ducentos annos illis tributum, adjunxi. Hæc tamen accipe, prudens lector, ut non tanquam ab Apostolica Sede examinata atque approbata, sed tanquam à suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter quàm humanam historiam. Quapropter Apostolicum sacræ Congregationis S. R. & universalis inquisitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, juxta declarationem ejusdem Decreti à SS. D. N. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam à me scias inviolatè & integerrimè observari, nec me velle cultum, aut venerationem aliquam per hanc meam Historiam cuiquam arrogare, seu augere inceptam, vel ullum gradum facere ad futuram aliquando cujusquam Beatificationem vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu relinquo, in quo essent, seclusa hac mea lucubratione, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc profiteor, sicut filium decet Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimum, & ejusdem authoritate juratum Notarium Publicum, qui in omni mea scriptione & actione ab eadem dirigi cupio, & emendari.



ELEN-

ELENCHUS

Capitum totius Historiæ Monasterii Wessofontani.

tone


Sæcu-

§. VI.

§. IV

§. II

SÆC.



SÆCULI PRIMI
WESSOFONTANI

CAPUT PRIMUM
De Monasterii Fundatore & Fundatione.



QUandoquidem Scriptores complures & graves aliam, quàm nos, de Monasterii Wessofontani fundatione sententiam tenent: nobis verò â religiosissimo & fortissimo principe Thassilone, quem semper Fundatorem grati agnovimus, hodiéque eidem solemniter per annos singulos parentamus, recedere tam iniquum, quàm difficile videtur, donec validissimis argumentis aliunde producendis de contrario convincamur; opus est, ut quibus rationibus firmati Thassiloni adhæreamus, ingenuè profiteamur. Id ut ordine fiat, primùm Thassilonis genus, nativitatem, acta & fata, virtutes & exitum referemus: deinde, quibus argumentis eum Fundatorem veneremur, docebimus: tertiò antiqui de funda-

fundatione hac documenti authoritatem & veritatem elucidabimus: denique Ecclesias & Monasteria, quibus Thassilo tum initia tum incrementa dedit, ad perpetuam regiæ munificentiæ memoriam & in gratitudinis nostræ monimentum recensebimus.

§. I.

Genus, Nativitas, Acta & Fata, Virtutes & Exitus Thassilonis II. Bavariæ Ducis.

1. THassilo, nobilissima & antiquissima inter Germanas Agilolfingorum stirpe genitus, patrem habuit Utilonem (a) fortissimum eumdémque religiosissimum Bojorum Ducem; matrem verò Hiltburgam, Caroli Martelli filiam, Pippini Brevis, postea Francorum Regis, sororem (b) quæ & ipsa de Ecclesiis optimè merita, filium Thassilonem (c) ad omnem pietatem erudivit. Nam defuncto Utilone conjuge Cathedrali Salisburgensium Monasterio liberalem se præbuit, atque ad similem munificentiam exemplo suo filium induxit. (d) Quibus iste artibus ab ineunte ætate se imbuit, præter teneram in Superos pietatem, venandi fuêre exercitationes, tanquam bellorum præludia, quæ erat tum propagandorum finium, tum religionis causâ gesturus. Prima Martis rudimenta decimo quarto jam ætatis anno in castris Pippini posuit, cum delecta Bojorum manu primùm ad Ticinensem obsidionem, dein contra Waifarium, turbulentum Aquitaniæ Ducem, itémque contra Saxones in obsequium regis profectus. (e) Iis in expeditionibus, cùm vel præmia meritis suis respondere non cerneret, vel officiorum aliquid fidei suæ debitum desideraret, vel suorum sanguinem in aliena commoda prodigere diutius nollet, valetudinis excusatione usus, in Bavariam rediit. (f) Ea res ægrè Pippinum habuit, qui Thassilonem sororis filium, invadente Bavariam Grifone fratre suo, defenderat, Ducémque constituerat (g): verùm tum quidem ad novas in Aquitania turbas distractus vindicare non poterat. Interea Thassilo uxorem duxit Luitburgam vicini Longobardorum Regis Desiderii filiam, quod conjugium novæ offensæ fomitem præbuit; quippe cùm gravissimæ Francos inter & Longobardos inimicitiæ flagrarent, indéque Dux noster istis æquior quàm illis, videretur. (*) Certè virtutis ac fortitudinis gloria, quam sibi Thassilo eò usque pepererat, non exiguam ex eo labem traxit, quòd Longobardæ uxoris, Desiderium patrem regno à Francis dejectum ægerrimè ferentis instinctu palam se à Francorum partibus abjunxisset. At per

Stur-

Sturmionem Fuldensium Abbatem, quem Carolus Pippini filius ac Thassilonis quondam commilito miserat, conciliata Francos inter & Bojos amicitia est, sed parùm diuturna. (h) Quibus exinde fluctibus involutus fuerit Thassilo, cùm Historici omnes copiosè narrent; ejúsque regni, quod affectare videbatur, exitus Epocham faciat memorabilem, prætereire facilius est, quàm vulnera refricare. (i) Nos maximi Principis non tam bella, quàm in Ecclesiam merita, gratitudinis ergo posterorum memoriæ commendanda suscepimus.

2. Thassilo, quidquid ab armis nactus fuerat quietis, id omne ad Bojariæ suæ ornamentum & emolumentum contulit, Religionis, prudentiæ, munificentiæ, quæ sunt singularia Principis decora, quotidianis pœne ac amplissimis exemplis intentus. Natum sibi Theodonem filium ipse Romam tulit, ab Adriano Pontifice salutaribus aquis lustrandum. (k) S. Valentini corpus, quod Longobardi Majis Tridentum duxerant, ab eorum rege socero suo impetratum, Passavium transtulit. (l) S. Corbiniani exuvias, Majis conditas, authoritate sua Frisingensibus reddidit, & sacris ossibus festivo comitatu pompáque occurrit. (m) Beati item Vivilonis Laureacensis Archiepiscopi reliquias Passavium transportavit, ipsámque civitatem Præsulibus cum fundis & prædiis amplissimis tum ipse donavit, tum à patre donatam confirmavit. (†) Ecclesiarum firmitati & populi legibus consulturus ad Concilium Dingolfingæ celebrandum provinciæ Episcopos & Abbates invitavit, plurimáque sacrorum Antistitum consilio decerni curavit, quæ non ad Religionis solùm splendorem, sed & subditorum disciplinam conducerent. (n) Tristia de cœlo signa cùm terrefacerent orbem, pluviæ caderent venenato liquore corpora in mortem trahentes, flumina sanguineum variis locis colorem inducerent, Episcoporum consiliis obsequens Thassilo, editis per omnem Bojariam præceptis, orationes publicas & jejunia ad placandam Numinis indignationem indixit. (o) Omni superstitioni ac idololatriæ inimicus, Carantanos ab Hunnis gentilibus variè vexatos armis defendit, per S. Virgilium ad veram religionem áddúxit, eosdémque, propriis Ducibus jam Catholicis iterum rebelles, bello domuit, atque, quod præcipuè laudi cedere Thassiloni debuit, ut Regum Francorum fidei se permitterent, illis persuasit. (p) Idem religionis propagandæ studium piissimum Ducem impulit, ut Attoni Scarantiæ Abbati amplam in Tyroli solitudinem, Intica vocatam, ad condendum monasterium donaret, ex quo monachi ad vicinam Sclavorum gentem egressi veræ fidei lumine eam illustrarent. (q)

3. In ipsa porro Bavaria quot ille Deo templa, quot religiosis viris ac fæminis cœnobia condidit, & divinis laudibus resonare fecit! Nemo est omnium, qui Boicæ gentis historiam scripserit vel attigerit, & Thassilonis regiam in Ecclesias liberalitatem tacuerit. Neque nobis ullo modo fas est, tanti principis beneficentiam tacitos præterire: dabimus largum syllabum sacrarum ædium; quibus Thassilo vel primordia, vel magna incrementa dedit. (r) Id solum nunc restat dicere, Thassilonem, adversis demum fatis oppressum, cum filio Theodone monasticam vestem in Laurissensi cœnobio suscepisse, atque in eodem tanto ardore ad Christianæ perfectionis studium se dedisse, ut non fictæ sed heroicæ virtutis documenta ederet luculenta. (s) Inter ea facilè maximum fuit, cùm Dux olim tam potens famáque inclytus, cui optabile putares, post tantam summæ fortunæ mutationem in solitudine delitescere & verecundiæ velificare, generoso mundi suíque contemptu è claustro iterum suo ultro progressus in Concilio Francofurtensi comparuit, veniámque culparum, quas in Pippinum & Carolum Francorum reges commiserat, enixis precibus coram amplissimo consessu postulavit, professus simul, se quoque puro corde remittere, siquid erga se non rectè perpetratum fuisset. Verùm insuper, quidquid jurium aut etiam proprii in ducatu Bojorum haberet, aut habere posset, ultro projecit & abdicavit, filios filiásque solùm (t) Regis misericordiæ commendans. Quæ fortissimi quondam & formidati Ducis demissio Caroli animum effodit, ut Thassiloni vicissim gratuito animo ignosceret, eúmque de benevolentia sua certum esse juberet: cujus perpetuò duraturæ pignus chartam triplicem edidit, unam in palatio, alteram in palatii sacello, tertiam ipsi Thassiloni secum in monasterio asservandam. (u) Thassilo hinc prompto animo ad Laurissense cœnobium rediit, in eóque pœnitentiæ ac pietatis operibus exercitatus & meritis plenus, non sine sanctitatis relicta fama, diem supremam lætus obiit. (w) Epitaphium ejus authores multi, & nostri Codices tale exhibent:

Thassilo Dux primùm, post Rex, Monachus sed ad imum:
Idibus in ternis decesserat iste Decembris. (x)

Ita Principi tam magno ac celebri, quale viventi fatum, tale mortuo epitymbion, infelix nempe & asperum, obtigit. At perseverat hodiernum in diem inextincta adversùs defunctum in terris pietas ac gratitudo, & collectæ ex propagato divino cultu, stabilita auctáque tot templis religione, institutis tot psallentium choris, sparsis undique virtutis officinis,

nis, traductis ad veram fidem integris regionibus, extrema vitæ parte inter pœnitentiæ gemitus transacta pietatis palmæ, quantum humanæ laudis Fortunæ detraxit invidia, tantum Thassiloni æternæ gloriæ pondus afferent in cœlo.

(a) *Idem Odilo, Otilo, Oatilo antiquis scribitur. Successit Hugiberto anno 738. juxta Clar. Meichelbeckium Tom. 1. Hist. Frising. fol. 33. ubi hanc chronologiam ex professo illustrat.* (b) *Pippinus Brevis anno 747. Major Domûs universæ Franciæ, & anno 752. Rex. Eckhart Comment. rerum Franciæ Orient. fol. 479. & 508. Tom. 1.* (c) *natum juxta plerosque Authores anno 742.* (d) *Hansiz Germ. sacra Tom. 2. in Prolegom. c. IX. fol. 25.* (e) *Adlzreitter Parte 1. Annal. Lib. 7. ad ann. 756.* (f) *Idem ibidem num. 38. colum. 2.* (g) *Eckhart cit. Comment. fol. 487.* (*) *id anno 770. anno 28. vitæ Thassilonis factum asserit Raderus Bavariæ S. Volum. I. fol. 84.* (h) *Adlzreitter colum. 74. ad ann. 770.* (i) *Idem l. c. num. 46. 47. 48. colum. 76. 77. 78.* (k) *Rader. cit. Volum. fol. 84.* (l) *Hansiz Germ. S. Tom. 1. fol. 67. d.* (m) *Meichelbeck Hist. Fris. T. 1. fol. 67. c.* (†) *Rad. Bav. S. Vol. I. fol. 85.* (n) *Meichelbeck T. 1. cit. fol. 70.* (o) *Idem ibidem fol. 86. a. ex Dückero ad annum 786.* (p) *Hansiz German. Sac. Tom. 2. fol. 93. & præcedd.* (q) *Meichelbeck l. ante cit. fol. 64. d.* (r) *Inferius hoc capite §. IV.* (s) *inter quæ non numeramus nocturnas ejus vigilias, & ab ipso, per ignitas pelves factâ excæcatione, ductu Angeli peractas orationes, sicut AA. quidam referunt.* (t) *Filios habuit Thassilo,* Guntherum, *qui ab apro occisus Cremifanensi Monasterio originem dedit: deinde* Theodonem, *de quo Historici omnes: denique* Theodebertum *cum Theodone attonsum memorant Annales Nazariani,* seu Laurissenses S. Nazarii, *apud Eckhart Comment. cit. fol. 726. num. 24. Ibidem legitur de Luitburga ex Appendice ad Chronicon Nibelungi,* eam sibi ipsi velamen imposuisse. *De filiabus Thassilonis ex eadem Appendice intelligimus,* unam ex illis *Carolum* transmisisse ad Cala Monasterium, & aliam ad Lauduno Monasterio. (u) *Eckhart cit. Comment f. 755. num. 65.* (w) *Quantum ad sanctitatis famam, lege Raderi Bavariæ S. Vol. I. fol. 85. ubi Wion, aliique AA. citantur. Raderus ipse de se profitetur:* Thassiloni nomen sanctitatis abrogare non possum, imponere non audeo. *Authoribus illis subjungo Vitum Arenbeckium, qui in Chronica Bajoariorum de Thassilone hæc habet:* ad cujus tumbam Dominus per merita famuli sui cunctis auxilium ejus implorantibus quamplurima beneficia usque in præsens impertiri non dedignatur. (x) *Additur huic disticho à pluribus hic pentameter;* conditur hac fovea, quem pie Christe bea: *sed modò primo, modò secundo loco ponitur, & apud cit. Arenbeckium Anecd. T. 3. P. 3. col. 105. etiam metrum corrumpitur. Codices nostri hunc versum ignorant. Brunnerus illud refert P. I. Lib. 5. fol. 184. sed emendatiorem.*

§. II.

Thassilo II. Bojariæ Dux, Monasterii Wessofontani Fundator asseritur contra Aventinum.

4. THassilonem, Utilonis Ducis & Hiltrudis Francæ filium, Monasterii Wessofontani fundatorem fuisse nemo unquam Historicorum negavit; imò omnium veterum vox unanimis affirmavit: donec tandem Aventinus, aliàs Joannes Thurnmayr Abenspergensis Bojus, ac Annalium Bojariæ scriptor surrexit, & priscis omnibus bellum indixit, rotundè asserens, Monasterium nostrum origines iisdem debere Fratribus, qui Benedictoburano Monasterio primordia dedêre. Lectori Hierarchiam Augustanam à V. C. Corbiniano Khamm diligentissimè conscriptam inspicienti (a) facilè asserti fidem extorqueat Authorum agmen, contra antiquissimam traditionem nostram & veterum authoritatem adductorum. Nam allegantur ibidem

1. Monumenta Benedictoburana.
2. Aventinus Lib. 3. fol. 292.
3. Aubertus Miræus in Originibus Benedictinis fol. 175.
4. Bucelinus parte 2. Germaniæ Sacræ fol. 14. verbo *Beuren.*
5. Brunnerus Annalium Boicorum lib. 5. fol. 681.
6. Hundius in Metropoli Salisburgensi Tomo 3. fol. 484.

Quibus ultro à nobis adduntur

7. Gasserus Annalium Augustanorum fol. 52. & seq. (b)
8. Velserus Rerum Boicarum Lib. 5. fol. 152.
9. Adlzreitterus Annalium Boicor. Parte 1. Libro 7. columnâ 168.

Equidem Clarissimus Hierarchiæ Augustanæ Author copiosè exponit argumenta pro Thassilone pugnantia, quæ à Wessofontanis sibi communicata accepit: at nos nec operæ pretium, nec otio abutendum putamus, ut ea hoc loco recoquamus. Antiquitate sola nitimur, cujus testimonia produxisse vel pauca sufficiat, ipsis Aventini natalibus pœnè priora.

5. Vitus Arenbeckius, Presbyter ac Sixti Frisingensis Episcopi Capellanus, Chronicam Bajoariorum, eidem Antistiti suo inscriptam, laboriosè composuit, atque ad annum 1493. perduxit. Is igitur apud Bernar-

dum

dum Pezium Tomo 3. Anecdotorum, parte 3. columnâ 96. capite 33. sub titulo: *De fundatione cœnobii Wesselprunnensis*, sic exorditur: *Circa annos Domini DCCLIII. Tassilo filius Otilonis Ducis Dux Bajorum &c.* ac deinceps ferme ad litteram recitat antiquissimum nostrum documentum, quod Vir Cl. Gevvoldus in Additionibus ad Hundii Tomum 3. Metropolis fol. 485. recitat, & nos paulò inferiùs ex archetypo referemus. Idem deinde Arenbeckius capite 35. sub titulo: *de pluribus fundationibus Thassilonis*, columnâ 99. dicit: *in Choro Monasterii Weltenburg* subscripti versus habentur: *Thassilo Dux Bajoariæ fundator hujus Ecclesiæ sex struxit in Bajoaria Monasteria, Weltenburg, Kremsmünster, Lorich, Wessesprunn, Pfaffenmünster.*

6. Postea verò, imò priore loco, cùm de fundatione Monasterii Benedictoburani agit, eamdémque Lantfrido, Waldramo, & Elilando adstruit, statim subjungit: *deinde & alia tria grandi manu diligentia Monasteria instituunt, primùm Chochalense, in quo venerabilis eorum soror Gailswindis prædii sui parte tradita cum virginali degebat contubernio: secundum Schlechdorfense, & tertium Scafelense.* (c) Nulla uspiam de monasterio Wessofontano fit mentio.

7. Antiquior Arenbeckio fuit Andreas Presbyter, Ordinis S. Augustini Canonicus Regularis ad S. Magnum in suburbio Ratisbonæ Pedepontano, qui *Chronicon* suum *Generale* perduxit ad annum 1422. Illud novissimis typis editum Augustæ Vindelicorum & Græcii à Cl. V. P. Bernardo Pezio Tomo 4. Anecdotorum Parte 3. columnâ 441. de Thassilonis fundationibus, post enarratum felicem ejus obitum, hæc refert: *Hic est Thassilo Dux, qui in servitio divino ferventissimus existens inter cætera Monasteria celebria Pollingen Canonicorum Regularium construxit. Item Wessesprune, sic dictum à quodam suo venatore dicto Wesso, qui fontem ibidem a terra bullientem à se repertum ostendit* &c. Demum annectit versus Weltenburgensis Chori, quos supra numero 5. recitavimus.

8. Superiùs autem de Landfrido & ipsius fratribus agens Andreas Presbyter, eorum fundationes sic explicat: *in Büren &c. cœnobium incomparabile structuris & picturis construxerunt. Deinde & alia tria grandi manu diligentia monasteria instituunt: primum Chochalense, secundum Schlechdorffense, tertium Schaffelense.* Hæc solùm Andreas Presbyter, quin vel verbulo mentionem ingerat de fundato vel dotato etiam Monasterio Wessofontano. (d)

9. His

9. His duobus testibus accedant alii duo, itidem Aventino antiquiores. Primus est R. D. Sebastianus Ranck, Parochus olim in Peuren prope Greiffenbergam, Pauli, hoc nomine secundi, Abbatis nostri frater germanus, qui vixit anno 1460. & in *Collectaneo* suo *Monasteriorum* adhuc inedito (e) non alia præter Burense monasteria Landfrido & fratribus tribuit, quàm Cochalense, Schlechdorffense, Staffelseense; Thassiloni verò soli Wessofontanum.

10. Alter Anonymus Monasterii nostri Monachus, vir industrius & boni judicii, etsi videatur multa ex Andrea Ratisbonensi descripsisse, frequenter tamen crises suas adjicit, & fusiùs plurima ac novis documentis aucta proponit, quin etiam alio ordine, quàm Andreas Ratisbonensis, & Sebastianus Ranckius, utitur, ut Codicem à se unde unde compilatum, jure *suum fecisse* dici possit. Hic iisdem ferè verbis, quibus Andreas Presbyter, post fundatum Burense Monasterium, Landfrido, Waldramo, & Elilando etiam adscribit *Cochalensee, in quo venerabilis eorum soror nomine Gailswindis &c. cum virginali degeret contubernio. Secundum Schlechdorfense. Tertium Staffelensee.* De Wessofontano tacet, atque initio statim originem ejusdem Thassiloni acceptam refert. Titulum operi suo hic Anonymus talem præfigit: *Chronica fundationum plurium Episcopatuum atque Monasteriorum tam in Bavaria, quàm extra Bavarorum provinciam situatorum. Et primo de origine & vita devotissimi necnon illustrissimi principis Thassilonis ducis Bavariæ, & regis (ut scripta testantur) Longobardorum, Plurimorum monasteriorum fundatore deditissimo, & Ecclesiarum restauratore diligentissimo, defensore viduarum & orphanorum judice strenuissimo &c.* (f)

11. Verùm cùm Sebastianus Ranckius fuerit Wessofontani Abbatis frater, & Anonymus iste Monasterii nostri Asceta, partiúmque studio aliquid dedisse, censeri possint, quamvis immeritò, cùm neminem ante se viderint, qui contrarium affirmaret; ideo documenta producemus haud paulo antiquiora. Atque honoris quidem causâ lectorem ablegamus ad Dissertationem Isagogicam in Tomum primum Thesauri Anecdotorum novissimi, ubi V. C. P. Bernardus Pezius exhibet *veterrimis litteris exaratum quoddam de fundatione Cœnobii Wessofontani fragmentum ex Codice S. Emmerami*, quod curiosus Lector ibidem fol. XVIII. si dignetur inquirere, agnoscet ex ipso stylo antiquitatem, atque ex ibidem sequentibus intelliget, eruditissimum Pezium ab opinione nostra circa Thassilonem fundatorem minimè fuisse alienum, neque ullatenus dubitâsse.

12. Ei-

12. Eidem fragmento Emmeramiano non solùm consonat, sed etiam emendatiùs ac copiosiùs fundationem Wessofontanam enarrat membrana Codici nostro antiquissimo Evangeliorum præfixa, seriùs quidem exarata, sed ab initio jam annexa. Codex ipse novem sæculis antiquior, imò Monasterio nostro coævus videtur, si cum characteribus sæculum nonum præcedentibus conferatur, sicut patebit ex Chronici Gottwicensis Tomi I. Capite 2. (g) Character verò Instrumenti seu Historiæ Fundationis, quod exhibemus, prævio Evangeliorum & vacanti folio mandatus, sæculi undecimi proprius est, saltem medium ejus attingens, immò præveniens. Istud verò venerandæ antiquitatis monumentum, quod Hundius in Metropoli, (h) Corbinianus Khamm in Hierarchia Augustana, (i) Vitus Arenbeckius (k) & alii, variè tamen mutatum, transscripsêre, Lectori nunc de littera ad litteram ob oculos ponimus. Est autem hujusmodi:

Anno DNI. dcc.liii. *Thassilo filius Otilonis ducis ac Hildrude sororis Pippini patris magni Karoli. sub imperio eiusdem magni Karoli. dux Baierum. in marchia ducatus tunc regni Baiorum. in saltu foresti qui Rotwalt dicitur inter duo flumina aprariam et licum uenationi operam dabat aprorum. Et dum forte per noctem iuxta fluvium qui ex eius nomine Thessilespach dicitur sub tenterio dormiret. uidit in somnis. iuxta fontem eiusdem foresti. per.* IIII.^or^ *partes contra scatentem se asstare. et exinde ad meridianum scalam ad celos porrectam. et angelos domini ascendentes et descendentes per illam. sanctum autem apostolorum principem innixum scale. et canentem eam. que in officio dedicationis communio cantari consuevit. Et uenatorum Thassilonis al:er Tharingeri. alter wezzo dicebantur. Quorum wezzo fontem qui hodie fons wezzonis dicitur a se repertum in. ✠. modo e terra bullientem ostendit. Ibi rex monasterium eiusdem nominis cooperante sibi Bonifacio edificavit. et possessionibus amplicavit. Vbi primus abbas Ilsungus Altahensis monachus. qui post* XII. *annos quibus religiose prefuit* II. *idus* MAI. *diem obiit. et in meridionali plaga ecclesie sepultus est. Otilo prius rex. postea Baioaria in provincia redacta dux. altaha monasterium ex suo fundauit alodio. et sepultus est cum uxore in Osterhouen. quod nichilominus monasterium sub regula S. Benedicti egregie satis dux ipse construxerat.*

13. Non nescimus, suis laborare sphalmatis hoc instrumentum; quæ tamen explicare non est hujus loci: paulò inferiùs lectori satisfacere conabimur. Fundatorem monasterii nostri nunc inquirimus, de cujus honoris possessione num per authores suprà numerò 4. in contrarium adductos Thassilo possit dejici, videre operæ pretium est. Atque ut ordi-

ne procedamus, ante omnia consideremus, quæ Khammus allegat, *antiquissima documenta Benedictoburana.* Eadem sibi communicata exhibet Vir Cl. P. Bernardus Pezius Tom. 3. Anecdotorum, Parte 3. columnâ 597. & seqq. qualia & nos possidemus à Stephano Leopolder descripta, & Benedictoburanis omnino, paucis orthographiæ erroribus exceptis, conformia. Ad illa, ne nimium longi simus, lectorem ablegamus, cùm Thesaurus Anecdotorum in omnium eruditorum manibus jam sit: facilè videbit, quantùm documenta illa non tam contra fundatorem nostrum pro Landfrido & fratribus, quàm contra ipsum Aventinum pugnent.

14. Itaque citato Pezii loco columnâ 599. & 600. narratur fundatio Monasterii *Buren*: deinde alterius in loco Mathi, qui nunc dicitur Chochalon: hinc tertii *in Schlechdorffensi loco*: demum quarti *in Staphalastagnä loco.* Mox cap. 2. describitur *Iter fratrum Fundatorum ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum*, eorúmque ad eumdem hæc oratio: *nos peccatores & indigni habemus ædificatas Ecclesias &c. in loco Burn unam &c. aliámque in loco Cochalon, &c. tertiam in Schlechdorffensi loco: quartam in Staphalastagna loco sitas cum consensu Thessilonis Ducis, ac Wicinperti Augustensis civitatis Episcopi. Has volumus & enixe flagitamus, ut à vestra almitate benedictionem mereantur accipere.* Nulla vel uno verbulo de Wessofontano Monasterio uspiam hucusque apparuit mentio.

15. Denique columnâ 602. *Lantfridus venerandus Abbas, postquam omnia rite ordinavit, id est, singulis locis monachos instituit, inprimis in Buronensi loco quinquaginta Monachos servitores S. Benedicti constituit: in Schlechdorffensi Monasterio viginti quinque Monachos instituit: in Staphalastagna Monasterio viginti quinque Monachos instituit, in Wezzesprunnen viginti quinque Monachos ordinavit: in Sandowa viginti quinque Monachos instituit; in Cochalensi Monasterio viginti quinque Sanctemoniales: in Pollinga Monasterio Sancti Salvatoris viginti quinque Sanctemoniales instituit &c.* Subjungit deinde scriptor visitationem in singulis Monasteriis à Landfrido institutam, Dominicâ die in Buren, feriâ 2. in Cochel, feriâ 3. in Schlechdorff, feriâ 4. in Staffelsee, feriâ 5. in Wessobrunn, feriâ 6. in Sandau, atque, ab hinc revertente domum, Pollingæ, & addit: *sic rexit Pater Lantfridus Monasteria supradicta per viginti quinque annos &c.* Et de Landfridi fratre successore: *Iste Pater Waldrammus acceptis locis supradictis impendit illis curam &c.* Ubi notari meretur expressa priorum quatuor Monasteriorum fundatio, trium verò reliquorum sola gubernatio: sic *rexit* Landfridus, & post eum Waldramus *acceptis locis* impendit curam.

16. Vi-

16. Videre hæc eadem documenta Benedictoburana Andreas Ratisbonensis, & Vitus Arenbeckius, cùm pæne ad verbum exscripserint; (l) nec tamen credidére, omnia ea Monasteria, quæ à Landfrido Cœnobiarcha seu Archimandrita fuére visitata & monachis instructa, *quos* tres laudatissimi germani *ex diversis aggregaverant provinciis, centum quinquaginta*, ùt ibidem columnâ 601. videre est, ab eodem Landfrido ejúsque fratribus fuisse fundata; nihil enim de fundatione Pollingæ, Sandavii, Wessobrunnæ legitur, sed solùm de istorum Monasteriorum provisione & visitatione. Potuêre cætera, sicut Wessofontanum à Thassilone, ita ab aliis Nobilibus aut melioris fortunæ hominibus fundamenta & dotem accepisse: quæ deinde tum à Thassilone, tum aliis fundatoribus ob celebritatem nominis ac virtutis fuerint Landfridi curæ commendata, ut ea Monachis instrueret, & gubernaret, cùm præsertim nullum aliud in Licatiis monasterium exstaret, unde antistes illis peteretur. Instrumenti porrò hujus Benedictoburani tametsi veneremur antiquitatem, desideramus tamen puritatem; attendere enim Aventinus debuisset diversos in eo errores cum temporum ratione pugnantes, quos prudentibus facere manifestos superfluum, cùm per se pateant; neque in rem nostram necessarium est.

17. Quod nos pridem taciti observavimus, id publicum tandem fecit vir copiosæ eruditionis P. Agnellus Candler Eremita Augustinianus in opere suo critico, cui titulus: *Arnolphus malè Malus cognominatus, seu justa Defensio &c.* (m). Ibi Author in recensione Monasteriorum sub Arnolpho Duce existentium de nostro Wessofontano hæc habet, quæ juvat exscribere, cùm sciamus rariùs jam inveniri hanc Agnelli Apologiam.

„ WESSENBRUNN seu WESSOFONTANUM Ordinis S. Bene-
„ dicti Asceterium in Augustana Diœcesi per Landfridum ejúsque fra-
„ tres Benedictoburanos Fundatores ædificatum, à Thassilone postea
„ ampliatum Aventinus (ed) adstruit, fortè Chronicon Benedictobu-
„ rense secutus, ubi tamen (ee) aliud non asseritur, quàm Landfridum
„ in Wezzesprunen 25. Monachos ordinâsse, ejúsque Monasterii curam
„ habuisse, illud statis temporibus visitando, id quod traditioni & docu-
„ mentis Wessofontanis ac Chiemseensibus minùs repugnat; in his quip-
„ pe legitur (ef) Tassilonem Ducem in loco, ubi venationibus dedi-
„ tus sub tentorio pernoctaverat, atque haud procul inde alter venato-
„ rum ejus (non filius, quod eruditissimo Mabillonio (eg) excidit)
„ Wesso nomine fontem in crucis modum è terra scaturientem detexe-

 rat,

„ rat, anno 753. prima Monasterii fundamenta jecisse: quo stante potuit Landfridus Benedictoburensis Abbas novo domicilio de inquilinis providisse, ejusque curam, dum anno 758. Hsungus proprius Abbas ex inferiore Altaha hic constitueretur, quin etiam deinceps Visitatoris officium gessisse.

(ed) *Annal. pag. 291.* (ee) *Cap. 3.* (ef) *Apud Gewold. in addit. ad Metrop. & Wening Topogr. Bavar. Part. I.* (eg) *in Itiner. Germ.*

18. Hactenus de *Monumentis Benedictoburanis*, quæ prima ante alios authores superiùs numero 4. adductos nobis Thassilonem erreptura videbantur. Cæterorum deinceps testimonia facilè labefactantur hoc uno, quòd omnes unum authorem & ducem sequantur Aventinum, hunc Hundius, & Hundium alii, qui Aventinum vel non videre, vel neglexêre. Velserus, tametsi nullum authorem laudet, certè eundem Aventinum secutus est, quem in rebus patriæ saltem suæ Boicæ fidelem censuit, in Vindelicis tamen sæpius refutavit. Gasserus autem, homo heterodoxus, non tam antiquitate nixus, quàm Aventini authoritate, quam iste apud novatores sibi conciliavit sacrorum hominum rituúmque contemptu, talia scribit, quæ manifestè temporum & locorum, imò & personarum rationi repugnant. (n)

19. Itaque omnis Testium phalanx, quos posterior hæc ætas pro Landfrido contra Thassilonem excitavit, unius Aventini authoritate nititur, magno profectò veritatis columine! Aventinus cùm ex itineribus & exteris scholis, pro ingenii sui felicitate, non parùm eruditionis collegisset, famáque propterea principibus etiam innotescere cœpisset, majorem justo licentiam sibi arrogavit, sive omnes, qui se præcesserant, rerum Boicarum scriptores ruditatis damnandi, sive documenta vetera vitiandi aut suo lubitu interpretandi, sive novas opiniones architectandi, & asserta sua ceu oracula credulis & novitatum avidis obtrudendi. Et styli quidem gratia, eatenus nova, fidem apud multos conciliavit, qui tamen sæpe non tantum latinitatis, quantum affectationis habet, minus autem prudentiæ & veracitatis. Nemini ignotum, quantum ille à litteratis vapulet, quótque convincatur errorum. Hundius, Velserus, Raderus, Adelzreitterus, Meichelbeckius, & novissimè Illust. D. Wilhelmus, ut obvios nominem, integros foliorum fasces ex Aventino collectorum exhibent. (o) Taceo, quoties sibimet ipse contradicat. Et quantum quidem ad præsentem de Thassilone quæstionem attinet, facilè Aventini testimonio caruissemus, nisi ipse nobis non invitatus illud obtru-

obtruderet. Hundius id recitat in Metropoli hisce verbis: THIERHAUBTEN. *Monasterium Ord. S. Benedicti infra Augustam Vindelicorum tribus milliaribus, non procul à Lico ad rivum Ach situm, fundatum ac inchoatum in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, à potentissimo Duce Bavariæ Tessalono anno Domini 750. quo ferè tempore idem Dux Wessesprunnen eiusdem Ordinis Abbatiam, inter Amperam & Lycum Fluvios* EREXIT, &c. ac laudat Hundius authorem his additis: *Johan. Avent. lib. 4. Annalium fol. 378.* (p)

20. Cæterùm inficias ire non possumus, non carere difficultatibus suis Thassiloni assertam Monasterii nostri fundationem. Tot hujus Ducis venationes, quibus ortum cœnobia debere dicuntur, apud nonnullos Catholicos, & plures Heterodoxos, ægrè inveniunt fidem, ibi maximè, ubi cœlestia visa occurrunt. Sunt, qui ex Litteris Fundationis jussu Thassilonis pro Cremisanensi Monasterio conscriptis, colligere velint, nullum ante Cremisanum à Thassilone cœnobium fuisse fundatum. Ac demum Princeps pæne puer, & nuperrimè ad clavum admotus, tantis fundationibus vix par existimari potest. Verùm hæ, quantæcunque sunt, objectiones, ex Instrumenti nostri, quod antiquissimum habemus, elucidatione, pro viribus elidentur.

(a) *Hier. Augustana Parte 3. Regul. fol. 375.* (b) *Eadem Hierarchia citatur folio 437. num. 2.* (c) *Apud Pez. Anecdot. Tom. 3. cap. 23. columna 79.* (d) *Vide num. 7. citatum Andream Ratisb. colum. 432. & 433.* (e) *Littera D. 4. id est, pag. 16.* (f) *Anonymus iste vixit circa finem Sæculi XV.* (g) *Lib. 1. cap. 2. fol. 34. Chron. Gottwic.* (h) *Metrop. Tom. 3. fol. 485. in Additione 1.* (i) *Parte 3. Regulari fol. 376. num. 5.* (k) *Tom. 3. Anecdot. Pez. Parte 3. Cap. 33. colum. 96.* (l) *Andreas Presb. Tom. 4. Anecd. Part. 3. col. 441. d. 442. a. Item col. 432. c. d. 433. a.* (m) *Edita Monachii typis Jo. Jac. Vötter 1735. Sect. 6. fol. 124.* (n) *Hier. Aug. P. 3. fol. 437. num. 2.* (o) *Hundius in* Bayrisch. Stammen-Buch *frequentissimè, & per tres Tomos Metrop. in Indicibus V.* Aventinus. *Vide cæterorum quoque Indices, & maximè Velseri edit. Norimb.* (p) *Hund. p. 3. Metrop. fol. 410.*

§. III.

Elucidatio Instrumenti Wessofontani circa Thassilonem Fundatorem & alia.

Cùm id solum inter tot Authorum contra nos testimonia hactenus à nobis pro Thassilone actum sit, ut, quoniam omnes illi unum ducem habuêre Aventinum, hic verò sola documenta Benedictoburana, atque hæc jam eidem ipsi non favere ostendimus, solam antiquitatem pro muro quæreremus: ideò, sicut antiquissimum Instrumentum nostrum superiùs (a) produximus, ita id ipsum nunc elucidare, proba à spuriis secernere, & quæ initio, ubi Thassilonis virtutes maximè exposuimus, circa illius historiam omissa fuerant, supplere constituimus. Juverit ergo dictum Documentum per partes considerare & explicare.

Anno Domini septingentesimo quinquagesimo tertio.

21. Hæc ipsa *annorum Domini* computatio meritò suspecta haberetur, cùm plerique contendant, octavo illo sæculo nondum hanc annorum computationem in usu fuisse; si nempe Instrumento huic tantam antiquitatem adstruere vellemus. Verùm jam antea (b) fassi sumus, undecimi ad minimum sæculi illud esse. Sunt, qui Chronologiæ hujus usum multo antiquiorem asserant, & Chronicon Gottwicense affert testimonium Baturici Episcopi de libro scripto *anno octingentesimo vigesimo tertio dominicæ incarnationis* (c) ex Abbatia S. Emmerami: unde hac ex parte nihil Instrumenti nostri authoritati decedit.

Thassilo filius Otilonis Ducis ac Hiltrude sororis Pippini patris Magni Caroli.

22. Nihil in his verbis controversum reperias. Otilonis Ducis annos regiminis sufficiat recensere, & Hiltrudæ fata. Otilo regimen post Hugibertum auspicatus est anno DCCXXXVII. Anno dein DCCXLI. ineunte Hiltrudam Francam, Caroli Martelli ex Rotrude prima uxore filiam, Carolomanni & Pippini sororem, uxorem duxit, ex qua suscepit Thassilonem nostrum anno DCCXLII. Hæc res Carolomannum & Pippinum inexspectato Hymenæo irritatos in Bavariam contra Otilonem traxit: qui ultra Oenum profugus initis conditionibus iterum pacem à fratri-

fratribus uxoris suæ impetravit: sunt tamen, qui dicant, eodem ferè tempore Grifonem contra Carolomannum & Pippinum in Saxoniam Otilonis consilio irrupisse. Verùm cùm Otilo anno DCCXLVII. obiisset, Grifo nec Saxonibus nec Francis fidens in Bavariam ruit, Hiltrudam & Thassilonem in potestatem redigit, Bojorum quorumdam amicitiâ nixus. Anno 748. Pippinus pro Bavaria & sorore sollicitus Grifonem armis obruit & capit, Thassilonem Bavariæ Ducem pro Otilone patre constituit. Ab illo anno Thassilo regiminis sui annos computare cœpit. Qui Otilonem Osterhovæ vel Nideraltachii monachum factum putant, & Annales nostri, qui eum anno demum 765. obiisse dicunt, (d) non considerârunt BREVES NOTITIAS Donationum Salisburgensis Ecclesiæ, quæ Otilonem ante Hiltrudam obiisse indicant. (e)

23. Cæterùm parciùs à nobis laudatus relinqui non debet Otilo, plurium Ecclesiarum ac Monasteriorum & ipse fundator, & fundandorum Thassiloni nostro magnificus author. Audiatur Velserus: „Princeps Utilo Altachium utrumque condidit. Utilonis item opus Manseum ad lacum, Niderburgum, Pfaffenmunster, & quæ quorumdam sententia, Osterhova. Utilonis etiam ope monasterium ad Isensicum amnem Josephus Episcopus, Erimberti in Frisingensi Ecclesia successor condidit. (f) „ Eumdem Utilonem Cathedralis Ecclesia Passaviensis fundatorem (g) Salisburgensis augmentatorem (h) Frisingensis dotatorem (i) Eustadiana authorem laudat. (k) De tempore obitûs Utilonis superius aliquid diximus. (l) Verùm quis certum quidpiam statuat, Historicis diversa sentientibus, & suas singulis sententias antiquitatis testimonio roborantibus? Videantur Clarissimi PP. Carolus Meichelbeckius, (m) Marcus Hansizius, (n) & Placidus Haidenius. (o) *Non nostrum inter eos* tantas *componere lites.* Utilonis in Ecclesias munificentiam gratæ posteritati commendâsse sufficiat.

24. Etiam Hiltrudis Thassilonis mater encomio suo dignissima est. Eam inter Benefactores Salisburgensis Ecclesiæ superiùs jam (p) laudavimus. Majorem verò in laudem eidem cedunt, quæ doctissimus Eckhardus de eadem adstruere nititur, nempe Hiltrudem hanc, seu Chiltrudem, eamdem esse cum S. Gertrude, quæ in Monasterio Carleburgensi ad Mœnum infra Neustadium, proci declinandi causâ, olim delituerit, & ductu S. Bonifacii ac sociorum ejus id Monasterium fundaverit: sed fraude novercæ suæ Sonichildis, quæ Grifonem filium hæreditate à Martello exclusum dolebat, ultra Rhenum deducta Utiloni Duci nupserit, ac eo defuncto in Franconiam redierit, & vitæ sanctitate claruerit

ruerit

uerit. (q). Quibus ut nihil addimus, ita nec ademptum quid Hiltrudi nostræ velimus, præcipuè cùm idem solertissimus & accuratissimus Author alio loco (r) sic concludat: *de Chiltrude suprà pluribus egimus, eámque esse illam Gertrudem, quæ Caroloburgi aliquando latuit, & pro Sancta à posteris habetur, suspicati sumus, nec sententiam mutamus.* Annum, quo Chiltrudis obierit, assignat Eckhartus septingentesimum quinquagesimum quartum, quod penès ipsum relinquimus. Quantum ad ultima Instrumenti nostri verba attinet, Pippinum nempe Caroli Magni patrem fuisse, nemo est, qui neget.

Sub imperio ejusdem magni Caroli Dux Bajorum.

25. Hæc verba cum anno 753. nulla prorsus ratione conveniunt; nam sive ea de Carolo Martello intelligas Pippini patre, ille jam pridem è vivis decesserat, (s) neque *Magni* præconium ullibi, quod sciam, eidem tribuitur. Si de Carolo Pippini filio, cui Magni nomen hodiedum adhæret, interpreteris, is neque Imperator tunc, imò ne Rex quidem fuerat, sed Thassiloni coætaneus, & undecim primùm annos natus. Dicendum est igitur, scriptorem anticipatò tribuere Carolo dignitatem imperii diu pòst obtenti, vel *imperii* nomine regnum Francicum intelligere, quòd Carolus, à morte Pippini patris anno 768. 8. Cal. Octobris, tanquam Rex Francorum, Bavariam quoque sibi subjectam habuerit, donec tandem & Imperator evasit. Itaque noster iste undecimi sæculi scriptor ea, quæ scribit, non uni anno 753. vult illigata, sed omnia Thassilonis acta & facta complectitur. Verè etenim *sub regno & imperio* ac potestate Caroli Thassilo vixit, & dux Bojorum fuit. Imò, cùm in Concilio Francofurtensi anno 794. præsentem se stiterit, omnique suo in Bavariam jure se palam abdicârit, (t) nec, etsi certa dies, certus tamen annus mortis ejus statui possit, potuit sub Caroli jam Imperatoris imperio adhuc & ultra superstes esse.

In Marchia Ducatûs tunc Regni Bajorum.

26. Marchiæ nomen teutonicum est, & limites provinciarum olim indicavit: unde & Marchionum nomen, & munus. Legimus in Chronico Gottvvicensi Marchiam Bojorum (u) quæ versùs Anassum fluvium & Orientem porrigitur. Pari modo hic intelligenda est Marchia Bojorum versùs Lycum fluvium & Occidentem vergens. Pari enim ratione, sicut olim Anassus Hunnis aliisque barbaris, ita Lycus Algojis & Alemannis frænum injiciebat. Quod autem scriptor noster, *tunc*, anno nimi-

rum

rum 753. *regnum* fuisse dicat, iterum anticipatò locutus & omnia Thassilonis tempora complexus fuisse credi debet, sicuti paulò antè diximus. Nam sive vixerit tunc Utilo, qui regnum ob Hiltrudem Francam affectaverat, jam ille, ùt supra diximus (w) à Carolomanno & Pippino domitus erat, & contentus Ducis nomine vivebat: sive obiêrit, jam anno 748. filius ejus Thassilo à Pippino contra Grifonem defensus & Dux appellatus, fidem Francis servabat, imò publicè juratam (x) quatuordecim annos natus testabatur sexennio toto Francicis expeditionibus ipse præsens: unde anno 753. ne minima quidem de regno Bojorum cogitatio, nisi iterum dicas, scriptorem hunc vel ad Utilonis priora tempora respexisse, vel secuturas Thassilonis molitiones anticipâsse: Id quod non rarò in veterum historiis usuvenire nôrunt eruditi.

In saltu foresti, qui Rotwalt dicitur.

27. Sicuti Gothorum ævo multa linguæ Gothicæ vocabula in Italiam, ita vicissim crebris Germanorum expeditionibus plura verba Germanica ab Italis sunt assumpta; & Italica à Germanis. Forestum certè Italis id hodie sonat, quod jam dudum Germanis, vasta nimirum & opportuna venationibus silva significabat: ejusmodi in Bavaria nostra sunt Forestum Ebersspergense, Geisenfeldense, aliáque. Apud Wessonis Fontes meridiem versùs Foresti nomine appellatur omnis illa regio, quæ inter duos amnes ejusdem nominis, Rottas, est sita, unde idem Forestum etiam Rotvvalt, id est, *silva inter Rottas*, antiquitus dicebatur. Utraque Rotta in ditione Wessofontana oritur: alia orientalis in Amperam flumen supra ostium Ambronis lacûs illabitur: occidentalis altera à dextra Lyci fluminis ripa, postquam villæ Rottensi, quam alluit, nomen dedit, infra castrum Lechspergense, Lyco miscetur. Utraque Monasterio nostro lacum facit, orientalis Zellensem, occidentalis Engelsriedensem. Posset quis opinari ab his duobus amnibus nomen traxisse veterem illum Bojariæ pagum Rotagovve, in quo legitur ab Hucberto Duce donata Ecclesiæ Salisburgensi *villa Savarstedi* (y) cujus nominis loco facilè Siverstatt seu hodiernum Seiberstetten, & *monasterium Hukiperhti* posset intelligi, cujus situm se ignorare fatetur Agnellus suprà laudatus. (z) Certè villa *Seiberstetten* in dextra Lyci ripa jacet, sed duabus horis infra Rottæ occidentalis ostium, ubi pagus Rotagoviensis jam desiisse videtur. Verùm & Salisburgensis Ecclesiæ à Lycatiis longinquitas, & Chronicon Gottvvicense facit, ut hunc Bavàriæ pagum Rotagovve non ab utraque hac Ambrolycatiæ *Rotta*, sed ab alio orientalis Bavariæ amne denominari credamus. (*) Nam in Mappa, quam Chronicon Gottvvicen-

wicense exhibet, clarè indicatur alia Rotta, ad cujus dexteram ripam in amœno colle hodiedum spectatur & floret Monasterium S. Viti cis Rottam O. S. Bened. prope Novum Forum, Diœcesis & Congregationis Salisburgensis. Subit non vana suspicio, propinquô eidem loco stetisse olim Monasterium Sconinberg seu Schænberg ad S. Vitum, quod nomen in dicta Mappa exprimitur. In eadem vicinia Monasterium Hukiberti stetisse credibile est. *Savarstedi* autem in illo pago non reperitur: sed infra S. Viti Monasterium invenio *Scevenava*, inter Rotam & Vilsam amnes, cujus mentionem Capitulare Ludovici Pii Imperatoris in Concilio Aquisgranensi anno 817. stabilitum injicit. (A) Monasterium hoc in bello Ottocari Regis Bohemiæ contra Duces Bavariæ circa annum 1266. cum pluribus aliis templis ad Oenum, Vilsam, & Rottam sitis, interiisse, nec unquam deinceps caput erexisse arbitror. (B) Pari fato, vel etiam citiùs, aut Hungarica illuvione, quarum plures Bavariam sæculo decimo inundârunt, aut tandem bello, quod Manegoldus Episcopus Passaviensis cum Rapathone Palatino Bavariæ, familiæ de Ortenberg, gessit, Monasterium *Saverstedi*, si eâdem in regione, ut suspicabar superiùs, situm fuit, intercidisse crediderim: nihil enim de eo superest, nisi nominis quoddam vestigium, quod apparet in Literis Hartwici Episcopi Ratisbonensis Monasterio Aspacensi concessis, ubi inter Ministeriales ad æstimanda quædam prædia missos nominantur Eberan de *Saverstetten*, & Adalramus de *Scheffan*, in quod nomen degenerare potuit *Scevenaua*. Ita demum Monasteriorum nomina in sedibus Nobilium aliquamdiu servata fuisse viderentur. (C) Ego autem in tanta obscuritate, ubi quid neges, quid affirmes, non videas, malim istud *Saverstedi* Lyco assitum ab Hugiberto Duce Ecclesiæ Salisburgensi donatum credere, qui Dux antea quidem Oetingam aliáque ultra Oenum loca, post Grimoaldi verò mortem, Frisingam & totam Bavariam usque ad Lycum possidebat. Loci situs amœnus, solitarius, & Sublacensi eremo similis, condendo Monasterio aptissimus, incolarum de cœnobio ibidem olim posito, & Sanctimonialibus in ejus Ecclesia sepultis antiqua persuasio, Marci Velseri Aventino consentientis authoritas, silentibus licèt tabulis Benedictoburanis, nondum me permittunt, Lyco hunc locum abjudicare: cùm & antiquum nomen nullo alio, nisi hoc loco, hodie conservetur. (D)

Inter duo flumina Aprariam & Lycum.

28. Apraria fortè ab aprorum frequentia (Ampera, Ambria, Ambra etiam appellata) apud Ettalense Monasterium ortum accipit, & nomen dat antiquo Bojariæ pago Ammergow, ubi geminos vicos alluit, supe-

superioris nempe & inferioris Ammergau nomine vocatos. De hoc flumine & pago Chronicon Gottwicense hæc habet: Pagus Ducatûs Bavariæ ad fluvium *Ampriam* vel *Ammeram* prope fontes ejusdem, ad confinia Tyrolensia usque ad lacum nominatum *der Staffelsee*, & cœnobium *Raitenbuech*. Habuit pagus iste proprios Comites, de *Amergow* sive *Ambergow* dictos, à quibus Welforum prosapia originem traxit. Situm est in eo Villa & Monasterium Ambirgow, quod ab Etichone fundatum, & ab ejusdem filio Henrico in *Altenmunster* ad fluvium *Ilmum* translatum fuit. (E) De Monasterio Ambirgow videatur Fortunatus Hueber in Historia Hohenwartensi, & Agnellus Candler in Arnulpho defenso. (F) De Lyco flumine quæ loqueremur, occupavit Duumvir Augustanus. (G)

Venationi operam dabat aprorum.

29. Non antiquis solùm illis temporibus regio hæc Ambræ fluvio & Ambroni lacui à sinistra incumbens aprorum venationi apta habebatur, sed hodie quoque Serenissimis Bavariæ Principibus laboriosa à negotiis publicis otia facit. Veteribus autem multo frequentiorem fuisse Aprorum venationem, complura documenta monstrant. De Gunthero Thassilonis filio Annales Cremisanenses ita loquuntur: (H) „ Silvas juveni„ li cupidine pererrabat & nemora, bellis, quò stimulabat impetus, ve„ natione prælusurus. Hæc enim verissima pugnæ imago & simulacrum. „ Ardore investigandi ferarum cubilia longiùs à comitibus divulsus in „ aprum incidit eximiæ magnitudinis. Nil territus solitudine regius ju„ venis impigrè ruentem excepit, & totis connixus viribus venabulum „ intorsit. Furore percita fera ultimas iras collegit, & interfectorem „ suum fulmineo dente prostravit. „ Luctu commotus Pater filio Mausolæum condidit, quo non potuisset illustrius, hodiedum florentissimum Monasterium Cremisanense.

Et dum fortè per noctem juxta fluvium, qui ex ejus nomine Thessilespach dicitur, sub tentorio dormiret.

30. Rivus iste Forestum, hodie proprio nomine sic dictum, à Monasterio & circumsitis villis dividit, ac juxta viam, quæ Weilhemium ducit, in vallem delabitur usque ad lacum Zellensem, quem præteriens Roctæ orientali ex eodem lacu prorumpenti junctus Ambræ primùm, dein Ambroni lacui miscetur. Hodie nomen *Thessilespach* seu *rivi Thassilonis*

 penè

penè totum amisit, & retentis paucis literis *Slipach* vel *Schlittpach* communiter appellatur. Cæterùm Foresti nomine citerior quoque regio, in qua Monasterium Wessofontanum situm est, veniebat, & silva hæc aprorum ferax usquè in montem & silvam Diessensem continuabatur.

Vidit in somnis juxta fontem ejusdem foresti per quatuor partes contra scatentem se astare, & exinde ad meridianum scalam ad cælos porrectam, & Angelos Domini ascendentes & descendentes per illam: sanctum autem Apostolorum Principem innixum scalæ, & canentem eam, quæ in officio dedicationis communio cantari consuevit.

31. In Dedicatione Dissertationis de natura & proprietatibus Angelorum authore Cl. P. Georgio Stengelio S. J. Ingolstadii editæ, & à F. Thoma Ringmayr Professo Wessofontano Defendente, Gregorio Pontano Monasterii Wessobrunnensis Abbati dedicatæ somnium Thassilonis ita describitur: " Ibi pariter & oculis cernere rerum colores desiit, & „ animo admirabiles imagines videre cœpit. Inter cætera rerum simu„ lacra etiam hoc ejus animo observatum est. Quasi in Paradiso jace„ ret, ita quatuor intervallis conspexit fontem in quatuor mundi partes „ lætissimè excurrentem. Dum hilarem aquarum fugam quà quà prose„ quitur, ecce tibi meridiem versùs scalas conspicatur à terra, immo ab „ aqua ad nubes usque porrectas. Scalas impleverant pulcherrimi ju„ venes ultro citróque commeantes. Dixisses redivivum Jacobum An„ gelos suos denuò intuentem. Cæterùm ad summum scalarum caput „ Thassilo Principem Apostolum Petrum umbilico tenus vidit è nube ex„ tantem atque prospectantem. Enimverò visus est sibi etiam limpidis„ simè audire eundem cantantem: *Domus mea domus orationis vocabitur; in* „ *ea omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur;* „ cæteráque, quæ in officio Dedicationis cantari ab Ecclesia consueve„ runt. " Quæ in Instrumento nostro de scala in cœlos porrecta, de Angelis, de S. Petro narrantur, intra somnii limites dicta interim accipimus, neque ad cœlestes ac divinas apparitiones attollimus: quamquam ne tales quidem Duci religiosissimis parentibus nato, nec nisi ad omnem pietatem educato abrogare audeamus; non enim tam incredibile videri Christiano debet, juvenem pium cœlestibus monitis ad opera pietatis per somnum excitari, quàm sceleratissimos quandoque immissis seu somniis, seu oblatis signis, seu Prophetis legatis ad frugem revocari. Talibus verò exemplis plenæ sunt Sacræ utriusque testamenti litteræ, quarum oracula se contemnere nemo, nisi Christianum nomen erubescat, de se confitebi-

stebitur. Neque curæ nobis est, neque ipsi Scriptori fuisse credimus, splendidam originem Monasterio nostro affingere; id quod de monachis novi quidam Aristarchi criminantur. His ego, sive inter Catholicos Criticis, sive inter extraneos Momis, insignes Acatholicos Scriptores oppono, qui integros de cœnobiorum cunabulis, actis, & fatis Tomos scripserunt, ac illorum memoriam posteris commendârunt. Inspiciant ejusmodi severi Catones MONASTICON ANGLICANUM, heterodoxorum industriâ vastis tribus voluminibus conscriptum: (I) evolvant THURINGIAM SACRAM ab eruditis Saxonibus hoc primum sæculo editam: (K) næ videbunt, eos nec immensi pro re Catholica laboris piguisse, nec ingenuæ mirabilium rerum narrationis puduisse.

32. At verò tot Cœnobiorum fundationes, occasione venationum factæ, humanam fidem videntur excedere. Nempe miracula displicent, quæ intercurrisse narrantur. Monasteriorum Thierhauptani, Pollingani, Cremifanensis, sicut & Wessofontani, fundationes origines suas ad Thassilonis venationes & miracula referunt. De nostri quidem Monasterii natalibus abunde satisfactum arbitror. Quantum ad Thierhauptanum attinet, quod Aventinus anno 750. fundatum asserit, quid mirum, si Princeps Christianus octavum ætatis annum vix emensus, & in venationis ardorre avulsus à sociis, voto condendi Monasterii se obstringat, ut viarum erroribus evolvatur? Quantum ad Pollingani fundationem, nihil in ea somni vel apparitionis intervenit, nec insperata defossæ Crucis inventio miraculo protinus adscribi debet, cùm cervi dictamnum suum, aliáque animalia salubres sibi radices quærere & effodere non ignorent indito naturæ impulsu? Cremifanensis fundatio nullam miraculi umbram habet, cùm à Thassilone jam adulto, & filio per aprum occiso justas exequias debente sit suscepta, ac trium Episcoporum plurimúmque Abbatum testimonio roborata: præterea non paucis Historiographorum monimentis confirmata. (L) Præterea in Cremifanii fundationem ita se effudit Thassilo, ut hanc unam posteritatis memoriâ dignam existimaverit, atque ita in Instrumento Donationis de Wessofontano, Thierhauptano, Pollingano, aliisque tacuerit, ceu nullum aliud præter Cremifanense fundâsset. Ac profectò primævæ cæterorum tenuitatis argumenta hodiedum exstant, si hæc cum Cremifanensis Monasterii splendore comparentur, cui illud Maronis Ecclogâ 1. accommodare meritò valeas:

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Illa nempe Principi adolescenti, Bojariâ bellis attritâ, ad clavum admoto, debentur: postremum hoc Duci adulto & potenti. (M)

33. Interim, si qualiacunque miracula fundationibus adjuncta extenuare voluisse videar, sit venia calamo. Credantur illa, vel non credantur: nihil tamen exhinc fundationum veritati, ætati, vel authori meritò detrahetur, cùm hæc omnia Historici antiquiores ferè omnes adstruant. Illuc me quorumdam impudentia compulit, qui Ethnicis libentiùs miracula tribuunt, quàm Christo, & cùm hæc nobis invideant, dæmoni potiùs quàm Deo adjudicare non verentur: qualis ille Alpinus Præco, à Bidermanno egregiè confutatus, (N) quem non pudet Apollonii, Æsculapii, Herculis, Octavii, Adriani, Vespasiani veneficia Miraculis Apostolorum & Ecclesiæ Christianæ opponere: quasi in hac Evangelii luce, quam jactant, non vidissent illud: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur* &c. Marci c. 16. v. 15. & alterum Isaiæ c. 59. v. 1. *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat.* Hæc nobis pro scuto essent, si vel mordicus superiùs memorata tanquam miracula tueremur. Nondum enim talia illo Tassilonis ævo necessaria esse desierant, cùm Aribo, quartus Frisingensium Episcopus testetur, sub adventum S. Corbiniani Noricos *gentem adhuc rudem & nuper ad Christianitatem conversam, novitiamque fuisse.* (O) Atque hæc prolixiùs tractata valere etiam velim ad enodandas quasdam Wessofontanæ Fundationis difficultates, superiùs §. II. Numero 20. objectas.

Et Venatorum Thassilonis alter Tharingeri, alter Wezzo dicebantur.

34. Neutrum nomen vanitatis esse suspectum debet; antiquitatis enim testimoniis firmantur. Et quantum ad Tharingerum attinet, non solùm Illustrissimæ Familiæ hujus documenta domestica id probant, ex quibus Hundius & Khammus (P) desumpserunt, & ex quibus nos didicimus, Tharingerum hunc prænomine Albicum, uxorem ejus Hiltam de Almb fuisse appellatos; sed & vetus est Monasterii nostri documentum, quo *termini ad territorium Wescinesbrunnense pertinentes* describuntur. Ex eo, quod sæculo decimo vel undecimo videtur æquale, opinio non improbabilis oritur, jam dudum in hac vicinia Taringanum nomen inclaruisse, imò & sedem habuisse, aut certè fixum diversorium sibi assignatum, in quo, quo-

quoties Ducibus in extrema hac Norici parte venari placuisset, Taringerus venatoriæ rei præfectus versaretur. Instrumentum porrò nostrum sic sonat: *Incipientes* termini *de Bibarbach, & sic tendunt ad Lanchuuate, & inde recto itinere per silvaticam plateam usque in campum Bellesuuangensem. Campus autem bellesuuangensis cum suis terminis ad territorium nostrum pertinet usque in rivum Michlenbach, de Michlenbach ad vicum Taringeri vadunt, de vico Taringeri ad rivum Balthereszella Hengestisbach.* Quis verò, vel quo loco vicus Taringeri? Seeveldiam divinare non audeo, cùm Hundius illam anno primùm 1355. vel circa ad Taringanos venisse asserat, atque ipsa loci longinquitas non patiatur inter ditionis nostræ terminos numerari: qui rivo Michlenbach decurrente in Rotam flumen, quod Raistingam perfluit, horæ spatio ascendunt ad ejusdem Rotæ originem prope Balthereszellam. An igitur Raistingæ vicum Taringeri fuisse putabimus? Commodior locus, cui hoc nomen conveniat, cùm non occurrat, lectoris judicio relinquimus. Verosimile tamen videri non immerito posset, Taringeros olim in vicino consedisse, cùm ipsorum nomine vicus & limitum nostrorum terminus vocaretur. Certè Thörringani posterioribus sæculis circa annum supradictum Seeveldiam possidere cœperunt, & adhuc possident, à qua arce celebris inter cæteras illius illustrissimæ Stirpis Linea nomen retinet, sicut aliæ de Tengling, Jettenbach, Tyssling, Medling, Stain, Berchtenstain. Videatur Hundius in Stemmatographia Bavarica. Accessit stemmati Linea Taringorum de Auu, ubi egregiam hæc sedem possidet infra fontem Aventi fluminis. Idem verò Hundius, præter alias hujus sanguinis prærogativas hæreditariam Venationum Præfecturam disertis verbis eidem asserit.

35. Quantum ad Wessonem attinet, non minori, quàm Tharingerum, dignitate fulsisse existimamus. Et non absimile vero censendum est, in regione hac silvestri ac aprorum feraci ultra Rottam seu Raistingæ, quod credibilius, seu Seeveldiæ Tharingerum; cis Rottam verò ad caput *silvatica platea* Wessonem consedisse. Rudera quædam veteris arcis non procul à Monasterio nostro versus Aquilonem seu Diessam suo tempore extitisse Hundius testatur, & adhuc supersunt loci vestigia. Wessoni vel nepotes vel hæredes alios ibidem successisse & sedem habuisse, constat ex antiquo documento Weichenstephanensi, in quo inter alios testes nobiles legitur *Adilbertus de Wessinsprunnen*, cùm Reinboto Abbas emisset prædiolum ab *Henrico de Haimenhusen*. Præfuit Reinboto

ab

ab anno 1174. usque ad annum 1182. (T) Arcem denique ante ultimam ruinam à nobilibus Greuteris de Greut fuisse insessam, perquam credibile est, cùm hæc Familia multis annis apud Monasterium nostrum floruerit, uti manifestum fiet sub Abbate Wernero II. de Greutt, qui præesse cœpit anno 1323. & locus destructæ arcis adhuc vocatur Hoh-Greut. Verùm de Wessone mox plura.

Quorum Wezzo fontem, qui hodie fons Wezzonis dicitur, à se repertum in crucis modo è terra bullientem ostendit.

36. Cùm igitur Wesso, sicut adstruere conati sumus, hac regione habitaret, ideóque citerioris Foresti seù silvæ ad aquilonarem plagam sitæ intimam notitiam haberet; Thassiloni somnium de viso sibi fonte narranti, promptè hunc fontem ostendere potuit; qui & ab ipso Wessone, si non inventore, certè indice, deinceps appellatus est *Fons Wessonis*, idémque nomen Monasterio nostro semper adhæsit. Quare nihil moramur illum, qui, hoc sæculo ineunte, *Jessinesbrunn* vocatum asseruit, ut Wessonis nomen aboleret. Nam præter alia decimi & posteriorum sæculorum documenta, hujus nominis antiquitatem testatur Capitulare Ludovici Pii Imperatoris, ubi in Conventu Aquisgrani habito inter Monasteria, quæ imperio nec MILITIAM, nec DONA, sed solas ORATIONES debent, nostrum quoque recensetur hoc vobabulo: Wizzenbrunnico. Celebratus est Conventus iste anno octingentesimo decimo septimo, nempe post fundatum Monasterium nostrum sexagesimo quarto. (U)

37. Non dissimulandus est hoc loco alius quorumdam error opinantium, quòd ipse Wesso fuerit Tharingerus: cùm Documentum hoc nostrum disertè dicat: *alter Taringeri, alter Wezzo dicebantur*. Ignoscendum hoc iis, qui solo narratu non inspectis litterarum monumentis, id opinionis imbiberunt: sicut & venia danda doctissimo nostro Mabillonio, qui Tomo 1. Analectorum *Wessonem* etiam *filium Thassilonis* scripsit, perperam nempe desuper informatus, cùm periniquo tempore Germaniam perlustraret. Hæc in nullius invidiam dicimus, sed studio veritatis, qua nihil charius veram, non à fabulis emendicatam, gloriam diligentibus. Cùm igitur Wessonis, à quo nomen accepimus, non solùm posteritas, sed etiam antiqua sedes interierit, gratulamur nobis non modò in hæc usque tempora conservatam, sed etiam summis dignitatibus magnificentissimè illustratam Tharingeri posteritatem, in qua sanguis ille

pro-

progenitoris relictus vivit, qui oculatus testis & admirator aderat, cùm Thassiloni fontem Wesso ostenderet.

38. Oportunè, dum hæc scripseram, certa relatione accepi, Comitibus Taringanis de Seevelt ad avorum ferè memoriam paruisse Raistingam, & anno primùm 1643. ab hac familia certis pactis in jus Monasterii Diessensis transiisse. Verè igitur usque ad prædictum annum vocari Raistinga vicus Taringeri potuit, tunc nempe, cùm Töringeris subesset: verùm non videmus, quomodo Raistinga ante veteres Seeveldios potuerit sic vocari, nisi etiam ante mille aut certè octingentos annos usque ad annum 1196. (quo primum nobilem Weichardum Dapiferum de Seeveld Hundius Parte I. Stemmatum profert) Taringeris paruerit, aut sedem ibidem habuisse hæc familia uspiam ostendatur. Gratis certè vicus Taringeri in documento nostro non nominatur, nec sine causa Taringer quidam in antiquo Diptycho seu fautorum nostrorum catalogo memoratur, ut in Parte II. hujus Historiæ videre est *Pag. 47. & 48. Nota* (o) Non dubito, quin in Illustrissimæ Gentis tabulario certiora lateant argumenta.

39. Tempus jam est, ut ad propositum revertamur. Quod Documentum nostrum docet, *in crucis modum* bulliisse fontem istum Wessonis, ejus asserti fidem hodiedum oculi faciunt; unus enim fontis rivus in medio à septentrione meridiem versùs, alius à dextris, tertius à sinistris in unum confluentes, atque ex colle jam conjuncti in piscinam descendentes, crucis figuram exhibent. Utut in Annalibus nostris adversa fata & calamitates sterilitatis ac siccitatis sæpiùs memorentur, nunquam tamen hi fontes, Divino nobis beneficio dati, exaruisse leguntur, sed in hodiernum diem tam copiosas effundunt aquas, ut non solùm omnibus Monasterii necessitatibus, commodisque, sed etiam accolis ubertim sufficiant, imò & plura earum impetu molendina versentur. Illud memoriá dignissimum, quòd aquam ex hoc fonte allatam Beatus Waltho Abbas benedictione sua in meracissimum vinum converterit. Antiqua Fontis veneratione commotus Benedictus eo nomine tertius Abbas, qui ab anno 1589. usque in annum 1598. præfuit, horum fontium decôri & firmitati saxeis marginibus providit. De Walthone & Benedicto Abbatibus suo loco plura dicentur.

Ibi Rex Monasterium ejusdem nominis cooperante sibi Bonifacio ædificavit, & possessionibus ampliavit.

40. Quæretur fortasse, quandonam & ubi terrarum Thassilo ex Duce Rex fuerit factus? Neutiquam enim credibile videtur, quod Vitus Arenbeckius (W) scribit; debellato nempe ad preces Adriani Papæ Desiderio, ultimo Longobardorum Rege, Thassilonem Caroli Magni precibus de-

D victum

victum atque contra Longobardos profectum, cùm prosperè gessisset omnia, ab ipso Carolo Magno in Regem Longobardorum fuisse præfectum. Nimiùm enim genio Thassilonis repugnat, ut gener contra socerum bella gereret. Neque chronologia id patitur. An potiùs Longobardorum Regis nomen ideò sibi arrogavit Thassilo, vel à Boiis sibi adulantibus datum toleravit, quòd socer Desiderius aliquam Longobardiæ portionem in finibus Tyrolis eidem gubernandam concesserit? Et hoc quidem opinari tolerabilius. Nam licèt Longobardi Bojariam antehac mutilaverint, Majas occupaverint, atque inde S. Valentini corpus Tridentum detulerint, mutatus tamen est postea rerum status, & Desiderius genero suo Thassiloni partem ditionis cessit, qua etiam opportunitate usus Thassilo S. Valentinum Tridento Passavium transtulit. Videatur Caroli Meichelbeck Historia Frisingensis. (X) Cæterùm denuò nomen *Regis* anticipat hoc loco Scriptor noster, cùm utique Thassilo anno 753. Pippino fidelis fuerit, neque conjugi Longobardicæ jam conjunctus.

41. Quòd verò cooperante Bonifacio Thassilo Monasterium nostrum ædificâsse in Instrumento asseritur, novam difficultatem excitat. Eckhartus martyrium S. Bonifacii anno 754. accidisse affirmat: (Y) quomodo igitur priore anno in Bojaria fuisse, & cooperari potuit? Clarissimus P. Meichelbeckius lucem haud paulò majorem affert extricando huic nodo; ait enim, quòd idem S. Bonifacius, anno 753. subrogato sibi in sedem Moguntinam Lullo, in Frisiam redire animo constituerit, in qua anno 755. martyrio sit coronatus. Potuit ergo, cùm hæc agitaret consilia, Bojariam suam revisere, Diœcesium à se institutarum statum inspicere, Thassiloni adolescenti Utilonis patris exemplar inculcare; &, si non ad culmen perductæ Ecclesiæ nostræ, primo certè lapidi ac templi fundamentis benedicere, indéque, Lullo sibi Moguntiæ substituto, iter in Frisiam adornare, ubi ex calculo Meichelbeckii post biennium mortem pro Christo sustineret. (Z) Et fortasse hæc omnia expediri poterant, etiam usque ad anni 754. æstatem, si præsertim, juxta documentum S. Emmerami, Thassilonis venatio contigit anno 752. in autumno videlicet, vel hyeme insequentis anni initiis. Hac ratione etiam consecrare Bonifacius potuit non quidem majorem S. Petri Ecclesiam, sed aliam tumultuario opere excitatam in honorem Deiparæ, de qua Codex noster (aa) sic loquitur: *Ilsungus cum aliquibus fratribus eligitur primus Abbas ex Monasterio S. Mauritii Altabense per Thassilonem Ducem & Fundatorem; & sic repositus fuit in Capellam S. Mariæ V. quæ vocatur usque hodie das alt Münster, ibique compleverunt orando & psallendo horas canonicas usque ad restaurationem majoris Ecclesiæ.* Hæc omnia scriptor noster ad annum 758. Illud nemo inficias

sicias ibit, Landfrido Abbati & fundatori Benedictoburano, propagatione Instituti Monastici tunc maximè florenti, fuisse commendatum à Thassilone novellum nostrum Monasterium, ab eóque quosdam è suis monachos huc missos; donec Ilsungus ex inferiore Quercu vocaretur, laboris parte eum levaturus. Certè Landfridum per 25. annos tam in nostro, quàm aliis monasteriis menstrua Capitula celebrâsse, perantiqua documenta testantur. (bb) Atque his omnibus consideratis salva etiam manet Eckharti sententia, quam solidissimis argumentis tuetur, S. Bonifacium anno 754. ad Superos transiisse.

42. Additur in Instrumento: *& possessionibus ampliavit.* Quibus illis? Cœpimus, occasione Tharinganæ Gentis, veteres territorii Wessofontani limites recitare. Addimus nunc cætera: *de Hengestisbach ad Bilstein. de Bilstein usque ad plateam Suuabessnetta. de Suuabesnetta ad Sbarawaresbach. de Sbarawaresbach ad Rottam flumen. Eodem autem flumine decurrente ad prædictum rivum Bibarbach tendunt.* Ne hujus quidem fragmenti nomina singula hodie in usu sunt. Hoc tantum animadverto, limites territorii à foresto meridiano iterum tendi ad occidentem versùs Lycum fluvium, in quem altera seu occidentalis Rotta defluit, atque hinc ad Bibarbach, unde denuò initium sumitur ad Lanchuuate, & cætera: ita ut Monasterium nostrum quasi in centro positum circumquaque unius horæ seu semimilliaris spatium possideret; & tale quidem, quod densis ubique silvis obsitum nihil ferè ad vitæ humanæ usum suppeditaret, nisi labore manuum per primos inquilinos monachos excoleretur: donec benedicente Domino mancipia quoque per fidelium pietatem adjicerentur. Verùm primævam hanc tenuitatem alio quoque dono ampliâsse cœnobium Dux pientissimus legitur hisce verbis: (cc) „ Notum sit omnibus Christi fidelibus, quòd Tazzilo rex Bauarorum tradidit villam Risbach, in qua „ sepulta est Sancta Wolfsindis virgo & martyr, ad Wezzinsbrunnen ad „ altare S. Petri omnes census predii nomine routi & locorum ad idem „ pertinentium, id est, pecorum, tritici, mulcii, panum, altilium, „ ovorum, lini, ac omnium ad censum pertinentium, fratribus ibidem „ Deo & S. Petro servientibus. Qui rex primitus congregationem Wezzinsbrunnensem cum prediis suis in Augustensi regione sitis Deo & S. „ Petro Apostolo constituit. §. Festum Sanctæ Wolfsinde Virginis „ & Martyris semper celebratur quarto nonas Septembris cum duodecim lectionibus, ut patet in Kalendario antiquissimo Abbatis Benedicti, quod idem conscripsit. „ De hoc documento frequentior deinceps redibit sermo.

Ubi primus Abbas Ilsungus Altahensis Monachus, qui post quadraginta & unum annos, quibus religiosè præfuit, secundo Idus Maji diem obiit, & in meridionali plaga Ecclesiæ sepultus est.

43. Hunc articulum inferiùs in actis Ilsungi magis elucidabimus: hoc tantùm hìc insinuâsse sit satis, quod hic ipse obitûs dies Ilsungo per instrumentum hoc assignatus, diligenter insertus inveniatur paulò ante laudato antiquissimo Benedicti Abbatis Calendario. Id quoque, quod in meridionali Ecclesiæ plaga sepultus dicatur Ilsungus Abbas, itidèm paulò pòst declarabitur, ubi de eodem ex instituto agemus.

Otilo prius rex, postea Bajoaria in provinciam redacta dux Altaha monasterium ex suo fundavit alodio.

44. Bajoariam, Grimoaldo Duce interfecto, à Carolo Martello: à filiis hujus Pippino & Carolomanno, Otilone duce fugato, Francis subjectam fuisse, copiosè Historici docent, (dd) cùm iste Francicæ, filius verò ejus Thassilo Longobardæ uxoris thalamo, uterque potentiæ magnitudine freti, parúmque gratos pro auxilio variis bellis præstito Francos rati, jugum eorum excutere frustra niterentur. Illud quoque dubio caret, S. Pirminii suasu Monasterium Nideraltahense ab Otilone fuisse fundatum. (ee)

Et sepultus est Utilo cum uxore in Osterhoven.

45. Id confirmant plures Authores de Utilone & Hiltrude. (ff) Alii Nideraltachii Utilonem monachum factum obiisse & sepultum fuisse Utilonem existimant. (gg) Marcus autem Velserus novam quorumdam opinionem affert, ad annum 765. ita scribens: *proximo anno Utilo fatis concessit. Sunt qui Osterhovæ ferant cum uxore conditum, & monumenta monstrantur. Alii Gengenbachi extra Boicam obiisse produnt. Ego illis credo, qui in monachum tonsum, Altachium inferius incoluisse, & ibi sepultum scribunt.* (hh) Quisque desuper, quod vero similius videbitur, sentiat: quo anno obierit Utilo, satis inter Authores controversum. Superiùs aliquid in aliam sententiam diximus: verùm cùm Clarissimus Meichelbeckius aliud ex Documentis Frisingensibus doceat, quàm ex *Brevibus Notitiis* Salzburgensis Ecclesiæ me deprehendisse putabam, nihil ausim decernere. Quantum porrò ad Hiltrudem attinet, accuratissimi Eckharti divinationem itidem alio loco expo-

exposuimus, quod ut Hiltrudi honorificum, ita nobis, ut pugnemus, non necessarium est, libenter manum dantibus antiquæ, sicubi inventa fuerit, veritati.

Quod nihilominus Monasterium, nimirum Osterhovense, *sub regula S. Benedicti egregiè satis Dux ipse*, Utilo, *construxerat.*

46. Ea potuisset esse causa Utiloni, ut in loco suis impendiis fundato tumulum quoque optaret, de quo paulò antè. Fundationem hanc Aventinus & Brunnerus Utiloni tribuunt: (ii) de sepultura variæ sententiæ, ut ex Velsero audivimus: nos Osterhovæ, ubi lapides sepulcrales extare dicuntur, nihil abrogatum volumus. Quòd sub regula S. Benedicti constructum hoc cœnobium fuerit, ab Hungaris autem desolatum, tutò creditur Aventino: sed, quòd idem anno 765. intereiderit, apud Hundium asserenti fides haberi difficilè potest, cùm nihil tunc turbarum ab Hungaris motum legatur, sed serius, anno nimirum 788. & 790. uti testatur Eckhardus (kk) & Chronicon Nideraltahense. (ll) Primam Osterhovii regulam fuisse, quam S. Benedictus dictavit, dubitare non licet, cùm S. Bonifacius eam ipsam Fuldensibus suis sequendam tradiderit, eamdémque jam non solùm Cœnobia illo tempore condita, sed etiam Cathedrales Ecclesiæ Salisburgensis, Eustettensis, Frisingensis fuerint secutæ.

47. Hactenus Instrumentum nostrum elucidâsse, Ducémque Thassilonem nobis Fundatorem vindicâsse contenti, ingenuè fatemur, in Calendario Benedicti Abbatis antiquissimo, quod Necrologii simul usum Majoribus nostris præbuit, ad diem 3. Idus Decembris hæc verba inveniri: *Thassilo Dux, qui Congregationem istam perfecit, obiit.* Si horum verborum sensus esse à quoquam propugnetur, rem eò usque imperfectam à Thassilone fuisse perfectam; quæritur, quis facere cœperit? Nec Cœnobiarcha ille Landfridus, nec alius quispiam in toto illo Calendario invenitur, cui id laudis tribuatur. Credimus ergo, id ideò dici, quòd proprium Abbatem Thassilo dederit Monasterio ex inferiore Quercu adscitum, cùm illud priùs à solo Landfrido gubernaretur: quódque idem Dux præter territorium superiùs numero 34. & 42. assignatum, quod parum sufficere 25. Monachorum sustentationi videbatur, Reyspacensem quoque dotem adjecerit, de qua ibidem diximus. Atque ita verè Thassilo *hanc Congregationem perfecit*. Cæterùm negare nec volumus, nec possumus, quòd, nisi majore testium authoritate niteremur, & soli verita-

ti literę studeremus, præstaret utique, ultrò in illorum Authorum sententiam ire, qui contra Thassilonem nobis Landfridum & fratres ejus tribuunt Fundatores. Certè ex majori antiquitate Monasterii major quoque splendor nobis accederet; decimum enim sæculum jam tredecim annis superâsse gloriaremur.

48. Quæ Thassiloni aliàs è fabulosis membranis vel codicibus adscribuntur, nobis assumere nolumus, uti & miracula, siqua fundationibus affictă leguntur, scribentium fidei relinquimus, quibus placuit rebus antiquitate sat tutis colorem non necessarium inducere. Rem ipsam, quæ vel oculis cernitur, vel in monumentis hodiedum extantibus, & veræ antiquitati testimonium perhibentibus, quæque difficilè negari vel ab altero authore verum firmúmque fundamentum accipere potest, attendimus: non illa, omni veterum testimonio destituta, exempli causâ, titulum Regis Longobardorum Thassiloni attributum; ejusdem per ignitas pelves jussu Caroli M. excæcationem: jam in monachum tonso in templo Laurissensi præstita ab Angelis obsequia, ipsi Carolo visa: denique peregrini habitu quæsitum in claustro latibulum, ac seram tandem, in mortis articulo ac foribus æternitatis, generis & conditionis suæ factam Monachis revelationem: hæc, inquam, & alia ejusdem farinæ cum oculatioribus Historiographis inter apocrypha collocamus.

(a) *Num. 12.* (b) *eod. num. 12.* (c) *Chronicon Gottwic. Tomi I. lib. 1. cap. 1. post fol. 38.* (d) *Codicis Litt. C. insigniti pag. 52.* (e) *Cap. 9. fol. 25.* (f) *Rer. Boic. Lib. 5. f. 151.* (g) *Hansiz Tom. 1. Germania Sacra fol. 132. his verbis:* Otilo Dux, Ecclesiæ Pataviensis & monasteriorum complurium fundator. (h) *Idem Hansiz Tom. 2. Germ. Sac. fol. 14. 22. 24.* (i) *Vid. Histor. Frising. P. Caroli Meichelbeck Tomi I. parte II. fol. 3. num.* XI. (k) *Falckenstein Antiquitatum Nordgav. Parte I. cap. 1. §. IX.* (l) *num. 22.* (m) *Hist. Frising. Tom. 1. Parte 1. fol. 48. 49.* (n) *German. Sac. Tom. 1. fol. 134. num. 4. & Tom. 2. fol. 78. num. III.* (o) *Chron. Nideralt. fol. 9. & 10.* (p) *§. 1. num. 1. in Notis* (d). (q) *Eckhart Tom. I. Rerum Francicar. fol. 385. & seqq.* (r) *Lib. 14. Rer. Franc. num. 23. fol. 546.* (s) *Eckhart Lib. 22. R. F. num. 17. fol. 385.* (t) *Suprà §. I. num. 3. Notâ* (t) *ex Eckharto.* (u) *Vid. Index Geographicus, & Mappa folio 527. præfixa G. H. q.* (w) *§. 3. num. 22.* (x) *Meichelb. Hist. Frising. Tom. 1. P. 1. cap. 3. §. 2. fol. 58.* (y) *Hansiz Germ. S. Tom. 2. fol. 14. num. IV.* (z) *in citata Defens.*

Arnul-

Arnulphi Mali fol. 89. (*) *Vide Mappam Chronici Gottwicensis Tom. 1. fol. 527. G. o. p. de Rotagowe.* (A) *Eckhart Rer. Francic. Tom. 2. Lib. 28. fol. 143.* (B) *Hund. Metrop. Tom. 2. fol. 111. de bello Manegoldi & Ottocari.* (C) *Idem ibidem fol. 114.* (D) *Velserus Rerum Boicar. Lib. 5. fol. 152.* (E) *Chron. Gottwic. Tom. 1. Lib. IV. §. XX. fol. 542.* (F) *Fortun. Hueber sub titulo:* Unsterbliche Gedächtnuß ꝛc. *Ingolstadii 1670. fol. 241. & Agnell. fol. 91. num. 5.* (G) *Marcus Velserus Rerum Augustanarum Vindelicarum libros octo scripsit. Endter Bibliop. Norimberg. novos edidit anno 1682. Vide ibi à pag. 183. & Indicem: LYCUS, LYCATES.* (H) *Simon Rettenbacher Annal. Cremifan. Lib. I. cap. 8. fol. 22.* (I) *Editum secundò Londini anno 1682. per Rogerum Dodsworth, & Gulielmum Dugdale.* (K) *Editum Francofurti ex officinâ Weidmanniana anno MDCCXXXVII.* (L) *Annal. Cremifan. Lib. I. à fol. 24. ubi Thassilo dicit:* statui quoque & Ego - - - ut monasterium ædificarem. *Testes Episcopos, Comites, Abbates lege fol. 27. ibidem.* (M) *Vide eod. fol. 27. Dotem amplissimam.* (N) *in Agonisticis Dilingæ editis anno 1626. Lib. 2. num. 9. 10. 11. 16. &c.* (O) *Hist. Frising. Tom. 1. P. 1. Dissertat. 2. Prolegom. fol. XII.* (P) *Hund. in Stemmatographia Bavariæ P. 2. Verbo* Törring. *Khamm in Hier. August. Parte Regulari.* (Q) *Hund. Metrop. Tom. 3. fol. 485.* (R) Balthereszella, *bodie* Paterzell, *ex quo loco decem plùs minùs abhinc annis magna pars agri, aquarum vi suffossa, in lacum Zellensem repente delapsa est.* (S) *Hund. Stemmatographia Bavar. Lib. 2. fol. 319.* (T) *apud Hund. Tom. 3. Metrop. fol. 471. Instrum.* Cunctorum &c. (U) *Eckhart. Rer. Franc. Tom. 2. Lib. 28. fol. 143.* (W) *Chronic. Bajoariorum Lib. 2. cap. 37. in Anecd. Pezii Tom. 3. P. 3. col. 102.* (X) *Hist. Frisingens. in Actis Aribonis §. 4. fol. 65. Conferatur Eckhart. Rer. Franc. Tom. 1. fol. 580. & 610.* (Y) *Rer. Franc. Tom. 1. fol. 540. num. XIX.* (Z) *Hist. Fris. T. 1. fol. 56.* (aa) *Codex E. fol. 162.* (bb) *Codex noster C. fol. 7. & Tom. 3. Anecdot. Pezii Partis 3. colum. 602.* (cc) *Codex MS. D. fol. 36.* (dd) *cum multis Eckhartus Tom. 1. Rer. Franc. fol. 350. ad annum 725. & fol. 456. ad ann. 743.* (ee) *Chron. Nideralt. Haidenii fol. 1. & Hund. Metrop. Salisb. Tom. 2. fol. 1.* (ff) *Hund. Metrop. Tom. 3. (ex Aventini Annalium fol. 514.) Verbo:* Osterhoven *fol. 6.* (gg) *Chron. Nideralt. fol. 10.* (hh) *Rer. Boic. Lib. 5. fol. 154.* (ii) *Aventinus apud Adelzreitter P. 1. Lib. 20. col. 546. Brunner. P. 2. Lib. 5. col. 170.* (kk) *Tom. 1. R. Franc. fol. 728.* (ll) *fol. 24. & 25.*

§. IV.

§. IV.

Ecclesiæ Cathedrales, & Monasteria, quibus Thassilo vel initium, vel incrementum dedit.

I. Salisburgensis Ecclesia.

VIxdum prætextam posuerat Thassilo cùm jam benefacere locis DEO dicatis cœpit, ac præprimis Ecclesiæ Salisburgensi, à qua non ignorabat primariam illatæ in Bojariam veræ Fidei scaturiginem promanâsse. Magnus extat Donationum catalogus, quibus munificentiam suam testatus est. Ut compendio utamur, tradidit in pago Tonagoe (a) villam Puechensem cum plusquam triginta colonis, aliámque juxta Danubium sitam cum vineis. In pago Vilsgoviensi circa Vilsam fluvium in loco Riuti seu Reut (b) donavit colonos duos. In pago Salzburgoviensi dedit villulam *campi Romani* nomine vocatam cum triginta tributariis. Adjecit salinas, servos, cellas. Hæc, sicut alia plura, contulit Thassilo de possessionibus sibi propriis: tum etiam Liberis Bajoariis amplam facultatem dedit, sua quoque Salisburgensi Ecclesiæ conferendi: quæ, ne prolixior sim, apud Hansizium Tomo secundo Germaniæ sacræ legi possunt. (c) Prima Thassiloni ad munificentiam dux fuit Hiltrudis mater, ut apud eumdem ex libello Donationum refertur. (d) Unde ex vero Scriptores Boici testantur, asserente eodem Hansizio, vix ullo sæculo majores in Boica factas ad divinum cultum accessiones, quàm Utilone, ejúsque filio Thassilone Ducibus. (e) Certè quanta tum ipse Thassilo de facultatibus suis Ecclesiæ Salisburgensi donaverit, tum à subditis suis donari clementer concesserit, describere volenti plures vix paginæ sufficerent. Satis esto, ejus egregium propagandæ Christianæ Fidei Zelum commendâsse, quo incensus rebellem sæpius Carantanorum gentem armis ita domuit, ut nihil deinceps seditionis fuerit motum, & Carinthiæ accessu aucta hodie glorietur Metropolis. (f)

(a) *Pagus antiquis Germaniæ Scriptoribus non vicum* (ein Dorff) *indicabat, sed integrum terræ districtum pluribus villis ac vicis constantem: trahebántque plerumque nomen à flumine, uti hîc Tonagoe à Danubio, Filusgaoe à Vilsa, & alibi Isanagaoe ab Isena, Rotagowe à Rota.* (b) *Loci istius censum Monasterio nostro à Thassi-*

Thassilone donatum fuisse, superiùs diximus §. III. num. 42. in fine. (c) Fol. 14. & 15. (d) Hansiz ibidem fol. 85. n. XXI. (e) idem T. 1. Germ. Sac. fol. 134. n. V. (f) idem ibid. fol. 93. n. XXXVII.

2. Frisingensis Ecclesia.

HÆc etiam Cathedralis Ecclesia incrementum nòn modicum Thassiloni debet, ut videre est apud Clar. Meichelbeckium (a) in Parte Instrumentaria, ubi tum illius liberalitate de propriis tradita, tum à subditis ex ipsius licentia complura donata inveniuntur. Singularis est illius *Traditio* de Campo Gelau quod dicitur India, qua territorium peramplum circa Inticam seu Inchingam in Tiroli Attoni Abbati Scarantiensi, & per eum, postea Episcopum, Ecclesiæ Frisingensi concessit *propter incredulam generationem Sclavorum ad tramitem veritatis deducendam.* Inchinga porrò, quæ antiquis *India* & *Intica* appellabatur, oppidum est hodierni Comitatûs Tyrolis, qua parte Carinthiam respicit, & hodiedum ad Frisingensem Ecclesiam spectat. (b) Grande & alterum Thassiloni beneficium hæc Ecclesia in acceptis refert, quòd ipsius voluntate & assensu Frisinga receperit Sacras Exuvias S. Corbiniani primi Episcopi & Fundatoris sui, quas ipse Dux è Majensi castro reportatas triumphabundus excepit. (c)

(a) *Histor. Frising. Tom. I. Parte 2. f. 30. &c.* (b) *Ibidem fol. 38. num. XXII.* (c) *Ibidem Parte I. fol. 65. 66.*

3. Passaviensis Ecclesia.

SAtis prædicatur Thassilonis cum Utilone patre effusa in hanc Ecclesiam liberalitas in Diplomate Arnolfi Imperatoris (a) „ laudante traditiones, quas fecerant ob ejusdem sanctæ Pataviensis Ecclesiæ restaurationem vel amplificationem, ad eamdem Sedem areas & mercatum „ cum integro thelonio suo, ac mancipia utriusque sexûs, molendina, „ piscationes & vineas, & quidquid in eadem urbe vel circa eam visi sunt „ in proprium possidere, nihil extra dimittentes, sed omnia in omnibus „ sancto Stephano (b) sanctóque Valentino jure perenni tenenda tradentes. „ Hansizius ex Andrea Ratisbonensi testatur (c) *Thassilonem* Pataviam civitatem instauràsse & renovàsse: Episcopatûs Sedem, quæ apud Laureacum erat, *inibi constituisse*, nempe Utilonis cœpta perfecisse & stabilisse. Magno suo in eamdem Ecclesiam merito *Sacras Divi Valenti-*

ni ejusdem civitatis olim Episcopi Reliquias Thassilo Dux Tridento in Ecclesiam Pataviensem non sine maxima veneratione reportari jussit. (d)

(a) *Hund. Metrop. Salisb. Tom. I. fol. 349.* (b) *tanquam Ecclesiæ Passaviensis Patrono.* (c) *Tom. I. German. sac. fol. 138.* (d) *Meichelbeck Hist. Fris. Tom. I. P. I. fol. 65.*

4. Altahæ inferioris Monasterium.

ANtiquissimum hoc Monasterium nomen traxit ab antiqua Quercu, in qua veteres Boij superstitiosum cultum Isidi exhibebant. *Inferior* dicitur ad distinctionem à *superiori* Altaha juxta situm inferiorem ad ripam Danubii. Constructum fuit suasu S. Pirminii (a) Episcopi Metensis vel Meldensis, & deinde fundatum ac dotatum ab Utilone Duce, Thassilonis nostri genitore, anno 731. Utilonis munificentiam æmulatus Thassilo *plurima prædia huic Monasterio dedit*, (b) unde & Haidenius eumdem vocat *alterum & munificentissimum Fundatorem.* (c) Quanti hoc Monasterium, monasticæ disciplinæ vigore jam tunc celeberrimum, æstimaverit Thassilo, satis patet ex eo, quòd magnificentissimè à se fundato Monasterio Cremifanensi Fatericum ex inferiori Quercu, (d) sicut Wessofontano Ilsungum, Abbatem præfecerit.

(a) Metensis *Hundio Tom. 2. Metrop.* Meldensis P. *Placido Haiden in Chron. Nideralt. edito Ratisbonæ anno 1732. fol. 1.* (b) *Hund. cit. T. 2. fol. 1.* (c) *Chronic. cit. fol. 13.* (d) *Rettenbacher Annal. Cremifan. lib. 1. cap. 8. fol. 23.*

5. Avv, seu Augiense Monasterium.

INter Monasteria à Thassilone aut fundata aut dotata hoc etiam numeratur; inter dona enim Salisburgensi Ecclesiæ à Duce collata recensetur etiam Cella, quæ vocatur Auve, constructa à Balduino & Rhodberto Presbyteris cum licentia Thassilonis Ducis super ripam Eni fluminis: qui & sex prædia de villa Ascauoë tradidit una cum hac Cella ad Ecclesiam S. Petri Salisburgi. (a) Monasterium hoc Hungarorum illuvione perditum novos fundatores nactum est Comites Medlingenses Chunonem & uxorem ejus Adelheidem. Illum anno 1020. sepultum lapis sepulcro impositus perhibet, (b) Hartwicum primum Canonicorum ibidem Præpositum Hundius exhibet ad annum 1068. (c) Qui Conradi Archiepiscopi,

ſcopi, & Cathedralis Capituli Salisburgenſis exemplum fervidè ſecuti hodiedum S. Auguſtini regulam ſequuntur.

(a) *Hanſiz. T. 2. Germ. Sac. fol. 16. num. XII.* (b) *Agnellus fol. 93.* (c) *Metrop. Salisb. Tom. 2. fol. 132.*

6. Benedictoburanum Monaſterium.

NUlli Boicorum Monaſteriorum ſplendore ſecundum (a), à Landfrido, Waldramo, & Elilando fratribus fundatum, Thaſſilo quoque noſter dotavit, ut gemini noſtri Manuſcripti Codices teſtantur, primus Sebaſtiani Ranck Presbyteri, alter Anonymi Monachi, quorum verba recitâſſe ſufficiat: *Tunc*, dedicatâ nimirum Eccleſiâ Benedictoburanâ, *dedit Thaſſilo Dux, cum preſentium tamen teſtimonio, ſancto Benedicto Mutilſtat, Oeltingen, ſingulas cum ſingulis eccleſiis & molendinis. Idem dedit XX. Manſus Rotbach &c. cum pertinentiis ſuis: & alii ſui ſuorúmque momenta.* (b) Et hæc certè in gratiam Landfridi donata, qui curâ verè paternâ Monaſterium noſtrum pluribus annis, etiam Ilſungo jam præſule, cum aliis Lycatiæ Monaſteriis tanquam Archimandrita gubernavit.

(a) *Elogium à P. Agnello datum in Arnulpho defenſo fol. 94.* (b) *in Libro Anonymi MS. ſub Titulo:* Chronica Fundationum &c. *& Sebaſt. Ranck in Collectura Monaſteriorum* pag. D. 4. averſâ.

7. Chiemſee Virorum Monaſterium.

MOnaſterium in inſula majore lacûs Chiemenſis jam Thaſſilonis ævo ſtetiſſe extra controverſiam eſt poſitum: quis primus illud erexerit, haud ſatis liquet. (a) A Thaſſilone fundatum rotundè aſſerit Aventinus: dotatum ab eodem palàm hodierni inquilini fatentur & oſtentant. Ab Otilone duce donatam ſibi inſulam illuſtravit Dabda Græcus, S. Virgilii comes & adjutor, Epiſcopus nempe *regionarius*, dum ſcholam publicam in eadem aperuit. Dabdæ ſucceſſit Lupus, ordinatus de Juvavenſi Sede, quæ à S. Ruperti tempore penes Benedictinos erat. Et quoniam Dabda agmina diſcentium habuit quamplurima, major ex his cœtus accrevit, ſæculo renunciare volentium: quorum ſuſtentationi haud dubiè Thaſſilo providit, utpote Otilone jam mortuo Bavariæ Dux. Anno 782. conſtructa eſt Baſilica & Monaſterium, cui Luitfridus Abbas anno 804. præfuiſſe con-

convincitur. (b) Hungarorum postea irruptione fuisse vastatum, nemo facilè negaverit. Theodmarus dein Archiepiscopus ab Arnolpho Rege anno 891. Fridericus successor ab Ottone Imperatore anno 969. eam *Abbatiam* obtinuêre. (c) Inde, sicut aliis pluribus locis factum est à Monachis per Hungaros pridem fugatis transiit, Salisburgensium Canonicorum exemplo, ad regulam S. Augustini, Præposito primo Beato Hartmanno, qui postea ad Episcopatum Brixinensem translatus est. (d) Demum etiam Episcopatus Chiemensis ab Eberhardo II. Archiepiscopo fuit institutus anno 1215. (e) Quæ omnia, tamquam pulcherrimi *fructus manuum* Thassilonis, commemorata sunto.

(a) *Agnellus fol. 95.* (b) *Hansiz Tom. 2. Germ. S. fol. 80.* (c) *Hund. Metrop. Tom. 2. fol. 235. & 236.* (d) *Idem ibid. fol. 239.* (e) *Hansiz l. c. fol. 322.*

8. Chiemsee Virginum Monasterium.

MOnasterium istud Sanctimonialium sub Divi Benedicti regula, non Canonissarum ad leges S. Augustini, militantium (quod Agnello, & ante ipsum in *Relationibus Curiosis Bavariæ* Ertelio excidit) in alia minore, hominum tamen cultu frequentiore, ejusdem lacûs insula priori vicina situm, hodiedum egregiè floret, & omnium consensu, Thassilonis pietati fundationem suam refert acceptam, (a) qui quòd eo tempore regem se ferret, & regii sanguinis aliquot Abbatissæ hîc tenuerint clavum, ideò regii Parthenônis titulo hoc Monasterium gaudet, & noviter electæ Antistitæ, dum solemnis ei ab Episcopo impenditur benedictio, regia corona imponitur. (b) Henricus IV. in Diplomate suo Thassilonem & Fundatorem & Regem vocat. (c) Nihil moror Adelzreitteri crisin, qua Gossenses & Chiemseenses Virgines pervicaciæ arguit, quòd *tametsi res suas in commune haberent*, Conradi Archiepiscopi regulam Augustinianam suadentis voto non obsecundârint. Inhæsère videlicet regulæ semel susceptæ, & illæ quidem sub Admontensium, hæ verò Seonensium spirituali cura perseverant. (d)

(a) *Agnell. pag. 96. lin. 1.* (b) *Idem ibid.* (c) *Hund. Tom. 2. Metrop. fol. 241.* (d) *Part. 1. L. 20. n. 5. col. 530. apud Adlzreitt.*

9. Cremifanense Monasterium.

ABsque ulla controversia à Thassilone Bavariæ Duce fundatum, magnisque accessionibus per Imperatores Carolinos auctum, cùm, ut

erat primis Hungarorum irruptionibus obvium, ab iisdem vastatum per annos plusquam centenos in ruinis jacuisset, S. Henrici Imperatoris & Bavariæ Ducis pietate, & S. Gothardi Altahensis Abbatis operâ denuò restitutum, ad eximium splendorem emersit, (a) quem hodie maximis virtutis, doctrinæ, fortunarum incrementis auctum summa cum gloria conservat. Idem, ne originis primæ oblitum videretur, non solùm S. Godehardum, sed alios quoque natione Bojos Abbates elegit, quorum Placidus Buechauer & Erenbertus Screvogl, uterque Schongavii natus, uterque electus Abbas, magnis laudibus à Simone Rettenbacher celebrantur. (b)

(a) *Rettenb. Annal. Cremif. Lib. 1. c. 8. 9. & seq. Item L. 2. c. 5. f. 131.*
(b) *Idem ibid. L. 3. c. 13. num. 56. & 57.*

10. S. Emmerami Principalis Ecclesia.

MOnasterium hoc celeberrimum & antiquissimum incrementa quædam Thassiloni nostro debere narratur ab Hundio, cujus verba (a) recito: *De licentia Thassilonis, Ducis Bavariæ, aliqua traditiones ad Casam constructam, in honore S. Petri & S. Haimerani sunt factæ; inter alias una, anno Ducatûs ejus XIII. ex quo constat Ecclesiam fuisse ante Carolum Magnum constructam.* Et quibusdam interpositis addit: *Anno 752. Sympertus Ratisbonensis Episcopus Monasterium S. Haimerani jussu & sumptibus Caroli Magni Imperatoris magnificè incepit.* Quod, dissimulatis antichronismis, sic intelligendum, quòd S. Emmerami Ecclesia ex tenuibus principiis, ùt magna ferè omnia solent, ad majorem splendorem â Carolo M. fuerit perducta, tamquam primorum Ratisbonæ Præsulum propria Sedes. Quàm addicti post Thassilonem huic Ecclesiæ fuerint alii Bavariæ Duces & Electores, largiter explicat (b) in Dedicatione Ratisbonæ Politicæ ad Serenissimum Carolum Albertum, postea Imperatorem, ANSELMUS Abbas, qui sopitam diu Principis dignitatem, Abbatibus S. Emmerami dudum propriam, hoc sæculo suscitavit: cujus virtutum & honoris hæredi Deus omnem felicitatem!

(a) *Metrop. Tom. 2. fol. 360.* (b) *Ratisb. Politica edita 1729. Ratisbonæ.*

11. Ensdorffense Monasterium.

SUperioris hodie Palatinatûs Asceterium ad Vilsam fluvium pro Monachis Benedictinis à Thassilone Bojorum Duce fundatum Arenbeckius

(a) & Hundius tradunt: (b) ille quidem in Chronico Bavariæ, iste verò in Stemmatographia his verbis: *Otto IV. Palatinus de Wittelspach fundat in Nordgoja Ensdorffium pro Benedictinis (istud verò Monasterium ipse solùm restauravit & renovavit; jam enim pridem fundatum fuerat à Thassilone Duce secundùm Vitum, & Aventinum) & in Bavaria superiore Indersdorffium pro Augustinianis.* Ac præterea in Manuscriptis Aventini post mortem ejus inventis ad annum 1605. additur: *Monasterium Ensdorff anno Christi MCXXI. readificari cœptum est; cujus fundator Otto Palatinus de Wittelspach &c.* (c) Liceat ergo Ottonem verum Ensdorffii fundatorem, sed *secundum*, dicere, utpote qui destructum *readificavit*; Thassilonem verò nostrum *primi* fundatoris nomine honorare, cui istud antiqua suffragia tribuunt.

(a) *Chron. Bav. L. 2. c. 35. apud Pez. T. 3. Anecd. part. 3. colum. 99.* (b) *Stemmatogr. Part. 1. Tit.* Scheyren &c. *fol. 135.* (c) *Hist. Ensdorff. sub Tit.* Mundi Miraculum S. Otto &c. *edit. Ambergæ 1730.*

12. Garsense Monasterium.

HOdie Archidiaconalis Ecclesia cum Collegio Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini ad ripam Oeni fluminis, olim Cella à Bosone Clerico ex licentia Thassilonis in honorem S. Petri Apostoli ædificata, ac à memorato Duce Salisburgensi Episcopo cum pluribus aliis prædiis donata est: (a) unde idem piissimus Dux à Rettenbachero (b) & Fortunato Hueber (c) ejusdem Monasterii Dotator dicitur. (d)

(a) *Hansiz T. 2. Germ. S. fol. 14. num. VI.* (b) *Lib. 1. Annal. Cremif. fol. 55.* (c) *Chron. Hohenwart. fol. 164.* (d) *Confer. Hund. T. 2. Metrop. fol. 128.*

13. Inchingense Monasterium.

INtica olim vocatum *in campo Gelau*, & hodierno Comitatu Tyrolis situm, ubi Dravus fluvius inter asperrima montium juga exoritur. Erat is locus eousque inaccessus & inhospitus, spatiosus tamen, & culturæ habilis, si colonorum industria accederet. Hunc locum Thassilo Attoni Abbati S. Petri Scarantiæ donavit, ad construendum in eo cœnobium, ut Monachorum operâ infideles Sclavi è vicino ad veram Religionem traduci possent. (a) Hodie ibidem assitum Municipium temporali Frisingensium Episcoporum dominio adhuc subjacet, sub Diœcesi tamen Brixinensi:

nensi : & Ecclesia jam sub Ottone I. Imperatore à Monachis ad Canonicos sæculares transiit. (b)

(a) *Hist. Fris. T. 1. parte 1. fol. 64.* (b) *Ibid. fol. 106.*

14. Mannseense Monasterium.

Situm est hoc ad lacum cognominem, & ab Utilone Duce Thassilonis patre fundatum anno Domini 748. (a) Chronicon Lunælacense à Viro pereruditо ac solerte concinnatum, & anno 1748. editum, de Thassilone nostro sic loquitur: „ Princeps hic religiosissimus anno 767. ut Co-„ dex traditionum refert; vel anno 771. ut Chronologia Abbatum ha-„ bet, Opportuno Abbati nostro amplissimam donationum paternarum „ concessit confirmationem, quas cùm multis adauxerit Redditibus, „ Censibus, ac prædiis, jure optimo Fundatoris secundi, vel Dotato-„ ris nomen promeruit. „ (b) Loco ab Hungaris vastato Henricus Sanctus Benedictinas Leges restituit, sub quibus etiamnum militat. (c)

(a) *Agnellus fol. 105. Rad. Bav. S. Tomo I. fol. 59.* (b) *Chron. Mannsee. seu Lunalac. pag. 8.* (c) *Agnellus l. c. ex Hund. & Gewoldo in Metrop.*

15. Mattseense Collegium.

Collegiata hæc sæcularium Canonicorum Ecclesia sub patrocinio S. Michaëlis Archangeli, Monasterium olim fuit, quod Dux Thassilo *fæcundus ille cœnobiorum parens* (a) fundavit. Quibus agitatum postea fatis fuerit, ac demum hodiernam in faciem restitutum, ex Hundio & Gewoldo solerter colligit Arnulphi Mali Defensor. (b)

(a) *Agnellus fol. 105.* (b) *Idem eod. fol. Confer. Arenbeck. L. 2. c. 35. Tom. 3. Anecdot. Pez f. 99. & Raderi Bav. S. Tom. I. fol. 85. Item Hansiz. tom. 2. Germ. S. in Corollariis num. CVI. fol. 967.*

16. Münchmünsteriense Monasterium.

Ordinis S. Benedicti quondam hoc cœnobium fuit, ad Danubium haud procul Vohburgo in Diœcesi Ratisbonensi situm, ac S. Petri honoribus dicatum. Thassilonem nostrum illud jactat authorem & fundatorem:

rem: (a) qua de re Gevvoldus antiquos versus recitat. (b) Seu Hungarorum, seu Arnulphi Mali sævitiâ vastatum & ad incitas redactum quasi à fundamentis denuo excitavit Dietpoldus Marchio Vohburgensis, adnitente etiam & promovente S. Ottone Episcopo Bambergensi, (c) & commendante illud Summo Pontifici Innocentio S. Conrado I. Salisburgensium Archiepiscopo. (d) Primus à restauratione Abbas fuit Richardus, ab Erbone Prislingensi Abbate concessus. Alium invenio Hartvvicum: item Conradum, & Guntherum. (e) Sed quid hæc multis? Monachis deficientibus sub initia decimi sexti sæculi Administratores dati sunt, & hoc cœnobium Collegio S. J. Ingolstadiensi anno 1598. attributum. (f)

(a) *Agnellus fol. 108.* (b) *T. 2. Metrop. f. 517.* (c) *Hist. Ensdorff. fol. 79.* (d) *Hund. T. 2. f. 523. num. V.* (e) *apud eund. in Bullis Pontificiis: Guntherum inter testes fol. 243. in fine.* (f) *Agnell. f. 109.*

17. Neresheimense Monasterium.

CElеberrimum in Rhœtia Benedictinorum Cœnobium sub patrocinio SS. Udalrici & Afræ hodie floret. Illud primitus fundatum fuit à Thassilone Bojorum Duce circa annum à Christo nato septingentesimum septuagesimum septimum. Proventibus deinde auctum est à Comitibus Dilinganis & Kyburgensibus, quorum Hubaldus I. S. Udalrici Episcopi Pater in eodem Monasterio à morte, quam anno 908. obiit, sepeliri voluit. Post populationem Hungaricam restauravit illud anno 1095. Hartmannus Comes de Dilingen, novámque Monachorum coloniam ex Zvvifaltensi Monasterio introduxit. (*)

(*) *Hierarch. August. Part. 3. Regul. fol. 302. & seqq.*

18. Pfaffenmünstrense Monasterium.

MOnasterium fuit inferioris Bavariæ duarum ferè horarum itinere Straubingâ dissitum, Divo Tiburtio sacrum, S. Pirminii hortatu ab Utilone Duce fundatum, à Thassilone filio ita amplificatum, ut à Vito Arenbeckio (a) etiam ipsa fundatio eidem tribuatur, ex verbis in Choro Weltenburgensi olim descriptis: *Thassilo Dux Bajoariæ Fundator hujus Ecclesiæ sex struxit in Bajoaria Monasteria, Weltenburg, Krembsmünster, Lorich, Wessesbrunn, Pfaffenmünster.* (b) Hungarica prædatione vastatum novos colonos ex Meten accepit Clericos, & demum Wilhelmi Bavariæ Ducis

cis pietate Straubingam translatum, tanquam Insignis Ecclesia Collegiata sub titulo SS. Jacobi & Tiburtii hodiedum floret (c)

(a) *Chron. Bajoar. l. 2. c. 35. fol. 98. in T. 3. Anecdot. Pez.* (b) *Cùm quinque tantùm, non sex, hîc referantur, supple ex Hund. Metrop. T. 3. f. 102. in Addit.* Polling. (c) *Agnell. fol. 115. Vide largiùs Hund. cit. loc.*

19. Pollingense Monasterium.

CEleberrimum istud Canonicorum Regularium S. Augustini Monasterium Thassilone Fundatore hodiedum gloriatur, maximè propter Crucifixi Salvatoris imaginem, quæ in summa ubique veneratione habetur. Neque fidem abrogamus vel Aventino, vel Documentis quibuscunque asserentibus, à Venerabili Landfrido Benedictoburani Monasterii Fundatore positas hîc initio fuisse Sanctimoniales Benedictinas. Post supremam illam Hungarorum illuviem, de qua jam sæpius; S. Henricum illud è ruinis erexisse, pariter fide dignissimum, atque Ordini Canonicorum Regularium tunc temporis evalescenti tradidisse.

Vitus Arenb. L. 2. Chron. Bav. c. 35. f. 98. Item Hund. & Gewold. Tom. 3. Metropol. fol. 115. Demum & Hierarch. Aug. P. 3. Regul. f. 436. & Agn. fol. 115. ex quorum postremis minus lucis accipies.

20. Schefftlariense Monasterium.

OLim Benedictini, hodie Præmonstratensis Ordinis, supra Monachium ad Isaram situm, ab Adalgarto & Odalgero in honorem S. Dionysii fundatum, jam Thassilonis Ducis tempore vigebat; (a) cujus *ope & favore* cùm constructum fuerit Aventino teste (b) rectè illi Benefactoris nomen tribuitur. (c)

(a) *Meichelbeck Hist. Fris. T. 1. P. 1. fol. 78.* (b) *apud Hund. T. 3. Metrop. fol. 290.* (c) *Annal. Cremif. lib. 1. f. 55.* & *Chron. Hohenwartense fol. 162.*

21. Schlierseense Monasterium.

ECclesia deinde Collegiata Canonicorum sæcularium ad lacum cognominem sita fuit, cujus jura ac redditus ad principem Divæ Virginis ædem Monachii spectabilem cum ipso Sacerdotum collegio anno 1495. translati sunt. Fuit initio monasterium Ordinis S. Benedicti à Nobilissimis quinque fratribus fundatum, quos Hundius non sine fundamento

Waldecensis familiæ surculos fuisse existimat. (a) Primus illis Abbas præfuit Perhcozus: (b) sunt authores, qui illud à Thassilone nostro dotatum referunt. (c)

(a) *Hund. Metr. T. 3. fol. 323.* (b) *Hist. Frising. T. 1. P. 1. f. 78. & 79.* (c) *Fort. Hueber f. 162. & Rettenbach. Annal. Cremif. L. 1. f. 55.*

22. Thierhauptense Monasterium.

SUperioris Bavariæ Monasterium, sub regula S. Benedicti à Thassilone nostro fuisse fundatum, antiquissima traditio est, cùm Dux in venatione feram persequens, viarúmque errore abductus, edito condendi pro servis DEI cœnobii voto, incolumis evasisset; unde hodiedum cervæ caput sagittâ transfixum insignia Monasterii exhibent. Aventinus Lotharium Imperatorem hujus loci Institutorem salutat: (a) alibi verò Thassilonem disertè prædicat Fundatorem. (b) Quid demum Gassero Acatholico credas, qui altiores etiam ejus Monasterii origines se putat invenisse, & asserit, quod nec Aventinus est ausus. (c) Demum diversi Historiographi saniorem secuti sententiam fundationis laudem tribuunt Thassiloni. (d)

(a) *Annal. L. 4. pag. 378. apud Agnell. fol. 122.* (b) *apud Hund. T. 3. Metrop. f. 410.* (c) *Agnell. fol. 121. citans Hier. Aug. P. I. pag. 79.* (d) *Hier. Aug. P. 3. Reg. f. 353. Arenbeck. T. 3. Anecd. Pez. part. 3. col. 99. Agnell. fol. 121.*

23. Weltenburgense Monasterium.

THassilonem nostrum cœnobii hujus Fundatorem fuisse existimatum, adducta superiùs Chori Weltenburgensis inscriptio convincit. (a) Variis jactatum fatis, Canonicis traditum, & à Chunone Ratisbonensi Episcopo Benedictinis denuò restitutum floruit usque ad sæculum 16. quo iterum variis tum Abbatibus tum Administratoribus paruit. Demum Cyriacus Empel ex Eberspergensi Monasterio, & Melchior Abbates industriâ & vigilantiâ ad hodiernum vigorem illud erexerunt. (b) Nostra ætate à fundamentis novum cum templo marmoreo surrexit.

(a) *Hoc §. num. 18.* (b) *Hund. Tom. 3. Metrop. fol. 484.*

24. Wessofontanum Monasterium.

GErmanis antiquioribus Wezzinesbrunnen, Wesselsbrunn, hodie Wessenbrunn & Wessobrunn appellari solet. Hujus Fundatorem Thassilonem Utilonis filium ex perpetua Majorum traditione, & Historicorum

eorum authoritate non minùs, quàm antiquis Documentis adstruere conati sumus. Neque alium nobis confutandum suscepimus, nisi eum, præter quem nemo alius antiquorum Thassiloni Fundatoris Wessofontani nomen honorémque negavit. Nulla nobis contentio cum aliis plurimis, qui unum Ducem habuêre Aventinum. Si consilium etiam nostrum fuisset, multorum advocatione testium evincere, plura cœnobia Thassilonis ope fuisse fundata vel dotata, præter ea, quæ hactenus enumeravimus; non defuissent nonnulla, ut S. Nicolai prope Passavium (a) Nidernburgense (b) S. Pantaleonis (c) Lorchense (d) singula à quibusdam Fundatori nostro asserta. Non placuit vel novis vel nimium credulis Authoribus fidem tribuere: maximè cùm, quantùm ad Thassilonem attinet, aliunde satis ipsius eniteat pietas, alienæ haud indiga laudis. Nihil igitur superest, quàm ut Landfrido tot Monasteriorum cis Lycum sitorum tum fundatori, tum moderatori debitas laudes & gratias dicamus.

(a) *Arenbeck T. 3. Anecd. Pez f. 98. Andreas Ratisb. T. 4. Anecd. f. 442.* (b) *Arenb. l. c. f. 99.* (c) *Idem ibidem. Vocatum etiam S. Crucis, & S. Dei Genitricis apud Agnellum f. 110. ex Avent. Annal. lib. 3. p. 291.* (d) *Alibi Lorich, & Larich apud Arenb. & Andream, quorum prior etiam* Atel, Prenried, Rott *Thassiloni adscribit.*



SÆCULI PRIMI
WESSOFONTANI
CAPUT SECUNDUM.
De primis Abbatibus Wessofontanis.

POstquam Thassiloni, Duci Bavariæ, Fundatoris gloriam vindicavimus, ad Monasterii nostri Gubernatores transimus, quos inter primus & per triennium solus fuit Landfridus, Benedictoburani quidem, Schechdorfensis, aliorúmque Fundator, plurium verò præterea, ac nostri, vigilantissimas Gubernator, & Archimandrita. De eo ex antiquis documentis sic loquitur Stephanus noster: *quo tempore,* cùm fundâsset Cœnobium nostrum Thassilo, *Landfridus primus Abbas & Fundator Monasterii Benedictenpeuren ex commissione Thazzilonis Fundatoris Wes-*

Forprunenſis Cœnobii ſuſcepit in commendam Eccleſiam noſtram : (a) cujus proin optimè de nobis meriti præclara geſta, gratitudinis ergo, compendio prædicamus, poſt eum ad Abbates proprios tranſituri.

(a) *MS. noſtrum litt. E. inſignitum fol. 2.*

§. I.

Landfridus Abbas Benedictoburanus, idémque plurium Monaſteriorum ac noſtri Archimandrita.

1. Sicut pulchrior eſt, Poëta teſte, pulchro veniens in corpore virtus, ita hæc longè clarius eluceſcit in hominibus dignitate generéque conſpicuis: his enim cùm inter potentiæ & facultatum copias innumera occurrant ſectandæ vanitatis illicia, tanto mirabilior eorum virtus eſt mortalium cæterorum oculis, cùm viderint ab illis ea contemni, quibus iſti ſe felices putarent. Landfridi, ejúsque fratrum Waldrami, Elilandi, & Gailſuindis ſororis genus nobiliſſimum erat, quocumque illud fonte derives. Ajunt nonnulli, eos fuiſſe filios cujusdam Walcherii Comitis du Bliantz ex provincia Galliæ, qui cum Carolo Martello in Bavariam venerit, iſtisque circa Alpes & Loyſam dominiis bellicæ virtutis ergo donatus fuerit. (a) Verùm non honorificentior ſolùm, ſed & certior videtur illorum ſententia; qui aſſerunt, Principes hos ex Agilolfingica ſtirpe Theodoberti Bavariæ Ducis filios, nepotes verò illius fuiſſe Theodonis, qui primus S. Rupertum Bojorum Apoſtolum excepit. Theodobertus præmaturè moriens filios fratri Theodobaldo commendavit: quos Patruus haud dubiè contra omnes injurias fuerat defenſurus, niſi & ipſo fatîs erepto Grimoaldus eorum bona vi facta ſibi vindicâſſet. (b) Hi ergo ditione Antorfenſi ſatis quidem ampla, ſed generis dignitati impare, & Comitum titulo contenti eſſe compellebantur, cùm omnis Atheſina provincia, ceu patri & patruo à Theodone avo deſtinata hæreditas eisdem & Gailſuindæ ſorori deberetur,

2. Poterat profectò Garibaldus vindicem DEI manum effugere, ſi S. Corbiniani monitis paruiſſet, ac non potiùs Piltrudis uxoris lenocinio captus ſanctiſſimum Præſulem fugâ ſibi conſulere compuliſſet. Ita conjugium male cœptum pejori fine in caput Grimoaldi recidit. Hic quia multis à Sancto hortamentis correptus dimittere noluit Piltrudem, uxorem antehac defuncti fratris ſui Theodberti, cujus filii erant Landfridus & fratres, gemini ſceleris reus, inceſtûs nempe in fratris conjuge, & rapinæ in filiorum ejus ſpoliatione, divinâ urgente Nemeſi, ex inſidiis

sidiis obrutus vitam amisit. Non deerant nempe, qui & oppressorum principum injuriâ & incestuosi thalami turpitudine moverentur, ac obsequium se Deo præstare, illatam innocentibus vim ulciscendo, existimarent.

3. Erant porrò Landfridus & fratres ad omnem pietatem cerei, & Christianis legibus optimè formati: & licèt in aulam Francorum regiam suscepti, utpote quos sanguinis affinitate tangebant, (c) deliciis & honoribus abundabant, non tamen eorum elanguit in palatio pietas. Landfridum fratribus authorem fuisse palatii modesto obtentu deserendi, antiqui versus testantur: (d)

Hic teneris annis divino tactus amore
Ardenti studio post Sponsi unguenta cucurrit;
Ac primus fratres Principis subduxit ab aula
Germanos Walthram, Cundbrámque ex nomine dictos.

Accessêre ad virtutis incitamentum S. Bonifacii Germanorum Apostoli doctrinæ, quas ardens illius zelus, quoties Româ in Bavariam transiret, piissimis fratribus suggerebat. Intellecto igitur infausto patrui Grimoaldi fato, magis commoti sunt ipsius calamitoso exitu, quàm antea fuerant propriarum jacturâ fortunarum. Eorum, qui ex insidiis intulerant mortem, subditorum scelus, velut suum, deplorabant: atque ita, ut cognati Ducis necem, cum æternæ salutis manifesto junctam periculo, in semetipsis vindicare statuerent. (e)

4. Itaque, licèt inimici cædes viam sternere occupando principatui videretur, considerantes tamen, quàm instabile fortunæ donum esset quantacumque mundi potentia, idque tum præcoci patris morte, tum Grimoaldi interitu miserando, ac propriis demum jacturis edocti, omnia potiùs relinquenda unanimi consilio decreverunt, quæ posset fortuna rapere, quàm periculo se committere amittendi æternùm mansura.

5. Adhibitis igitur Sanctissimi Præsulis Bonifacii consiliis, cœperunt omnem operam opésque impendere ad construendum S. Patriarchæ Benedicto cœnobium, cujus regulam videbant in Cathedrali Frisingæ Monasterio observari. Jámque aream designaverant, cùm columbarum ligni assulas aliò transferentium indicio alium, ut fertur, locum eligere jussi sunt. (f) Paruêre, eóque loco, quo hodie Benedictoburanum Monasterium consistit, structuram piissimi fratres perfecêre.

 6. Ve-

6. Verùm hoc uno non contenti aliud quoque ad caput Cochalensis lacûs pro viris construxerunt in loco, qui jam tunc Schlechdorf nominabatur, eamdem Divi Benedicti regulam secuturis: aliud item ad ejusdem lacûs ostium, Cochalon (hodie Kochel) vocatum, pro Virginibus Deo devotis: quartum denique ad lacum alium, quem veteres Staphalastagna dixêre, hodie Staffelsee, itidem pro monachis, prout Benedictoburana & nostra documenta testantur. (g) Gailsuindem Landfridi sororem Cochalensi Monasterio præfuisse, iisdem habemus testibus. Waldramum & Elilandum Schlechdorfense & Staffelseense gubernâsse, nobis perquam credibile videtur. Nam Landfridus natu maximus, tantorúmque operum dux, tùm Benedictoburani cœnobii inter cætera principis & quinquaginta monachorum gubernatione, tum cæterorum frequenti visitatione satis occupabatur. Accessit in laboris augmentum, quòd viso Landfridi & Fratrum zelo, cùm succedentibus annis augeri religiosæ eorum familiæ cœpissent, alii quoque illustres & potentes, seu viri seu fœminæ, exemplo stimulati Monasteria ædificaverint, & à se fundata Landfrido commendaverint tum colonis implenda, tum etiam gubernanda, donec proprii singulis Antistites darentur. Talia, dubitare non possumus, quin fuerint Pollinganum, Sandaviense, Wessofontanum, cùm tabulæ testentur: ac fortè etiam Siverstattense, si Aventino fides, quo excepto nullam de illo notitiam habemus, nisi quam suprà subobscuram indicavimus. (h)

7. Erat profectò jucundum Deo & Angelis, hominibus verò tam proficuum, quàm pulchrum spectabulum, videre, à nobilissimis & principibus viris abjurari sæculi pompas, easdémque à plurimis eorum sequacibus generoso pede calcari. Resonabant ad cœlum usque chori cantantium monachorum & virginum: latè se diffundebat fama virtutum, & boni exempli suavissimus odor. In hunc tracti cucurrisse inveniuntur illustres viri, ac præprimis Engildio Comes, qui ultrò venit, & *rebus ac armis exutus novum hominem induit;* neque vacuus comparere voluit, sed ex diversis villis prædia quadraginta S. Benedicto donavit. Sed & Grammanus quidam divino ad id faciendum monitu instinctus videtur, ut repentino gravatus morbo statueret mundo renunciare. Vix statuit, sanus è strato surrexit. Quoniam verò consilium exsequi cunctatus est, denuò infirmatus culpam suam agnovit; venit, & *medullitus abjectis vanitatum illecebris vestem cum voto pœnitentiæ accepit*, dato insuper prædio suo *trium mansuum* in villa *Antfranga* seu *Amfranga*. Vix triginta dies sancti propositi tenax vixerat, *cùm se à S. Benedicto* ad feliciorem vitam *vocari palam confessus* animam Deo reddidit. (i)

8. Nos

8. Nos certè illud singulàre beneficium Landfrido debemus, quòd Monasterium nostrum anno 753. à Thassilone cœptum in curam suam susceperit, & non minùs, ac própria sua, singulis mensibus indefessus custos laboriòso itinere visitârit, selectos è suis inquilinos huic loco dederit, ad divinum cultum & circumsitæ plebis ædificationem animârit. Hoc enim sibi ipse imperaverat, ut *die Dominica capitulum faceret* in cœnobio S. Benedicti, feriâ secunda in Cochalensi, tertiâ in Schlechdorfensi, quarta in Staffelseensi, quintâ in Wessofontano, sextâ in Sandaviensi, ac Sabbato demum in Pollingano. Atque hunc visitationis laborem hisce monasteriis, quoties per majora negotia aut valetudinem licuit, Landfridus impendit per annos viginti quinque, ùt nostra documenta loquuntur. (k) Non poterat majus quidpiam Thassilo ab occupatissimo Landfrido postulare: nec vicissim ingenuus religiosissimi Ducis animus ferebat, ut non eximium gratitudinis monumentum vigilantissimo Archimandritæ rependeret, (l) quod supra descripsimus.

9. Cùm demum tot Monasteriis per triginta annos vigilem curam Landfridus impendisset, advenit dies mercedis & quietis capiendæ, quæ erat dies sexta Idus Quintiles, seu decima mensis Julii, sicut antiquissimi versus testantur his verbis, apud Pezium relatis:

Idibus in sextis cùm Julius æstuat arvis,
Ad Dominum rediit, qui dedit esse sibi. (m)

Quantas porrò fas sit coronas in cœlis meritum Landfridum credere, pronum est, fuisse plurimas, & splendidissimas; non enim centuplum solum, dum omnia reliquit, promeruit, qui tot alios relinquere opes, honores, voluptates docuit, & exemplo suo ad egregiam sanctitatem provenit. Neque fratres solùm suos & sororem, sed plures quoque consanguineos & affines, præter innumeros alios ad idem institutum allexit, utì ex iisdem versibus patet:

Hic consanguineos plures; turbâmque nepotum
Celsa supernorum duxit ad regna polorum.
Quantas hic traxit Monachorum denique turbas,
Difficile dictu est, arctæ ad consortia vitæ. (n)

10. Trans-

10. Translato igitur ad Superos Landfrido, Waldramus quoque & Elilandus, qui etiam Elyandus & Gundramus vocatur, (†) paternâ curâ suis aliisque claustris per annos multos invigilabant. Nec fratribus cedebat Gailsuindis soror, utpote cujus exemplum secuta Gisila Regina Cochalensi cœnobio se abscondit: imò sunt, qui & Luitburgam Thassilonis nostri conjugem, illo exauthorato, eodem sese recepisse dicant. (o) Waldramus per triginta octo, Elilandus verò etiam quadraginta sex annis præfuisse leguntur: (p) quæ singulorum longævitas sicui creditu difficilis videatur; non unum, sed plura Monasteria inter se divisa eodem tempore eos gubernâsse, ac demum in Benedictoburano sibi successisse existimet: atque ita facilè sibi persuadebit, tres fratres in diversis locis gubernantes conjunctim centum & quatuordecim annos regendo implêsse. Atque ita Landfrido Abbati Benedictoburano, Archimandritæ nostro, inferiore meritis calamo grata laudum encomia solvimus: memoria verò illius, uti nunquam ex monumentis, ita nec animis nostris unquam evanescet.

(a) *Ex Speculo Vincentii & Garibaldo quodam apud Hund. Tom. 2. Metrop. fol. 39.* (b) *Hund. ibidem, & Car. Meichelb. Hist. Fris. fol. 19.* (c) *juxta versum veterem:* Eximius Landfrid contingens stemmata Regum. *Pez Anecd. T. 3. P. 3. fol. 606. §. II. v. 2.* (d) *Ibidem.* (e) *Horum exemplum secutus videtur Eberhardus Comes de Marca, qui ut* pœnam *effusi sanguinis* sibi ipsi irrogaret, *monachus factus auctor fuit cœnobii Vallis S. Georgii in Thuringia fundandi. Thuringia Sacra fol. 468. & ille Bernardus Pœnitens in Act. SS. Bolland. die 19. Aprilis fol. 674. & 676. num. 5. ad finem.* (f) *MS. Wessofontanum Trithemii Serm. & Homiliis junctum fol. 22.* (g) *Pez Anecd. T. 3. P. 3. col 601. & MS. nostrum C. fol. 4.* (h) *De Wessofontano nullum dubium: nec de Pollingano. De Siverstatt vid. Caput I. §. 3. n. 27.* (i) *MS. Wessof. supra lit. f. citatum fol. 23. & 24. & Seb. Ranck in Collectura Monast. fol. E. 1. De Ampheranga seu Amfranga vid. Hund. T. 2. Metrop. fol. 296.* (k) *MS. C. fol. 7. & nostro quidem non per quinque tantùm annos, donec Ilsungus A. 758. intraret, sed ulteriùs etiam, ut Agnellus putat fol. 124. Arnulph. defens.* (l) *§. IV. Num. 6.* (m) *Pez loco cit. f. 607. §. IV.* (n) *Ibidem f. 606. §.* II. (o) *Meichelb. Hist. Fris. fol. 87. ex Mausoleo S. Emmerami.* (p) *MS. C. fol. 7. & 8.* (†) *Vide versus hoc §. num. 3. ubi* Gundhram *pro* Elilando *ponitur.*

§. II.

§. II.

Ilsungus, primus Abbas proprius Monasterio Wessofontano datus.

1. ILsungus ex Monasterio Inferioris Quercûs, à Thassilone Fundatore nostro petitus, & Fontibus Wessonis præfectus, illius Ebers-windi discipulus fuit, quem S. Pirminius ex Augia Divite evocatum Nideraltahensi cœnobio primum Abbatem dederat. (a) Sunt, qui eum ex illustri Comitum quondam Mœringensium familia natum velint, unde Ilsungi, Patritii hodie Augustani, sanguinem trahant. (b) Certè Lexicon Universale teutonicum Christophori Iselini asserit, Ilsungum quemdam, Lupoldum nomine, circa annum 785. fuisse Abbatem Wessofontanum. (c) At nostris Chronicis eo quidem anno Ilsungus jam præfuit, sed Lupoldi nomen eo tempore non invenimus: nisi sæculo demum duodecimo quemdam Lupoldum (d) ex Monasterio Hirsaugiensi, nobis Luitoldum vel Lantoldum. (e)

2. Delatus itaque ad Fontes nostros Ilsungus primam S. Mariæ Virginis Ecclesiam, parvam licèt, jam dedicatam invenit, in eáque tamdiu divina cum suis peregit Officia, donec major Divi Petri Ecclesia perficeretur. Minorem illam Deiparæ à S. Bonifacio fuisse consecratam, superiùs insinuavimus: (f) hanc alteram quis sacris ritibus initiârit, non ita promptum est definire. De S. Wicterpo, qui Benedictoburanam legitur consecrâsse, (g) non possumus affirmare, cùm anno 755. obiisse scribatur: nec de S. Tossone, alióve id temporis Episcopo Augustano; cùm Diœcesis hæc Caroli Magni primùm favore per S. Sympertum, sororis ejus Symphorianæ filium, fuerit ultra Lycum in citeriorem hanc Vindeliciam extenta. Fortasse autem, cùm Sabiona, unde Sedes Episcopalis deinde Brixinam est translata, à Longobardis fuisset occupata, & Boico dominatui erepta, Augustani seu Neoburgenses Præsules interim in hac regione sacra administrabant. Etenim S. Bonifacius, cùm in Bavaria quatuor Episcopatus institueret, Salisburgensem, Pataviensem, Frisingensem, & Ratisbonensem, Sabionæ rationem non habuit, eò quòd Longobardicum imperium respiceret. (h) Atque ita potuit S. Tosso, qui ab anno 755. usque ad 768. juxta priorem Hierarchiæ Augustanæ calculum præfuit, (i) majorem nostram S. Petri Ecclesiam consecrare. Admodum tamen perplexa est Augustanorum Præsulum Chronologia, neque Clarissimus P. Corbinianus Khammus fixum aliquid, certúmve relinquit.

Haud diu ultra annum Domini 758. dilatam fuisse dedicationem credimus, cùm Thassilo Dux potentiâ floreret, & primus Abbas Ilsungus negotium propagandæ religionis causâ urgeret.

3. Incidit in ætatem Ilsungi celeberrima illa Synodus Dingolfingæ in Diœcesi Ratisbonensi authore Thassilone coacta anno 772. cui inter alios Episcopos provinciales etiam interfuit Alimus Sabionensis: (k) unde Velserus rectè ratiocinatur, Sabionam in Thassilonis potestatem bonâ soceri (Desiderii Longobardorum regis) gratiâ tum concessisse, & Boicæ rursus contributam fuisse. (l) Aderant ergo Episcopi quinque, quorum primus Manno Nuvvenpurgensis seu Neoburgensis ad Danubium, (m) secundus Alimus Sabionensis, tertius Virgilius Salisburgensis, quartus Wisericus Passaviensis, quintus Symbertus Ratisbonensis, sextus Heres seu Aribo Frisingensis. Abbates comparuerunt tredecim, ordine hoc positi: Opportunus Manseensis, Wolfpertus Nideraltahensis, Adalbertus Tegernseensis (n) Atto Scarantiensis (o) Uto Illmünstrensis, (p) Landfridus Benedictoburanus, Albunc innominati adhuc loci, Ruothardus Isnensis, Ernestus Oberaltahensis, Reginbertus Mosburgensis, Volckhanhardus loci hactenus ignoti, Perchhoz Schlierseensis, Sigido Weltenburgensis. Aventinus temerè nonnullis Monasteriis Abbates suos assignat, & nobis quidem Ruothardum quemdam obtrudit, sed perperam; cùm in nullo catalogo nomen hoc reperiamus, nisi demum post annum 955. & Hungaricam stragem Præpositum quemdam hoc nomine vocatum, qui huic Synodo per Chronologiam interesse non potuit. Clarissimus P. Carolus Meichelbeck in Historia Frisingensi rem egregiam præstitit, ex coævis monumentis plerosque Abbates cœnobiis suis adstruens. (q) Eodem duce Perchhozum assignavimus monasterio Schlierseensi per Instrumentum, anno quidem 779. conditum, in quo illius electio refertur: quæ tamen pluribus ante instrumentum annis fieri potuit, ac fortè jam anno 760. quem Aventinus apud Hundium assignat. (r) Si dein illi *Albunc*, ut apud Gewoldum legitur, (s) paucis mutatis litteris substituamus *Ilsunc* seu Ilsungum Wessofontanum, cùm aliunde acta Synodi corrupta ad nos pervenisse eruditi judicent; solus supererit Volckhanhardus Osterhovensi, Chiemensi, aut alteri cuidam præficiendus, ab Utilone vel Thassilone fundato. Neque solo hoc fundationis titulo Ilsungum nostrum Synodo interfuisse decebat, sed præterea, ut Reyspachium à Thassilone nobis donatum & Dingolfingæ vicinum ipse inspiceret.

4. Nam terminos quidem Monasterio à Thassilone initio statim assertos suprà descripsimus: (t) dotémque auctam, Ilsungo cum sociis quibusdam superveniente, docuimus, per adjectionem villæ Rispacensis, (†) in

cujus loci templo S. Wulfſindis Virgo & Martyr ſepulta quieſcebat, ſque Feſtum illius usque ad ſæculi duodecimi finem die ſecundâ Septembris ſolemniter celebrabamus. Hac munificentiâ nondum exhauſtus Fundator homines quoque alios cenſum daturos, alios tributa penſuros adjunxit, quorum catalogos recenſet gemmatus noſter & antiquiſſimus Evangeliorum Codex. Et erat certè plura daturus, ſi fidei Francis juratæ tenax perſtitiſſet. Ejus violatæ reum cùm ipſi Bojariæ proceres accuſarent, in eam calamitatem incidit, quam omnes pæne Rerum Germanicarum Scriptores referunt. (n)

5. Quàm acerbum hoc Fundatoris noſtri fatum Ilſungo totique Monaſterio acciderit, pronum eſt intelligere, rebus Bavariæ tunc admodum dubiis, & poſterioris fortunæ incertis. Verùm Caroli Imperatoris ſapientia effecit, ut Bavaria in Provinciæ formam redacta à Comitibus deinceps regeretur, qui tamen Miſſo ſeu Legato regio obedire ſunt juſſi. (w) Præterea Carolus Boicas Leges confirmavit, & Provinciæ quieti providit. (x) Atque ita Bavaria ſi minus dignitatis, plus tamen quietis obtinuit; Francorum enim armis ſæpius adverſum Hungaros fuit defenſa. (y) Abbas porrò noſter Ilſungus, Thaſſilonis exauctorationi adhuc ſuperſtes per annos undecim, diem ſuum obiit pridie Idus Maii, id eſt, decimo quarto ejus Menſis, anno Domini 799. præfecturæ ſuæ quadrageſimo primo. Tumulum accepit in meridionali plaga majoris Eccleſiæ S. Petri: quo fere loco cæteri Abbates usque ad ſæculum decimum ſextum ſepeliri ſolebant. In Calendario antiquiſſimo Benedicti I. Abbatis mors ejus pridie Idus Majas his verbis annunciatur: *Obiit Ilſungus primus hujus Cœnobii Abbas.* (z)

(a) *Chron. Niderält. fol. 8.* (b) *Khamm Hier. Auguſt. Part. 1. Cathedr. fol. 226. num. 28.* (c) *Artic.* Ilſung. (d) *Trithem. Chron. Hirſaug. T. 1. fol. 274. edit. S. Galli.* (e) *MS. E. fol. 10.* (f) *§. III. Capitis I.* (g) *Codex MS. Anonymi f. 23.* (h) *Hund. T. 1. Metrop. fol. 460. ex Serarii Rebus Mogunt.* (i) *Hierarch. Aug. P. I. Cathed. fol. 93.* (k) *apud Hundium in Addit. Gewold.* De Collaudatione &c. (l) *Ibid. in Addit. lit. l. marg.* (m) *De Epiſcopis Neoburgenſibus conſulatur Annotatio P. Khamm in Hier. Aug. P. I. Cath. fol. 68. & 69.* (n) *Vocatur Albertus etiam Vid. Pez Anecd. T. 3. P. 3. col. 475.* (o) *Hiſt. Friſing. fol. 60. Tom. I. P. I. Atto iſte Ariboni in Epiſcopatu Friſing. ſucceſſit. Ibid. fol. 84.* (p) *Monaſterium hoc ad Ilmum Fluv. ab Alberto & Otkario Tegernſeenſis cœnobii authoribus fundatum, Utonem ſeu Ottonem illorum ſororium primum Abbatem habuit. Vid. Agnellus fol. 102. & 103.* (q) *Hiſt. Friſ. T. 1. P. 1. fol. 70. & 71.* (r) *Metrop. Tom. 3. fol. 323. Inſtrumentum citatum de Perchkezo vid. in Hiſt. Friſ. Tom. 1. P. 1. fol. 79.* (s) *T. 1. Metrop. f. 450. in*

Rubrica de Collaudatione &c. (t) *Cap. I. §. III.* (u) *& nos eod. C. I. §. I.* (w) *Eckbart Rer. Franc. Tom. 1. Lib. 25. f. 726. 727.* (x) *Idem ibid.* (y) *Idem ibid. fol. 743. & deinceps sæpius.* (z) *MS. D. fol. 13.* (†) *Suprà §. III. Cap. I. num. 42.*

§. III.

Adelmarus, Abbas secundus.

1. SUcceſſit Ilſungo anno Domini 799. menſe Junio. Eo Monaſterium noſtrum gubernante Reisbaci, loco non procul Dingolfingâ ſito, in Diœceſi Ratisbonenſi, hodiernáque Tetrarchia Landishutana, coacta fuit Synodus ab Arnone Archiepiſcopo Salisburgenſi, cujus epiſtolam encyclicam, ad Epiſcopos Provinciales datam Clariſſimus Pezius exhibet. (a) Hujus Synodi Statuta Falckenſteinius ex Duckero recitat, (b) & in Germania ſacra Hanſizius, (c) qui huic Synodo aſſignat annum 798. vel ſequentis initium: Pezius autem circiter 802. (d) Atque hoc veroſimilius eſſe etiam Meichelbeckius arbitratur, (e) qui eodem loco recenſet Epiſcopos & Abbates, qui interfuêre, ex antiquiſſimo Inſtrumento Friſingenſi: illis Hanſizius ex Duckero adjungit Simbertum Auguſtenſem, imò Nivvenburgenſem Epiſcopum, ut in Bulla Leonis III. Papæ legere eſt. (f) Cœpit Leo præeſſe anno 796. Unde patet, nondum Diœceſin Auguſtanam ultra Lycum illo tempore fuiſſe extentam, cùm Simbertus, poſtea Auguſtenſis Epiſcopus, hîc Nivvenburgenſis vocetur, Metropoli Salisburgenſi, non Moguntinæ ſubjectus, ùt hodie Auguſtanus. (g) Inter Abbates, qui interfuêre huic Synodo, Adelmarus noſter nec apud Meichelbeckium, nec apud Hanſizium numeratur. (h) Verùm interfuerit ille, nec ne, diſcutere, noſtrum non arbitramur. Reisbachium, cujus Prætura hodie Dingolfinganæ unita eſt, præterire noluimus, utpote quod à Duce Thaſſilone Monaſterio noſtro in dotem olim clementiſſimè donatum fuit. De eo dicendi locus nobis ſæpius dabitur, & nunc etiam magìs, poſtquam Plur. Rev. & Clariſſimus Vir D. Joannes Evangeliſta Laiminger, familiaris olim meus, Protonotarius Apoſtolicus, & Reisbachii Parochus 3. Maii anno 1752. humaniſſimis litteris me, de S. Wolfhinde Virgine & Martyre ibidem ſepulta inquirentem, requiſivit, ut ipſum de rebus ad eamdem Divam pertinentibus (utpote cujus ne nomen quidem Reiſpachii notum eſt) redderem certiorem. Amico veteri ſatisfacere tam æquum, quàm jucundum erit.

2. Pro-

2. Propiùs ad nos attinet Monasterii nostri translatio ab Episcopatu Brixinensi ad Augustanum, ut antè insinuavimus. Id factum est per S. Sympertum: qui cùm Amberto Austrasiæ Mosellanæ Duce & Symphoriana Caroli Magni sorore natus esset, (i) maximo in honore apud avunculum Imperatorem fuit. Hic anno Domini 800. Imperator factus (k) liberaliorem etiam Symperto se præbuit, effecitque, ut Episcopatus Neoburgensis, consentiente summo Pontifice, uniretur Augustano. Monasterium nostrum, aliáque alpibus viciniora ad Brixinensem seu Sabionensem Diœcesin pertinebant, sicut de Pollingano Mabillonius asserit, (l) & de nostro, tamquam eidem vicino, dubitare vix licet, cùm in antiquissimo Calendario nostro SS. Ingenuinus Episcopus & Cassianus Martyr, hodiedum illius Diœceseos Patroni, reperiantur. Neque documentum ullum reperimus, quo vel Neoburgensi, vel Frisingensi Diœcesi fuerimus accensiti. (m)

3. Singulari verò commemoratione dignum est Concilium Aquisgranense, anno D. 817. tertio Ludovici Pii Imperatoris anno celebratum. Præfuit ei, quantum ad monachos attinet, S. Benedictus Anianæ Abbas, statutique sunt articuli 72. ab omnibus regni Francorum cœnobiis uniformiter & perpetuò observandi. Plerosque relatos explicatósque videre est apud Mabillonium (n) & Hæffteaum (o) cum tota fere Concilii illius Historia. Quod propiùs Bavariam nostram respicit, est Constitutum peculiare Imperatoris de Monasteriis primæ classis, *quæ dona & militiam facere possent*: secundæ, *quæ sola dona sinè militia*: tertiæ, *quæ nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris & filiorum ejus, & stabilitate imperii.* Sub quorum prima classe ex Bavaricis *Manseense* & *Tegernseense* referuntur: sub secunda *Altahense* superius, ut puto; nam inferius tam dona, quam militiam dedisse, patet ex Epistola Caroli Magni Imperatoris ad Fulradum ejus Abbatem, quæ videri potest apud Pezium: (p) item *Cremifanense*, *Mattseense*, *Benedictoburanum*: sub tertia classe *Mettenense* & *Wessofontanum*. (q)

4. Fatetur Mabillonius, ea, quæ ipse refert Concilii hujus acta, à Sirmondo ex mendoso Codice fuisse eruta, præcipuè circa nomina Monasteriorum. Aliqua horum Mabillonio incognita declarat Clar. Eckhartus, (r) qui Monasterium Clehewang, Mabillonio ignotum, Elehevvang, seu *Elwangense* interpretatur. *Frubelinwanc* (quod itidem in Alemannia, & confinio Elwangensis Dominii situm) Mabillonio, & Eckharto Feuchtvvanga est, olim Abbatia, sed Hungarorum irruptione vastata, & à Gozberto demum Abbate Tegernseensi restaurata ac monachis instructa, Wigone Tegernseensi eorum Decanum, id est, Priorem agente. De loci hujus situ videri potest Hübneri Lexicon Universale (s) & Mappa Geographica

phica Matthæi Seutteri. (t) Quid Wigo ad emolumentum hujus Monasterii conferre conatus sit, monstrant ejusdem epistolæ ad Henricum Bavariæ Ducem, & Adelhaidem Augustam. Gozbertus in Necrologio Augiensi recensetur tamquam Abbas Fiutwangensis. (u) Successu temporis Monasterium istud ob longinquum loci ab origine sua situm & bellorum turbas intercidit, & in Collegium Canonicorum mutatum fuit: unde proverbium ortum de vicinioribus ejusmodi Eustadio Collegiis: Herrenriedense *doctissimum*, Anspacense *nobilissimum*, Feuchtwangense *inquietissimum*, (w) fortè propter multos labores Apostolicos. Hæc olim, cùm Catholica his locis floreret Religio, Diœcesi Augustanæ insertam fuisse Feuchtwangam docet Stengelius in Mantissa cap. V. & apparet ex fiducia, qua Decanus Wigo Luitolphum, seu Liutoldum Episcopum Augustanum sæpiùs invocavit. (x) Gozbertum Abbatem paucis commendat Clariss. P. Nonnosus Pämer Prior Tegernseensis:

Ergo sic inter proprios labores,
Quos tibi summos tua sponsa gignit,
Pro peregrinis etiam laboras,
- - - - - Optime Princeps?

Idem enim Abbas Monasterium Tegernseense ædificiis, librísque ornavit, & per dictum Wigonem Monasterium Feuchtenwangense erexit. (y)

5. Inter Bavariæ Monasteria in dicto Concilio recensita numeratur *Altemburg*, quod Mabillonius & Eckhartus interpretantur Altomünster: cur autem non potiùs Weltenburg, quod jam tunc suos Abbates habuit? De Altomünster nec in Dingolfingana Synodo quisquam comparuit: & S. Altone mortuo brevì desolatum legitur. (z) Favet huic opinioni major inter Altenburgi & Weltenburgi nomina similitudo. Deinde pro *Creausa* securè legitur Cremsa, seu Cremisanense monasterium: nec obstat, quòd hodie non sit in Bavaria: fuit autem Concilii hujus tempore, & usque ad Fridericum Ænobrabum Imperatorem. *Berch*, incertæ originis monasterium, à Wilitrude Bertholdi Bavariæ Ducis superstite Vidua anno 976. non primùm fundatum, sed restauratum fuisse (A) videtur. De hoc monasterio copiosè scribit Falckensteinius. (B) Monasterium *Scovenauva* in Mappa Germaniæ Chronici Gottwicensis exhibita inter Rotam & Vilsam fluvios invenitur, de quo superiùs jam diximus. (C) *Alosebureh* malim ego Moseburg seu Mospurgense monasterium putare, quàm Salzburgense: illud ad Isaram situm, olim amplissimum, dein ab Arnulpho Imperatore Waldoni Episcopo Frisingensi commissum, demum à Co-

à Cowone Chorepiscopo, sub quo jam *Abbatiola* nomine veniebat, permutatione facta cessum fuit Dracolfo, qui illud omnino deprædatus est. (D) Cætera Monasteria, apud Mabillonium & Eckhartum recitata, lectoris divinationi relinquo.

6. Cæterum de Adelmari gestis nihil nobis scripto relictum est. Cùm verò, omissis aliis pluribus Bavariæ Monasteriis Wessofontanum in Concilio Aquisgranensi recenseatur, dubitare non possumus, quin eidem Abbas noster interfuerit, ad uniformem sacri Ordinis disciplinam studium suum contulerit, S. Benedicti Anianensis consiliis acquieverit, & reversus in patriam saluberrima Statuta monachis suis inculcârit. Præfuit Adelmarus triginta ferè & duobus annis: diem obitûs ejus invidit nobis antiquitas; mortis annus assignatur octingentesimus trigesimus primus. (E)

(a) *Tom. 6. Anecd. col. 74. n. IV.* (b) *Antiq. Nordg. Parte. 1. c. 3. §. 4. fol. 26, col. 1. & 2.* (c) *Tom. 2. fol. 110. a. Verùm tam Hansizius l. c. quàm Meichelbeckius parùm ingenuè ea posteris tradita arbitrantur. Hist. Fris. T. 1. P. 1. f. 94.* (d) *cit. loc. in margine.* (e) *T. 1. Hist. Fris. P. 1. fol. 94.* (f) *Tom. 2. Germ. S. fol. 106.* (g) *Idem ibid. f. 107. c.* (h) *Hist. Fris. T. 1. part. 1. f. 94. Hansiz l. c. fol. 110.* (i) *Hier. August. P. I. Cathed. fol. 99.* (k) *Eckhart. Rer. Franc. T. 2. fol. 3.* (l) *Annal. Bened. Tom. 2. fol. 165.* (m) *Vid. Hansiz Tom. 2. Germ. S. fol. 7. ubi Sympertus dicitur* Authoritate Leonis Papæ & consensu Caroli Imperatoris utramque Parochiam (*Diœcesin*) Alemannorum & Noricorum (*id est, Bojorum*) ex utraque parte Lyci fluminis coadunâsse. *Vid. Hier. Aug. Cathedr. f. 68. & 69. ubi in Annotatione ex instituto hanc rem tractat. Item ibidem fol. 100. num. 9. marg.* (n) *Tom. 2. Annal. Bened. fol. 428, &c. num. LI.* (o) *Post Disquis. Monast. Vide & nonnullos in Chron. Nideralt. fol. 35. ad annum 817.* (p) *Tom. 6. Anecdot. col. 73. n. VIII.* (q) *Mabill. Ann. Bened. T. 2. f. 438.* (r) *Tom. 2. R. Franc. f. 143.* (s) *Artic.* Seuchtwang / *& breviùs in* Zeitungs- *Lexico eod. art.* (t) Q. bc. (u) *apud Mabill. & Eckhart. cit. locis.* (w) *Falckenstein Antiquit. Nordg. P. 2. fol. 286. §. III.* (x) *Pez. T. 6. Anecd. P. I. à colum. 112. Epistol. 4. 6. 11. & 12.* (y) *In Serie* Principum & Abbatum Tegernseensium *fol. 32. typis Monasterii edita anno 1746.* (z) *Hund. Metrop. Tom. 2. fol. 82. d. & 83. a.* (A) *Agnell. in Arnulpho defenso fol. 93.* (B) *Antiq. Nordg. P. II. c. 4. sect. 2.* (C) *Cap. n. §. 3. num. 27.* (D) *Hist. Fris. T. 1. P. 1. fol. 145. 158. 160. & 161.* (E) *MS. E. pag. 3.*

§. IV.

§. IV.

Reimundus, Abbas tertius.

1. DE Reimundo Annales nostri hæc pauca referunt: *Anno Domini 831. Reimundus Abbas tertius successit, & præfuit quadraginta tribus annis. Ac obiit sub anno salutis 873. tempore Adriani Papæ secundi & Ludovici secundi Imperatoris Romanorum.* Eodem anno Adrianus etiam Papa est mortuus, & Joannes ejus nominis octavus successit. Ludovicus verò Imperator *ejus nominis secundus* est intelligendus, filius Lotharii, nepos Ludovici Pii: successit patri anno 855. & imperavit usque ad annum 875. Raymundum nostrum monachorum suffragiis electum fuisse credimus, cùm recens tunc fuerit Ludovici Pii Decretum pro eligendi libertate. Alias enim non liberis eligentium votis, sed Imperatorum arbitrio monasteriis Abbates dabantur, ideóque palatia Cæsarum Candidatis tam civilium & militarium, quàm Ecclesiasticarum dignitatum redundabant, ex quibus Principes, quem aut virtute aut doctrinâ præstantiorem, vel sanguine propinquiorem, vel ab obsequiis præstitis chariorem habebant, non ad Abbatias solùm, sed & Sedes Episcopales deligebant: donec Ludovicus Pius in Concilio illo Aquisgranensi declaravit, *se assensum Ordini Ecclesiastico præbuisse, ut Episcopi per electionem Cleri & populi, secundum Statuta Canonum, de propria Diœcesi, remota personarum & munerum acceptatione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur.* (a) Idem Imperator etiam *Monachis ex seipsis Abbatem eligendi licentiam concessit.* (b) Verùm utraque hæc constitutio non diu post Ludovici Pii tempora iterum fuit neglecta, & prior consuetudo retenta ad sæculum usque undecimum & ultra: cujus rei paulò inferiùs exemplum videbimus.

2. Cùm porrò de Actis Reimundi Abbatis nihil constet, Episcopos Augustanos, qui primum hoc Monasterii nostri Sæculum illustrârunt, recensere operæ pretium erit. Desumo illos ex antiquo Catalogo Wessofontano, quem Stephanus Leopolder anno 1525. ex antiquiore quodam descripsit, sed suis quoque, ut mihi videtur, appendicibus interpolavit. Primus fuit S. WICTERPUS, qui ab anno 736. sedit, & anno 753. sub ipsa monasterii nostri primordia decessit. Dicitur tamen in eodem Calendario Ecclesiam nostram consecrâsse; quod facere & S. Bonifacio adjutor esse potuisset, vocatus è vicino nobis Heptatico, quo loco sanctissimè obiit. At jam consecrationem S. Bonifacio tribuere cœpimus. (c) De S. Wicterpo alibi nobis redibit sermo. (d) S. Wicterpo successit S. THOSSO anno 753. & præfuit annis 12. Hic fuerat S. Magni socius,

& à

& à Waltenhofensi Parœcia ad Augustanam cathedram evocatus. Thossoni post ingentem hiatum (quo tempore Sedem vacâsse Scriptor autumat *propter guerram inter Gotfridum Ducem Suevorum & Odilonem Ducem Noricorum*, errore tamen manifesto) primùm anno octingentesimo quarto juxta Catalogum, sed meliùs juxta Khammum anno 788. successit S. SYMBERTUS, qui primus Diœcesin Augustanam ultra Lycum extendit, ut supra diximus. (e) De sanctissimo hoc Præsule, in vita & post fata miraculis claro videatur Hierarchia Augustana. Præfuit juxta Catalogum triginta annis. S. Symberti vices anno 840. suscepit HANTO ex nobilissima stirpe Comitum Andecensium, qui præfuit annis septem. Demum claudit hoc sæculum WALTHERUS Episcopus, qui electus an. 847. sedit annis decem. Catalogum hunc antiquitatis causa adhibui, quem in Historia nostra non sequor, sed Clarissimi P. Corbiniani Khamm vestigiis insisto: qui tamen ipse non dissimulat, anxiè se hujus sæculi Pontificum seriem texere; Gassero, Bruschio, Stengelio, Bucelino diversa sentientibus. Fortè tamen hic ipse Catalogus cuidam ulteriùs inquirere volenti serviet, cùm, excepto hiatu illo, rotundè cuivis Episcopo annos suos assignet.

(a) *Eckhart T. 2. R. Franc. f. 134. ex Cap. 2.* (b) *Idem ibidem ex cap. 4.* (c) *Cap. I. §. 3. num. 41.* (d) *Sec. V. sub B. Walthone.* (e) *Cap. II. §. II. num. 2.*



SÆCULUM SECUNDUM WESSOFONTANUM

Ab anno Christi 853. usque ad annum 953.

CAPUT I.

QUæ adhuc de Reimundo Abbate tertio scribenda superessent, ea jam §. III. præcedente absolvimus. Præfuit enim ille viginti etiam annis ab initio hujus Sæculi, demum anno 873. defunctus. Quare ad reliquorum Abbatum nomina & sacræ gubernationis tempora transimus.

§. I.

ADELHELMUS Abbas quartus. SNELLO Abbas quintus. HATTO Abbas sextus. Sigimarus Abbas SEPTIMUS.

1. *ADELHELMUS* Abbas anno 873. Reimundo successit, sive fratrum suffragiis, sive Imperatoris favore. Proximo anno, nempe Christi 874. ad superos abiit Adalgerus Episcopus Augustanus, cui defuncto subrogatus est S. Nidgarius seu Neodegarius, antea monachus & Abbas Ottoburanus. Hic paucis annis, quibus præfuit, plurimùm profuit doctrinâ, effusâque in Ecclesias & egenos liberalitate. Quarto autem præsulatus anno migravit ad cœlos. Illi suffectus est Lanto anno 878. qui Ecclesiam S. Magni collapsam erexit, ejusdémque Divi Vitam Ermanrico Elvacensi Monacho conscribendam demandavit. Lantonem anno 883. excepit Udalmannus Episcopus, seditque annis septem, quo gubernante anno 886. Abbas noster Adelhelmus obiit, cùm per duodecim annos Monasterium nostrum rexisset.

2. De Adelhelmo Anonymus quidam sub initium Sæculi decimi sexti annotávit, eum ab aliquibus dictum fuisse ADILMANNUM, atque id nomen in veteri Capella Beatissimæ Virginis Wessofontana se vidisse. (a) Falckensteinius de inclyto stemmate Adelmannorum de Adelmannsfelden scribens antiquius illud esse asserit, quàm Bucelinus docuerit: hic enim ejus stemmatis originem ducit ab anno 1236. ipse verò producit ADELMANNUM quemdam, Moguntiæ S. Albani Abbatem, qui anno 1093. vixerit. Quo jure Falckensteinius, eodem alius stemmatis hujus antiquitatem auxerit, ADILMANNUM nostrum seu Adelhelmum Abbatem ab anno 874. huic illustrissimo stemmati asserendo. Quod quàm nobis honorificum foret, tam non volumus esse sententiæ pertinaces. In honorem tamen clarissimi sanguinis hanc animadversionem nostram latere noluimus. (b)

3. SNELLO Abbas Adelhelmo successit anno 886. sub cujus initia, nimirum anno 890. defuncto Udalmanno Episcopo Augustano successit Witgarius. Hic post tres annos mortuus sacros fasces S. Adalberoni reliquit, qui in monasterio Elvacensi monasticam vitam professus, inde ad informandum Ludovicum Arnulphi Imperatoris filium evocatus, denuò ad monasterii sui Abbatiam gerendam revocatus, pro generis sui splendore (erat enim ex Comitibus Witislingæ & Kyburgi oriundus) & in-

signi

figni virtutis ac sapientiæ merito ad Episcopatum Augustanum promotus est, uberrimo Diœceseos emolumento. Elogium ejus amplissimum legitur apud Khammum; (c) nullum verò potest esse magnificentius, quàm quòd S. Udalricum, cognatum suum adolescentem, ad virtutem verbo & exemplo ipse instruxerit, & Episcopatui paulò post se tanta cum gloria gerendo aptaverit.

4. De Snellonis actis nihil nobis innotuit. In Catalogo perveteri Librorum Bibliothecæ nostræ, circa Sæculi duodecimi finem conscripto, invenio *Missale Snellonis*. Num id ipse manu sua conscripserit, vel aliunde monasterio comparaverit, aut secum ad religionem veniens apportaverit, non ausim statuere. Cæterùm obiit Snello anno 904. die decimâ quartâ Calendas Apriles, postquam annis octodecim gubernavit.

5. HATTO, post Snellonem ad clavum promotus, duobus tantùm annis & aliquid ultra monasterio præfuit, ærumnis fortè confectus. *Hujus* enim *tempore*, ùt Chronicon nostrum loquitur, *combusserunt Hunni Bavariam.* Ad rem doctissimus Eckhartus scribit: *non diu post hæc*, anno nempe 907. *Bajoarii cum Hungaris congressi magnam stragem patiuntur. In ipso prælio fortissimus* Luitboldus dux *occumbit, cui filius ejus* Arnulfus, *teste continuatore Rheginonis*, in Ducatu *succedit*. (d) Eodem in prælio cecidit Uto Frisingensis Episcopus, Meichelbeckio teste. (e) Chronicon etiam Nideraltahense conqueritur, Aaronis Abbatis tempore, si non anno 907. certè 910. vel 912. vastata fuisse Orienti propiora Bojariæ Monasteria, ad Superiorem & Inferiorem Quercum, Mettenense, Osterhovense, & alia. (f) Quis tunc terror, & trepidatio patriam universam concusserit, conjicere facilius est, quàm explicare. Sine dubio Reyspachium quoque nostrum non exigua passum est detrimenta. Inter turbines illos ne dies quidem emortualis de Hattone est annotatus.

6. Hattoni atrocissima illa tempestate SIGIMARUS successit anno nongentesimo septimo. Non additur, quamdiu præfuerit. Sola dies obitûs invenitur, sexta Idus Novembris. Anno 909. à terrenis ad cœlestia transiit S. Adalbero Episcopus Augustanus post sexdecim regiminis annos, & Hiltinum successorem accepit, qui per annos quindecim sedit. De Sigimari nostri actis nil venit ad posteros. Cùm igitur incertus sit annus, quo iste decesserit, & quo Benedictus Abbas successerit, operæ pretium putavimus, de famoso illo Bojorum Duce Arnolpho, quem plures *Mali* nomine appellant, circa hoc ipsum tempus dominante, pauca, & compendio dicere.

(a) *MS. D. paginâ insertâ post fol. 22.* (b) *Vid. Falckenstein Antiquitat. Nordg. Parte 2. Cap. I. §. 3.* (c) *Hierarch. August. Cathed. fol. 120.* (d) *Tom. 2. Rer. Franc. fol. 818.* (e) *Hist. Frising. Tom. 1. Part. 1. fol. 156.* (f) *fol. 58.*

§. II.

De Arnolpho Bojorum Duce strenuissimo.

1. MEntionem jam fecimus de Hungaris Bajoariam dirè invadentibus, & Luitboldo Duce Bojorum in pugna interempto. Tantæ calamitati remedium sperabatur ex Arnolpho Duce, quem Luitboldo patri successisse diximus. Quòd Arnolphus Ducis & nomen & dignitatem palam gesserit, patet ex titulo, quem anno nongentesimo octavo diplomati præfixit: *Arnolphus divinâ ordinante providentiâ Dux Bajoariorum & etiam adjacentium regionum.* (a) Nec animus Duci defuit, nec spes concepta patriam fefellit. Nam anno 912. ut Hermannus Contractus testatur, (b) celebrem ex Hungaris victoriam reportavit. Cùm enim illi vastatâ miserè Suevia per Bavariam iter relegerent, Arnolphus Dux, & cum eo Erchangerus, Perchtoldus, Adalricus Comites ad Oenum fluvium cum numeroso exercitu, ex Bojis Alemannísque collecto occurrerunt, eósque strage tam luculenta prostraverunt, ut ex omni numero haud plures, quàm triginta, evasisse memorentur. (c) Breve verò Bojis hoc gaudium fuit: cùm Arnolphus biennio pòst Henrici Saxoniæ, Burchardi Sueviæ, Gisilberti Lotharingiæ Ducis exempla secutus, Conrado novo Francorum Regi bellum intulit: illis verò victas manus dantibus, quod ipse dignitatis patriæ tenax facere noluit, fugá se recipere in alpes Noricas & Carantanas coactus fuit.

2. Ibi dum latet, anno 916. Althemii in Rhætia coacto Episcoporum Concilio Aventinus Arnolphum è fidelium cœtu proscriptum fuisse nullo nominato teste asserit. Verùm Ekkehardus junior, sæculi undecimi scriptor, omisso Arnolpho, tres alios nominat propter injurias Salomoni Constantiensi Episcopo illatas condemnatos. Arnolphus dein Salisburgo reversus in patriam, novúmque bellum in Conradum molitus, Ratisbonæ se communivit: sed à Rege obsessus, ejúsque potentiâ territus cum uxore & liberis in Hungariam elapsus est. Audita demum Conradi morte, quæ anno 918. contigit, certiórque factus de Henrico Aucupe in Regem electo, anno sequente in patriam rediit, à primoribus Bojorum titulum Regis accepit, operâ inter Optimates divisâ mures urbis Ratisbonæ exstruxit, & munita turri roboravit. Henricum Regem adeò non timuit, ut potiùs ipse Rex, incertam belli aleam experiri nolens, Arnolphum ad colloquium evocârit, maximis promissis amicum fecerit, facultatémque Bojariæ Episcopos constituendi eidem concesserit.

3. Ar-

3. Arnolphus jam Ducis titulo contentus obligatam semel Henrico fidem ad obitum usque inconcussam servavit. Nam & proximo anno pro Rege exercitum in Bohemiam duxit, gentémque tumultuantem ad ejusdem obsequium compulit. Paria officia Henrico Arnolphus præstitit anno 928. quo iterum Bohemos armis invasit, penitúsque debellavit, & eorum regem ad annuum tributum Henrico pendendum coëgit. Arnolphus verò Dux, qui ad sustinendos bellorum sumptus Ecclesiarum quoque facultates impendere sibi fas esse existimaverat, querelis sacrorum hominum commotus anno 932. Conventum cum Episcopis Dingolfingæ celebravit, & juxta Henrici præceptum Ecclesiæ præ cæteris Frisingensi erepta in Tiroli bona restituit, negotio desuper Bertholdo fratri commisso: unde rectè collegit Brunnerus, teste Hansizio, (d) Arnolphum Ducem *saniorem deinceps animum etiam adversus cæteras Ecclesias induisse.*

4. Quis verò fieri potuisse existimet, ut omnibus satisfaceret? Habemus vetustum in membrana catalogum, quo recensentur *prædia Wessinesbrunnensi Ecclesiæ subtracta*, diversis septendecim locis, & quidem *ad Munichen hobæ decem, ad Sliten sex hobæ, ad Scaliswanch hobæ sex:* alibi tantum *hoba una* vel *dimidia.* Quantum ex his omnibus restitutum fuerit, non legimus. Slitensia quidem & Scaliswangensia possidemus, sed neutro loco tot prædia supersunt, quot ibi numerantur. Pro Monacensibus ea fortè restituta censeri possint, quæ sæculo undecimo *ad Prünnen, Guttingen, Mosabe, Senthingen, & in illa Præpositura trans fluvium Isaram* possedimus. (e)

5. Anno dehinc 935. Arnolphum nostrum, à Veronensi Episcopo & Milone Comite invitatum, coronæ Longobardicæ spes in Italiam vocavit. Expeditionis socius Duci fuit Udelbertus Archiepiscopus Salisburgensis: (f) & Verona quidem statim Arnolpho paruit; verùm is, quorumdam è suis intellecta per insidias strage, fraudem veritus in Bavariam redire consultius duxit. Anno 936. Henrico Regi successit Otto ejusdem filius, qui cùm Aquisgrani à Moguntino publicè inauguraretur, Arnolphus noster equestri ordini & eligendis locandísque castris præfuit, fidem suam Cæsari, modestiam imperio probavit, nihil, ut antea, turbarum machinatus. Anno proximè sequenti diem suum obiit Arnolphus Dux & Ratisbonæ in templo S. Emmerami honorificè sepultus est.

6. Apage ferales illas fabulas, quæ feruntur de iis, quæ mortem Arnolphi secuta sint, nullo authore synchrono aut ejus ævi suppare nixa, qualia

qualia ad febrientium somnia sunt relegandа. Hoc potiùs laudis eidem dandum, quòd ipsa illius, quæ tantopere vapulat, ad Hungaros fuga ex aliqua parte Bavariæ fuerit salutaris. Nam eo dominante gens illa in Alemanniam quidem, aliásque Germaniæ provincias ferro, rapinis, & igne desæviit: in Bavariam non venit, quamdiu Arnolphus vixit à strage illa, quam Hungaris anno 912. apud Oenum fluvium intulit. Vix verò efflârat animam, eorum crevit audacia; eodem quippe anno 937. quo *Arnolphus Noricorum Dux obiit*, subdit Hermannus Contractus: *Hungari per Bajoariam Alemanniamque & orientalem Franciam prædis, gladio, ignéque furendo vagabantur.* (g) Atque hæc de Arnolpho fortissimo Duce, fatorum victore, hodiernæ Serenissimæ Domûs Bavaricæ Progenitore, nec leviter assentando, nec sæviùs accusando, referenda, & lectoris æquo judicio subjicienda censuimus. Omnia verò ex antiquis Authoribus desumpta largiùs exhibet *Justa defensio* ab Agnello Candler Monachii edita. (h)

(a) *Hund. T. 1. Metrop. f. 131. in Addit.* (b) *apud Pistorium Tom. 1. fol. 255.* (c) *Agnell. in Justa defensione fol. 5. n. 2.* (d) *Tom. 2. Germ. S. fol. 146. num. 2.* (e) *MS. D. fol. 36.* (f) *loco Hansiz. ante citato fol. eod. num. 3.* (g) *apud Pistorium Tom. 1. fol. 258. ad ann. 937.* (h) *Sect. 2. à fol. 5. usque ad fol. 13.*

§. III.

BENEDICTUS I. Abbas octavus.

1. HUnc denique Abbatem ex gremio monasterii nostri ad regimen promotum affirmare possumus, cùm à Stephano nostro Leopoldero dissertis verbis dicatur *presbyter & monachus nostræ Congregationis.* (a) Alius Codex ita de Benedicto loquitur: *hic fuit optimus scriptor, ut patet in suo Calendario, quem manu sua scripsit, ubi plures donationes nobilium & ignobilium personarum habentur.* (b) Alludit Anonymus Wessofontanus initio sæculi decimi sexti de Benedicto nostro sic loquens: *singularis scriptor extitit, ut apud nos Calendarii antiqui littera monstrabit.* (c) Die quinto Idus Novembris in eodem Calendario annunciatur Benedicti obitus his verbis: *Benedictus Abbas & Monachus nostræ Congregationis, qui istum librum scripsit, obiit.* (d) Calendarium istud in autographo, quod iniquo illo Aventini, Bruschii, & aliorum ævo ablatum credimus, non ampliùs superest: ejus ecgraphum habemus à Stephano Leopolder ineunte sæculo XVI. exaratum. Præfiguntur in eo singulis mensibus duo versus hexametri, ex quibus & Poëtices illo ævo usitatæ, & Mathematices peritum

ritum fuisse Benedictum patet; præter insignem Orthographiæ elegantiam.

2. Mabillonius scribit, (e) Adalberonem S. Udalrici ex sorore nepotem *cuidam doctissimo magistro Benedicto monacho*, ut in Grammatica aliisque disciplinis erudiretur, fuisse commendatum. In Actis autem Sanctorum, (f) ubi vitam S. Udalrici recenset, de Benedicto magistro in Notis interrogat: *quis iste Benedictus? nondum addiscere potui. An Benedictus Abbas Wessprunensis in Bavaria ante medium sæculum decimum?* Si vir iste doctissimus & modestissimus diutius apud nos dimorari, & illa, quæ superiùs de Benedicto protulimus, in chartario nostro videre potuisset, (g) fortasse non interrogâsset aut divinâsset tantùm, sed agnovisset & vulgâsset, quisnam esset ille, cui tanquam *doctissimo magistro Benedicto monacho* Adalberonem, suum ex sorore nepotem, S. Udalricus commendavit, ut in Grammatica aliisque disciplinis erudiretur. Nempe Benedictus Abbas noster is verosimillimè fuit, qui egregium & illustrissimum adolescentem ad pietatem & artes optimas erudivit, eâque operâ sanctum Adalberonis avunculum ita sibi devinxit, ut cœnobium nostrum amore foveret, beneficiis cumularet. Chronologia certè nihil refragari videtur, cùm Benedictus ab anno circiter 933. usque ad annum 943. præfuerit, adeóque Adalberonem pluribus annis erudire potuerit, donec Byrtilone Abbate defuncto Adalbero ad Abbatiam Ottoburanam anno 941. promoveretur. (h) Imò, si verum est, quod P. Corbinianus Khamm, tam senio, quàm eruditione venerabilis asserit, Adalberonem juniorem, sicut seniorem, *jurâsse in legem S. Benedicti*, (i) quis inconsultæ temeritatis arguat suspicantem, eum ad ejusdem sanctissimi Patris regulam in Monasterio nostro fuisse formatum, si non etiam eamdem professum?

3. Quantum ad Benedictum Abbatem nostrúm attinet, tametsi apud fontes nostros Religioni juratum fuisse, certum habeam, antea tamen quàm Abbas fieret, in alterutro Moguntino S. Mathiæ, vel S. Maximini cœnobio litteris & scientiis eruditum existimo. Florebant illo sæculo ambo hæc monasteria maximis doctoribus, præcipuè Florberto & Eberhardo, de quibus Mabillonius, (k) & aliis multò pluribus, quos Reverendissimus Honthemius in Historia Trevirensi Dogmatica Pragmatica per ordinem recenset. (l) Confirmat me in ea de Benedicto nostro sententia id, quod ex ipso ejusdem Calendario, de quo superiùs, eruo: cur enim in eo tot Sanctos Trevirensium Præsules memorâsset, nisi rerum Trevirensium notitiam propiùs ipse hausisset? Recensentur verò in Januario Celsus, in Aprili Abrunculus, in Majo Maximinus & Modoaldus, in

Octo-

Octobri Severinus, quorum nulla est cum Augustana Diœcesi connexio, cùm simus Provinciæ Moguntinæ, non Trevirensis.

4. Denique Benedicto Abbati pro Adalberonis instructione largum à S. Udalrico didactrum fuisse persolutum arbitror, dum decimas quasdam Monasterio attribuisse legitur in Bulla Innocentii II. Pontificis anno 1141. datâ, his verbis: *super decimis à Fratribus nostris Wolfgango Ratisbonensi & UDALRICO Augustensi Episcopis Ecclesiæ vestræ concessis, nullatenus liceat vos ausu temerario fatigare.* (m) Obiit Benedictus, ut supra diximus, anno Domini 943. die quintâ Idus Novembris, id est, ejusdem mensis die nonâ.

(a) *MS. C. fol. 56.* (b) *MS. E. fol. 4.* (c) *MS. D. inter fol. 22. & 23.* (d) *MS. D. fol. 19.* (e) *Tom. 3. Annal. Bened. fol. 381. num. 71.* (f) *Idem Sæc. V. fol. 425.* (g) *Vid. etiam Indices tam in Actis, quàm Annalibus Mabill. art.* Benedictus. (h) *Hier. Aug. P. I. Cathed. fol. 122. num. 14.* (i) *Hier. Aug. P. 3. Regulari fol. 346. num. 86. Confer. cum nota præced.* (k) *Tom. 3. Annal. fol. 250.* (l) *Histor. Trevir. Dissertatione ad Sæc. 10. f. 250. & 251.* (m) *MS. D. fol. 51.*

CAPUT SECUNDUM.

De SS. Thientone & sociis Martyribus, eorúmque residuis in hodiernum diem monumentis.

TAmetsi Authores diversi de Thientone Abbate nostro, sociisque ejus scripserunt, plura tamen desiderârunt, quàm vel à nobis, vel ab aliis, ad quos meliora nostra documenta pervenisse suspicamur, potuerint obtinere, orbi catholico ad pietatis incitamentum enarranda. Maximè verò Religiosissimi ac Eruditissimi Hagiographi Antverpienses tomo primo Aprilis (a) solicitè inquirunt de Sanctorum nostrorum Actis, iterúmque tomo septimo Junii inter tres, quos ex omnibus tomo I. Aprilis die 3. prætermissis etiamnum memorandos recensent, Thientonem quoque collocant, & tacitè documenta requirunt. (b) Sicut igitur Clarissimis Viris gratias debemus amplissimas pro constanti in Sanctos nostros studio, ita quidquid nobis de illorum memoria reliquum est, promptissimè communicamus, tamquam iis Scriptoribus, quorum operâ Martyrum nostrorum gloria latiùs per orbem, quàm hac meâ scriptiunculâ propagetur. Imò secundum istud Monasterii nostri seculum non meliore cerâ obsignare nos posse censemus, quàm pretio-

pretioso Martyrum istorum sanguine, quem pro Catholica fide tam fortes athletæ, quàm innocentes victimæ profuderunt.

(a) *Ad diem 3. fol. 256. inter prætermissos.* (b) *Tomi 3. Parte II. In Ephemeridibus ad diem 3. April.*

§. I.

Thientonis Abbatis acta & fata brevi historiâ referuntur.

1. NOnus Monasterii Wessofontani Abbas Thiento fuit. Incidit ille in tempora profectò iniquissima, quibus tum hostium furore, tum Principum vi exhaustæ facultates monachorum numerum ad paucitatem redegêre. Quo admirabilior Thientonis nostri constantia videri debet, quem non piguit inter rei familiaris angustias, intérque minantes hostium gladios cœptum pietatis iter prosequi, neque in mentem venit, vitam suam securitati mandare. Habebat secum in cœnobio novem, nec plures monachos. Cum his divinam voluntatem fortissimo animo præstolabatur, paratus, si cœlo sic foret libitum, sanguinem pro Christi lege profundere.

2. Et jam optata suscipiendæ pro Christo mortis videbatur occasio appropinquare, cùm Snelbardus, Abbas Benedictoburanis obtrusus, Hungarorum, alpibus viciniora vastantium furori se subtrahens, deserto grege suo ad nostrum se monasterium inexspectatus hospes recepisset. Is jam anno 18. hujus Sæculi, non liberis monachorum suffragiis electus, sed imperatoria potestate missus, cujus non faciem modò, sed & nomen Benedictoburani nesciebant, donec repente illius adventum cognoscerent, & nomen simul. Erat tunc inter eos quidam magnæ gravitatis Presbyter & Monachus, Adalungus nomine, qui, quid de novo Abbate sentiret, requisitus, vaticinando dixit: „*Scitote, fratres, in adventu Snelbardi monasticæ disciplinæ teniorem habiturum finem; hoc enim nominis illius celeritas præsagit, quòd accelleraverit ruina monastici hujus status. Quod ne incredibile putetis, hoc vobis signum erit, me scilicet hodie à carnis carcere transiturum.*„ Quod & factum est. Cunctis namque in Ecclesia coadunatis cum apparatu Processionis pro susceptione solita novi Abbatis, idem beatus vir oratione præmissa expansis in modum crucis manibus ante altare S. Benedicti corruens spiritum reddidit 18. Calendas Decembris, & sic adventantis ruinæ, quam prædixerat, tremendum in semetipso exemplum præbuit. Hæc ex Chronico Benedictoburano; ubi post pauca subjicitur:

jicitur: *Abbas Snelbardus jam pridem, quia ultramontanis fuerat abominabilis* (Hungaris) *in Wessinisbrun cœnobium fugerat, ubi & vigesimo octavo sui regiminis anno dormitione præventus pausat.* (a) Contigit hæc Snelbardi mors anno Domini 946. si verum est, quod anno 918. intrusus nomen Abbatis gesserit viginti octo annis. Adeatur Hundius. (b) apud quem, quid de insigni illo S. Benedicti Monasterio deinceps usque ad annum Millesimum Trigesimum, quo verum denuò Abbatem accepit, actum sit, inveniri potest.

3. Tuti tunc erant Wessonis Fontes, donec elapsis novem annis proximior arderet Ucalegon. Obierat anno 954. in cœnobio Werdensi, quod ipse nuperrimè sibi, pluribúsque incolis Benedictinam Regulam professis fundaverat, S. Rasso Comes Andecensis, singulari Dei providentiâ, velut alter Loth, communi ereptus incendio. Proximo enim anno infusi in Bavariam Hungari ferro omnia ignéque vastabant, divinis præsertim ædibus & hominibus sacris infesti. Jamque ad Ambronem lacum progressi situm in Amperæ fluminis insula monasterium Werdense furori suo victimam designabant. Tres monachi, vix rumore prævio moniti, ægrè se fugâ cum sacrarum reliquiarum thesauro in castrum Andecense receperunt. Horum nomina ne perirent, cavit Conradus de Hornstein monachus Madronensis, quo teste primus Eusebius, alter Adalbertus, tertius Adelherus vocabantur. (c)

4. In eo rerum turbine, cùm jam crematarum ædium fumus oculos, fugientium lamenta aures ferirent propinquiùs, nostri, nequid vel timidè vel temerè agerent, qui animosiores erant, è cœnobio quidem emigrant, in propinquo tamen monte, qui nunc à S. Cruce nomen habet, mortem fortiter exspectant. Tres ex omni numero, melioribus sese temporibus servaturi, bonâ Thientonis Abbatis veniâ, longiùs se in fugam dedêre. Involant igitur, velut Harpyiæ in epulas, rabie concitati hostes in monasterium: quod ubi vacuum inquilinis, multóque magis prædâ, quæ avaritiam satiaret, inane invenerunt, sanguinem pro auro sitire cœperunt, & undique conquisitos ac repertos denique monachos cum Abbate crudelissimè contrucidârunt. Spectatur hodiedum prægrande saxum, quod innocentibus victimis pro ara, fortissimis athletis pro arena fuisse traditur. Nec diu morata est divina Nemesis, sed latronibus impietatis ac tyrannidis suæ pœnam inflixit eodem anno die decima mensis Augusti, cùm auspice S. Udalrico, duce Ottone Imperatore in campo Lycio omnes ad internecionem cæsi sunt. (d)

5. Post-

5. Posquam evanuêre hostes, omnisque eorum metus, immani clade restinctas, subsedit, non defuêre pii agricolæ, qui reperta fortuito martyrum corpora miserati & immania vulnera intuiti colligerent, & eodem, quo cæsi fuerant, loco qualicunque sepulcro mandarent. In rei gestæ monimentum sanctæ Crucis columna ibidem defixa solo est, à qua deinceps totus ille clivus acceptum nomen hodieque servat. Quo deinceps tempore sacræ martyrum exuviæ ad monasterium inde deportatæ fuerint, non satis liquet. Fortasse, quamprimum Divi Benedicti leges denuò fuerunt apud fontes Wessonis resuscitatæ: qua de re nobis singularis disceptatio paulò inferiùs orietur. Hoc certum, sub Abbate Conrado de Menchingen, qui ab anno 1220. usque ad annum 1243. præfuit, jam in veteri S. Mariæ Capella sepultam fuisse Beatam Diemodem, inter cujus ossa & SS. Martyrum reliquias tenuis solùm paries inventus est. (c) Anno deinde 1471. Paulus II. Abbas renovavit eandem Deiparæ Capellam, Choro novo & ampliori, tribus altaribus, organo, & campanellis instruxit: anno verò 1483. ad majorem SS. Martyrum venerationem Indulgentias Romæ à quindecim Cardinalibus & Episcopis obtinuit pro visitantibus Capellam, *in qua jacent septem corpora martyrum temporè S. Ulrici ab Ungaris martirizatorum*, ut sonat diploma.

6. Translatis ad monasterium corporibus remansit in loco martyrii Capella lignea, incertum, quo tempore ædificata. Ejus mentionem facit Stephanus Leopolder, monachus & historiographus Wessofontanus, qui vixit usque ad annum 1525. & ultra. Verùm Benedictus Schwarz, Abbas ejus nominis tertius, ampliori honore martyrii locum prosequendum ratus, sacellum amplius ex lapidibus à fundamentis excitavit anno Domini 1594. Quam deinde successor ejus Georgius Ybelhoer Abbas Wessofontanus, annuente Henrico de Knoeringen Episcopo Augustano, per Sebastianum Breuning Episcopum Adramitenum ac Suffraganeum in honorem S. Crucis consecrari curavit. Ab eo tempore publicæ ad illud sacellum supplicationes statis diebus instituuntur. Lapis etiam, super quo cæsos diximus martyres nostros, ad posterorum memoriam relictus & è pavimento sacelli tribus ferè palmis eminens in veneratione habetur: & aditur sæpe ab ægris, Martyrum patrocinio sanitatem flagitantibus, nec rarò obtinentibus. Pueros præsertim cholicæ doloribus cruciatos invenisse illic levamen, fœminas quoque sterilitate afflictas prolem accepisse, vivis nuperrimè testibus est comprobatum.

(a) *Paulus Ranck in Collectura Monasteriorum fol. E. 2.* (b) *Hund. Tom. 2. Metrop. fol. 139. & 140. Item f. 145. & 146.* (c) *Hund. Tom. 3. Metr. f. 223. & 224.*

(d) præter Authores Bavaros & exteros leg. Conlin. Hierarchiæ August. parte I. Cathedr. à fol. 133. num. 38. 39. 40. & cæteris. (e) Lege seq. §. II. num. ult.

§. II.

Quibusdam dubiis lux affertur, & præsens Beatorum Martyrum honor explicatur.

QUoniam post hæc simpliciter enarrata erudito lectori dubia quædam oboriri possunt, ideo quæstionibus nonnullis respondendum ad lucem afferendam putamus. Hoc fiet primùm enodandis, quas suspicamur oggeri posse difficultates: deinde proferendo vetera & nova in rem propositam Authorum testimonia: quod si fecerimus, satisfactum à nobis muneri nostro putabimus.

1. Utrùm Thiento, Abbas Wessofontanus, in monasterio nostro solemnem etiam votorum professionem emiserit, an verò aliunde fuerit accitus, controversum videtur. Dubio huic ansam præbuere Chronica nostra, in quorum nullo asseritur, eum fuisse monachum *nostræ Congregationis*: quod tamen de præcessore ejus Benedicto disertè affirmatur. Præterea Hermannus Contractus ad annum 933. asseverat, eodem apud S. Gallum factum esse Abbatem Thietonem, quo nomine rectius appellari Thientonem nostrum Mabillonius arbitratur: & antiquissimus noster Abbatum catalogus in membrana exaratus non Thiento, sed Thieto scribit. Addit Hermannus, Thietonem præfuisse ad S. Gallum annis ferè decem. (a) Jodocus Mezlerus de Viris illustribus S. Galli de Thietone habet, eum S. Galli abbatiam adiisse anno 933. quinto Calendas Novembres feriâ secundâ & post quatuor annos totum monasterium cum templo conflagrasse: ipsum tandem senio (credo & labore) fessum post novem regiminis annos Abbatiâ se abdicâsse. (b) Quæ abdicatio incidit in finem anni 942. vel principium anni sequentis: quo ipso anno Thiento apud nos Abbas est factus. Potuit S. Udalricus apud S. Gallum educatus Thietonem à teneris, forte condiscipulum, nôsse: & quia Monasterio nostro Benedicti Abbatis morte viduato, ob memoriam Adalberonis nepotis sui, consulere voluit, eundem huc evocare, ut in tenui monasterio minus laboris, plus quietis inveniret, præcipuè postquam eodem anno 943. Hungari à Bojis cæsi quietem patriæ indulsissent, ut idem Hermannus Contractus testatur. Sive autem Thieto ad nos adolescens in tyrocinium venerit, sive emeritus ad S. Gallum Abbas no-

vos

rum hic fasces acceperit, utrumvis nobis in gloriam & solatium cedit, tanti viri, seu Thiento seu Thieto vocetur, Sacris Reliquiis ac patrocinio semper & meritò gavisuris.

2. Verùm alia quæstio oritur, utrum revera inter septem nostros Martyres etiam Thiento fuerit? Codex antiquior à Stephano Leopolder anno 1498. absolutus, tantùm *septem fratres* refert sine ulla Abbatis memoria. Neque Thientonis ulla fit mentio in Calendario Benedicti Abbatis. Accedit, quòd author quidam, quem ipse legi, sed nunc reperire nulla contentione possum, disertè affirmet, cæsos apud nos septem fratres fuisse, Abbatem verò ipsum, quem ille non nominat, fugâ se subduxisse. In promptu est ad hanc dubitationem responsio; cùm primùm ipse Stephanus, majorum reor & populi persuasione edoctus, in duobus aliis Codicibus in seculum decimum sextum productis multóque emendatioribus, enarratâ fratrum cæde statim adjungat: *inter quos, ut piè creditur, Thiento Abbas unus extitit.* Horum Codicum unus ad monasterium nostrum pertinet, alter ad Tegernseense, & hic & ille à Stephano scriptus: Tegernseensis autem omnium absolutissimus, à Clarissimo Bernardo Pezio laudatus, cujus ecgraphum ante triginta & plures annos à nostris inde exscriptum nuperrimè feliciter ad manus meas pervenit. Ex Stephani ergò nostri verbis nulla illo tempore suspicio de fuga Abbatis, sed pia de martyrio fides & opinio fuit. Accedit alia ratio; quod tres illi monachi, de quibus suprà, ad tutiora, & quidem in montem S. Petri Madronensem sese recipientes, novúmque monasterium, Comitis Andecensis ope erigentes, non Thientonem, sed Mecdinum sibi Abbatem elegerint, numquam utique id commissuri, si cum ipsis fugisset, & novam sedem elegisset. Denique ut omne dubium tollatur, Historicus ille, quisquis sit, in errorem delapsus est, quòd fugam Snelhardi ad nos, de quà superiùs, per incuriam Thientoni nostro impingaverit; homo certè obscurus, & cùm fugam asserat, nomen verò fugientis ignoret, inter gregarios numerandus. De Thientone nostro, ubicunque professus fuerit, Abbas certè noster, dubitandi causam non invenimus, cùm tot præclara posteritatis testimonia in tertium jam sæculum ejusdem martyrio suffragentur, sequenti §. recitanda.

3. Dies obitûs & martyrii nullo nostrorum codicum proditur. Plerique Authores patrii tacent. Exteri diem tertiam Aprilis assignant, non aliâ, quod sciam authoritate, quàm Hugonis Menardi. Hunc secuti Hagiographi Belgæ Tomo I. Aprilis Thientonem die 3. ejusdem mensis inter prætermissos sic enunciant: „ Thiento Abbas Wessofontanensis, cum

 „ sex

„ sex fratribus in Khreitzberg ab Hungaris anno DCCCCLV. martyri-
„ zatus refertur cum titulo *Beati* Tom. 3. Metropolis Salisburgensis anno
„ 1620. editæ ab Hundio & Gewoldo pagina 486. non indicato die ne-
„ cis. Menardus ad tertium Aprilis eum referens in Martyrologio Be-
„ nedictino, anno 1629. excuso, *in Bavaria*, inquit, *B. Thientonis Abba-*
„ *tis & Martyris.* At Bucelinus dein suo Menologio cum titulo Sancti
„ eumdem inscripsit citata Bavaria Sancta Matthæi Raderi &c. „ Et ite-
rum Tomo VII. Junii in Ephemeridibus ad diem 3. Aprilis inter præter-
missos ponunt: „ Thiento Abbas Wessoprunnensis in Bavaria ab Hun-
„ garis 10. sæculo martyrizatus. „ Plerique fere posteriores in eamdem
diem conspirant. Unde ergo hanc diem assignandi causam Hugo desum-
psit? Non aliam luculentiorem video, quàm litteras illas Cardinalium,
quibus Capellam Beatæ Virginis visitantibus certas Indulgentias imper-
tiuntur. Litteras hasce *die tertia Aprilis* datas paulò post inter Testimonia
recitabimus. Caeterùm credere malim, non in Aprilem, sed seriùs in-
cidisse Martyrum cædem, & paucis ante S. Laurentii festum diebus, cùm
Hungari Augustam Vindelicorum temerè obsidentes vicina quæque ex-
currendo vastarent. Memoriam tamen Martyrum die 3. Aprilis recolen-
di causam sufficientem præbent prædictæ Cardinalium litteræ, tanquam
antiquissimæ martyrii & publici honoris testes.

4. Quæret fortasse aliquis, quo jure venerandi nostri Martyres fre-
quenter hodie *Beati* vel etiam *Sancti* vocentur. Nihil ego melius ad ex-
cusationem responderi posse existimo, quàm quòd & *Martyrum* & *Beato-
rum* titulum pluribus, quàm centum annis, ante sapientissimas Urbani
Octavi Papæ hac super re Constitutiones jam obtinuerint, uti epitaphium
plumbeæ tabellæ insculptum, & Diploma Indulgentiarum à Cardinalibus
concessarum, quod postea producemus, testatur. Præterea in odium
Fidei cæsos nemo negaverit, & Brunnerus ipse exoptat scripto mandatas
fuisse creberrimas illa tempestate Sacerdotum & monachorum neces: eó-
que nomine solos ferè Wessobrunnenses, qui Thientonis seu Thyemo-
nis sui memoriam conservârunt, commendat. Coluntur ab Ecclesia
complures Sancti, tamquam Martyres, licèt non odio fidei, sed vel præ-
dæ cupidine, vel ob castitatis constantiam, vel in odium justitiæ, vel ob
concionandi fervorem occisi, mutilati, in exilium ejecti sunt. Summa
martyrii palma est, quæ mori, quàm fidem catholicam negare malenti
offertur. Hinc epitaphium illud martyribus nostris ante annos jam fere
quingentos consepultum jam eos Beatos vocat: *Hic jacent VII. corpora Bea-
torum* &c. Verùm nos hæc ipsa dicentes protestamur, & palàm inficia-
mur, eo nos animo quidquam dixisse aut dicere voluisse, ut canoniza-
tioni

tioni vel alteri Sanctorum honori procurando sternatur via, insistentes per omnia decretis Urbani VIII. Papæ, & S. Congregationis annis 1625. 1631. & 1634. editis: sicut & initio jam protestati sumus.

5. Superest, ut hodiernum sepulcri, quo conditi quiescunt Martyres, statum prodamus. Satis explicavimus veteres eorum tumulos, primum in monte Crucis & loco martyrii, alterum in Capella S. Mariæ Virginis, quæ etiam Basilica & Ecclesia quandoque vocabatur. Antiquissimam hanc Capellam primum monasterii nostri templum fuisse, donec major S. Petri ecclesia erigeretur, primo Sæculo diximus. Stetit hæc Capella annos nongentos quinquaginta quatuor, nempe ab anno 753. usque ad annum 1707. cùm ob veteris cœnobii angustias & ruinas necessarium fuit, novum & priore capacius monasterium struere, diruto veteri: cui fato etiam vetusta hæc & veneranda Capella subjacuit, unà cum cæteris destruenda. Anno igitur 1707. Reverendissimus Abbas Thassilo, anno superiore electus, petitâ & obtentâ Serenissimi Episcopi Augustani licentiâ, negotium aggressus est. Dies erat octava Novembris: præsente D. Abbate, P. Priore, & uno Conventuali admota à fabris est manus. In medio Capellæ sub lapide quodam statim inventa sunt septem corpora cum lamella plumbea his verbis inscripta: *Hic jacent VII. corpora Beatorum, qui tempore S. Ulrici ab Ungaris martyrizati sunt.* Proximè illis, tenui solùm pariete interjecto, inventa sunt etiam ossa beatæ Diemudis, quæ cùm fodiendo quærerentur, priusquam paterent oculis, omnibus astantibus suavem quemdam odorem afflaverunt. Ossa Virginis ordine naturali composita jacebant, & juxta illa duæ tabellæ, una lapidea, altera plumbea. Posterioris epigraphe hæc erat: *III. Cal. April obiit piæ memoriæ Diemut inclusa, quæ suis manibus Bibliothecam S. Petro hic fecit.* Tam ordinata Diemudis, quàm permixta martyrum ossa toto biennio in honorifico Sacrarii loco asservabantur.

6. Anno demum 1709. die 7. Novembris veneranda ossa stanneis arcis decenter & reverenter inclusa sunt, quarum uni corpora martyrum, alteri Diemudis exuviæ sunt immissæ. Quantum ad Martyres, erant ossa quædam proceræ staturæ indicia: quinque capita vix non ex toto illæsa cum multis dentibus etiamnum fixis supremum in arca locum occupantes duo reliqua capita jam diffracta cæteris ossibus permista jacent. Ossa, tota adhuc alba & decora, modica flavedine miscentur. Arcæ igitur sic inclusæ inter primam & secundam pomeridianam reposita fuêre in columna juxta aram S. Crucis à parte dextra septentrionali, palmæ altitudine è terra prominente arcâ & operculo munita. Similiter actum est cum ossibus

ribus Diemudis, quæ horâ quartâ pomeridianâ ad latus sinistrum seu Meridionale sepoſita ſunt, ſed paulò profundius, quàm martyres, terræ immiſſa. Hæc omnia fiebant abſque ulla ſolemnitate, Reverendiſſimo ſolùm Abbate cum aliquot Conventualibus & nonnullis familiaribus præſente, prout à Sereniſſimo Ordinario translationem hanc concedente diſertis verbis cautela hæc præſcribebatur.

7. Verùm cùm humiliùs, quàm Martyrum dignitas & Virginis merita exigerent, utrorumque oſſa cubare viderentur, & ne honeſtioris cujusque viri tumbam æquare; Reverendiſſimus Abbas eadem denuò alium in locum transferri juſſit, ut ornatior illis tumulus pararetur. Anno 1712. die 16. Auguſti reliquiæ Martyrum in Capitulum, deſtructæ jam Capellæ Marianæ proximum atque olim annexum, reverenter aſſervanda deferuntur. Interim in columna, ſub cujus pede jacuerant Martyres, collocanda Thientonis ſtatua adornatur, & ferreæ crates in faſtigium ſupernè coëuntes, auro & argento diſcriminatim obductæ parantur: lamina quoque nova hujus translationis teſtis epigraphe ſuâ inſtruitur, ſacris oſſibus adjungenda. Eadem cura, ſed paulò ſeriùs, Venerabilis Diemudis reliquiis adhibita, de qua nobis loco ſuo redibit ſermo.

8. Dum hæc parantur, annus ferè tranſiit. Die igitur 1. Julii anno 1713. corpora BB. Thientonis & ſex Sociorum martyrum repoſita ſunt priſtino templi majoris loco, quem diximus: unico tantùm oſſe, quod femoris fuiſſe videtur, excepto, duarum palmarum longitudine, quod Abbas Thaſſilo reſervatum Reverendiſſimo D. Quirino Millon Abbati Tegernſeenſi præclariſſimè de nobis merito, atque id ipſum ardentiſſimè flagitanti donavit. Ordo ultimæ hujus translationis hic erat. Ex capitulo, ubi interim fuerant aſſervata, in urna ſtannea oſſa ſacra deferebantur à RR. PP. Priore & Suppriore, præcedente Venerabili Conventu, & ſubſequente D. Thaſſilone Abbate, omnibus cucullatis. Dum finirentur Litaniæ Lauretanæ ſingulis ſabbatis publicè recitari ſolitæ, in altari S. Crucis interea arca Martyrum collocabatur. Poſtea juventuti, quæ ad preces convenerat, paucis explicabatur, quid rerum agatur: addita commonitio, ut geſtorum memores perſeverarent. Cohibenda fuit quorumdam ſeu religioſa aviditas, ſeu religio præcox, qui ſacras corollas arcæ applicare, ejúsque contactu quaſi conſecrare geſtiebant. Siquid factum, præter voluntatem Superiorum fuit, quibus propoſitum & cautum erat, nequa ſolemnitas, aut concurſus fieret, ſed ut omnia ex Sereniſſimi Epiſcopi Auguſtani nutu peragerentur. Atque ita ſine ulla in publicum pompa aut feſtivitate arca cum ſacris corporibus priſtinum in locum demiſ-

demissa est, lisque, quæ supra diximus, ornamentis aucta: ubi in hodiernum diem delitescit. Novæ laminæ cum antiqua sacris corporibus adjectæ hæc est inscriptio: *Beatus Thiento hujus loci Abbas nonus una cum sex monachis in Creizberg anno 955. in odium fidei occisus; deinde in Capellam B. V. translatus est: at verò anno 1707. 5. Aprilis à Thassilone, Abbate quinquagesimo quinto, omnium horum corpora inventa, atque hîc 1709. 7. Novembr. deposita sunt.*

His omnibus ita gestis qui ab initio usque ad finem interfuerit, nemo ampliùs è Religiosis superest, præter Reverendissimum DD. Bedam, modernum Abbatem, immediatum Thassilonis successorem: qui cùm hæc fierent, accuratè omnia in Ephemerides suas retulit, mihíque communicavit, ut ad Beatorum Martyrum gloriam publicarem, & posteritatis memoriæ commendarem.

§. III.

Documenta vetera, & testimonia Authorum de septem Martyribus Wessofontanis, & Thientone Abbate.

I.

Epitaphium vetustissimum.

INventis anno 1707. ut diximus, septem Martyrum corporibus adjuncta fuit tabella plumbea cum hac epigraphe: *Hic jacent septem corpora Beatorum, qui tempore S. Ulrici ab Ungaris martirizati sunt.* Cùm ergo Paulus II. Abbas Capellam S. Mariæ renovans & pro ea Indulgentias Româ impetrans nullam faciat mentionem de corporibus à se in ea reconditis, neque Stephanus Leopolder; imò credibile non appareat, corpora eousque in Monte S. Crucis permansisse: multò autem vero similius sit, jam initio sæculi decimi tertii Diemudem iis consepultam fuisse; ideò confidenter hoc testimonium primo loco posuimus. (a)

(a) *Ex Stephano Leop. & Ephemerid. Reverendiss. Beda ad an. cit.*

II.

Litteræ Cardinalium. (b)

ROdericus Portuensis, Oliverius Sabinensis, Joannes Albanensis, Episcopi: Stephanus titulo S. Mariæ in Transtiberim, Joannes titulo

S. Praxedis, Philibertus tit. SS. Joannis & Pauli, Georgius tit. SS. Petri & Marcellini, Joannes tit. S. Marcelli, Jeronymus tit. S. Grisogoni, Gabriel tit. SS. Sergii & Bachi, Ferricus tit. S. Vitalis, presbyteri: Franciscus S. Eustachii, Franciscus S. Mariæ novæ, Theodorus S. Theodori, & Raphaël S. Georgii, Diaconi: miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, universis & singulis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quanto frequentiùs fidelium mentes ad opera devotionis inducimus, tanto salubriùs eorum animarum saluti providemus. Cupientes igitur, ut Capella Beatæ Mariæ Virginis sita in ambitu monasterii S. Petri in Wessesbrunn Augustensis Diœcesis, *in qua, ut accepimus, jacent septem corpora martyrum tempore S. Ulrici ab Ungaris martirizatorum*, congruis frequentetur honoribus & à Christi fidelibus veneretur, ac in suis structuris & edificiis debitè reparetur, conservetur, & manuteneatur, necnon libris, calicibus, luminaribus, ac aliis ornamentis ecclesiasticis decenter muniatur, in ea quoque cultus augeatur divinus, & ut Christi fideles ipsi eò libentiùs devotionis causâ confluant ad eandem, & ad reparationem ac alia opera premissa manus promptiùs porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberiùs conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui dictam Capellam in Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis B. Mariæ V. & dictæ Capellæ dedicationis festivitatibus à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusivè, devotè visitaverint annuatim, & ad reparationem ac alia opera præmissa manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, Nos Cardinales præfati, videlicet quilibet nostrûm, pro singulis festivitatibus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, in quorum omnium & singulorum fidem, presentes litteras fieri, nostrorúmque sigillorum jussimus & fecimus appensione communiri. Dat. Romæ in domibus nostris sub anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, *die tertia mensis Aprilis*, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Sixti Divinâ Providentiâ Papæ Quarti anno Duodecimo.

P. de Perreria.

(b) *Ex Archivo, ubi integra servantur.*

III. Ste-

III.

Stephani Leopolder Codex primus. (c)

ANno Domini DCCCCXLIII. successit Thiento abbas nonus, & prefuit XIII. annis temporibus Ottonis primi Imperatoris Romanorum, & sancti Udalrici August. Episcopi. Sub hoc Abbate defecit vita cenobialis propter incursum Hunorum. Nam anno Domini 955. qui fuit annus Ottonis primi 20. & S. Udalrici Epis. Aug. 33. & abbatis hujus Thientonis ultimus, Hungari intraverunt provinciam Bavarorum & Suevorum, ac Augustam civitatem obsederunt &c. Sub his rebus Coronam martyrii per decollationem ab Hungaris sumpserunt septem fratres monachi hujus loci, effundentes sanguinem eorum effluenter pro Christi nomine, non longè â Cenobio in loco, qui vulgariter usque hodie vocatur Kreutzperg, ubi adhuc in memoriam habetur capella lingnea. Ipsi autem sancti martyres nunc requiescunt in uno sepulcro consepulti in capella S. Marie V. annexa Capitulo, & nominatur vulgariter *Das alt münster.*

(c) *Insignitus litt. C. fol. 57. finitus anno 1496.*

IV.

Ejusdem Codex secundus. (d)

HOc alterum Stephani testimonium per omnia convenit cum priore, excepto, quòd in hoc Codice post verba: *septem fratres monachi hujus loci*, statim addat: *inter quibus, ut piè creditur, Abbas Thiento unus extit.* Et hic Codex recentior est primo, quippe deductus usque ad annum 1525. Posset hîc adjungi tertius ejusdem Stephani Codex, omnium absolutissimus: verùm de Thientone & sociis eadem ad verbum habet, quæ secundus iste primùm recitatus.

(d) *Insignitus litt. E. fol. 5. finitus anno 1525.*

V.

Joannis Aventini. (e)

HIc, teste P. Agnello Candler Augustiniano Eremita, Annalium Boicorum pag. 482. jam circa annum 907. septem sacerdotes hîc (apud Wessonis fontes) barbaro furori victimas cecidisse commemorat.

(e) *Vide Agnelli Justam Defensionem fol. 124.*

VI.

Benedicti III. Abbatis Wessofontani,

QUi Sacellum seu Ecclesiam S. Crucis in ejusdem nominis monte, tamquam martyrii loco, novum erexit. In ejusdem Sacelli latere orientali lapis insertus parieti hanc epigraphen habet litteris Romanis scriptam: *Anno MDXCV. post Christum natum Benedictus Schwarz Abbas 46. hujus Sacelli in honorem 7. BB. Fratrum ab Ungaris martyrizatorum extructi primus fundator extitit.*

VII.

Christophori Gevvoldi. (f)

HIc in additionibus ad Hundii Metropolim Tomo tertio in Catalogo Abbatum ita habet: *IX. Beatus Thiento electus est anno 942. præfuit 13. annis. Tunc in Khreizberg cum 6. fratribus ab Hungaris martyrizatus est anno 955.*

(f) *Fol. 486.*

VIII.

Matthæi Raderi Soc. Jesu. (g)

EX tabulis MSS. Wessenbrunensis cœnobii hæc transcripsisse se eruditissimus hic Author profitetur, post narrata Walthonis Abbatis Acta de Thientone subjungens: „ Thiento Abbas nonus hujus loci, an-
„ no IↃ. CCCCXLIII. electus temporibus Ottonis primi & S. Udalrici
„ Episcopi Augustensis, martyrii coronam etiam cum aliis sex fratribus
„ suis per decollationem capitis ab Vngaris eo tempore provinciam Bo-
„ jariam mirè vexantibus & devastantibus, adeptus est, in loco non
„ procul à cœnobio dissito, qui lingua vulgari, ut antea, *Creuzberg* ap-
„ pellatur, (h) quo in loco sepulturæ omnes simul traditi sunt. In hu-
„ jus facti signum erigebatur paulatim à Christi fidelibus capella lignea,
„ quam ante novem annos R. Dn. Benedictus Abbas hujus nominis *III.*
„ piæ memoriæ deposuit, (i) zelo divino permotus, & novam de la-
„ teribus extruxit, quam proinde noster modernus Reuerendus in Chri-
„ sto pater & Dn. Georgius abbas *XLVII.* cujus regimen Deus Opt.
„ Max. fortunare semper velit, ante tres annos consecrari à Revendissi-
„ mi Episcopi Augustani R. Dn. Suffraganeo summopere sollicitavit, &

„ con-

„ consecrari in honorem S. Crucis fecit. Ipsi autem SS. Martyres ab eo
„ loco translati (k) requiescunt modo in uno monumento in basilica B.
„ Mariæ Virginis prope majorem Ecclesiam SS. Petri & Pauli Apostolorum consepulti.

„ Et quemadmodum supradictus S. Waltho, & reliqui septem Martyres hactenus usque nondum fuerunt in sanctorum numerum relati,
„ ita & majores nostri & antecessores nihil de illis in choro peregerunt,
„ nisi quod pia corda fecerunt, illorum vitæ sanctitatem & sanguinis pro
„ Christi amore effusionem summis suspiriis procul dubio sæpe sæpius
„ recordando. „

(g) *Bav. Sancta Volum. 2. fol. 261.* (h) *perperam apud Rader. Wessesbrunn.* (i) *malè II. ibid.* (k) *circa ann. 1220.*

IX.

Andreæ Brunneri S. J. (l)

PRinceps iste Author Annalium Boicorum fuit, qui rejectis antiquiorum nævis germanæ fide incessit. Hæc ejus ad annum 955. verba:
„ nullum pœne sacratorum hominum contubernium est, quod non ad
„ illius temporis memoriam ingemiscat: etiam qui annales monstrare
„ nullos possunt, famâ velut per manus traditâ, excidia sua incendiaque majorum lacrymis extincta memoriter recitant, & adhuc eversoribus fortunarum suarum convicium faciunt. Enimverò nihilo mitiùs in sacratos viros, quàm eorum fortunas sævitum esse, certum est;
„ sed eorum nomina, quos barbarus ensis abstulit, nobis incomperta,
„ fidelioribus chartis cœlum inscripsit. Soli ferè Wessobrunnenses Abbatis sui Thyentonis an Thyemonis nomen memoriæ consecrarunt,
„ qui cum sex Instituti sui sociis in monte Crucis ultima passus sacros
„ Wessonis fontes affuso sanguine suo celebriores fecit, certè sanctiores. „

(l) *Colum. 127. P. 2. Lib. 2.*

X.

Hugonis Menardi Ord. S. Bened. (m)

MEnardus, testibus Bollandianis, ad tertium Aprilis Thientonem referens in Martyrologio Benedictino anno 1629. excuso inquit: *In Bavaria B. Thientonis, Abbatis, & Martyris.*

(m) *Bolland. 3. April. f. 236.*

XI.

Gabrielis Bucelini Benedictini Weingartensis. (n)

HIc die tertia Aprilis in Menologio Benedictino his verbis Thientonem enunciat: „ In Bavaria S. Thientonis Abbatis & Martyris. Fuit hic „ nonus cœnobii Wessenbrunnensis in Bavaria Abbas, cui annis tredecim „ religiosè & utiliter præfuit. Vngaris autem gentilibus Bavariam popu- „ lantibus & sacra omnia pessumdantibus, optimus hic Abbas cum sex „ monachis comprehensus, & crudeliter interfectus, A. C. 955. ad tri- „ umphos Martyrum laureatus admitti meruit.

(n) *fol. 246.*

XII.

Joannis Adlzreitter Cancellarii. (o)

„ PRotriverunt Barbari universas totius gentis opes, & dirè sacra, pro- „ fana, ipsósque homines Deo dicatos habuerunt. Nisi altum lit- „ terarum silentium interfectorum nomina suppressisset, esset, unde ma- „ gnum historiæ decus accederet. Vix ullius fit mentio præterquam „ Thiemonis (qui aliis dicitur Thiento) Wessenbrunnensis Præsulis, „ qui una cum senis cœnobii sui Sodalibus in monte Crucis à barbaris „ occisis, gloriosissimè suam constantiam cœlo probaverunt.

(o) *Annal. Boic. P. 1. L. 14. col. 358.*

XIII.

Joannis Mabillonii Ord. S. Bened. (p)

„ IN Bajoaria extinctus est hoc anno Benedictus Vessebrunensis Ab- „ bas: cujus loco electus est Thiento, rectius Thieto, qui post an- „ nos tredecim ab Hungaris cum sex è fratribus cæsus est. Post hæc „ locum in solitudinem redactum occuparunt Canonici ad annum mille- „ simum sexagesimum quintum, quo Albero seu Adalbero Præpositus „ abjecto Canonicorum habitu monasticum induit, Abbásque ibidem „ factus est.

(p) *Annal. Bened. Tom. 3. Lib. 44. fol. 465. n. L.*

XIV. Cor-

XIV.

Corbiniani Khamm Ord. S. Bened. (a)

„ EOdem anno 1065. Monasterium Wessofontanum post Thientonis „ Abbatis noni martyrium cum sex suis monachis perpessum, à Ca„ nonicis occupatum, atque integro sæculo à Præpositis sæcularibus ad„ ministratum, Embrico Episcopus Monachis Benedictinis restituit.

XV.

Ejusdem. (b)

„ ANno 955. Thiento Abbas Wessofontanus nonus cum sex monaste„ rii sui Religiosis ob constantem Fidei confessionem à ferocienti„ bus Hunnis trucidatus est.

XVI.

Ejusdem. (c)

IX. B. Thiento Martyr, electus nongentesimo quadragesimo tertio, anno regiminis decimo tertio in Creizberg cum sex fratribus ab Hungaris martyrio coronatur anno 955. Post Thientonis martyrium monasterium administrârunt sex sæculares Præpositi &c.

(a) *Hierarchia Augustana Part. I. Cathedr. fol. 182. num. 39.* (b) *cit. Hierarch. Parte III. Regulari fol. 380. num. 15.* (c) *Ibidem fol. 383. num. 28. in Catalogo Abbatum.*

XVII.

Martyrologii Andecensis. (a)

„ DIe tertia Aprilis. Apud Wessonis fontes in Bavaria Beati Thien„ tonis Abbatis, qui cùm illi monasterio per 13. annos laudabiliter „ præfuisset, ab infidelibus Hunnis martyrio est affectus. Passi sunt etiam „ cum eo sex ipsius monachi, quorum corpora in Ecclesiam Deiparæ „ translata ac sepulta sunt.

XVIII.

XVIII.

Lamberti Grienmelt Ord. S. Bened. (b)

„ HUnni anno 948. ab Henrico Imperatoris (Ottonis) fratre, adju-
„ vante Beato Rassone comite Andecensi, ad internecionem cæsi,
„ anno 955. denuò cædem suam ulturi, Austriam, Bavariam, Aleman-
„ niam inundabant, quæ illuvio Wessonis quoque Fontes obruit, cùm
„ præesset Thiento Abbas, quem cum sex monachis primùm minis à
„ Christo idola traducere necquicquam tentârunt: ob constantiam fidei
„ dehinc variè tortos & per omnia constantiores inventos ad montem
„ monasterio vicinum (qui hodie Crucis nomine vocatur) raptârunt,
„ ubi latâ sententia super ingenti saxo Diis immolare, aut colla subjicere
„ ferro jubebantur: hi primum abnuentes ad alterum promptissimos se
„ præbentes, per strictos acinaces animas suas ad cœlos transmisêre.
„ Saxum illud hodiedum visitur: cui superædificatum est elegans Sa-
„ cellum. Sixtus IV. Monasterio Bullam concessit, viginti duorum Car-
„ dinalium nominibus & sigillis munitum, qua omnibus horum Marty-
„ rum reliquias veneraturis & invisuris amplas Indulgentias elargitur.
„ Nec beneficia & miracula defuêre, dum sub moderno Abbate Thassi-
„ lone, cùm ob novi Monasterii structuram Sanctorum corpora anno
„ 1707. die 5. Aprilis in majorem Monasterii Ecclesiam transferrentur,
„ suavissimus ac cælestis odor præsentes afflavit.

(a) *Quod exscribit Lambertus Grienmelt in* Anno Sancto Benedictino *Augustæ Vindelicorum & Dilingæ anno 1721. teutonicè edito ad diem 4. Aprilis, fol. 122.*

(b) *Fuit iste sacerdos & monachus Andecensis: quæ hîc à nostris diversa afferuntur, lucem meliorem accipient ex Litteris Cardinalium superius pro Testimonio II. allatis, & ex Ephemeridibus paulò antè §. II. num. 5. & seq. adductis.*

XIX.

Ignatii Brentani Ord. S. Bened. (c)

„ THiento Abbas Wessseprunnensis Ordinis Divi Benedicti cum sex
„ monachis in Khreitzberg ab Hungaris martyrizatur.

(c) *Fuit Monasterii Banthensis sacerdos, ediditque ann. 1727. Epitomen Chronologicam Mundi Christiani, in qua hæc ad Sæculi 10. annum 55.*

XX. Ca-

XX.

Caroli Meichelbeckii Ord. S. Bened. (d)

» HÆc (nempe vastitatem per Hungaros illatam) accidisse anno Chri-
» sti 955. scriptores Boici communiùs tradunt: ad quem ipsum an-
» num Wessofontani Ascetæ referunt martyrium B. Thientonis Abbatis
» sui, cum sex sui cœnobii Sodalibus furore Barbarorum crudeliter inter-
» empti, qui omnes in vicino monte, à S. Cruce dicto (Creuzberg)
» sepulturæ fuêre traditi. Hungari interim, condignis suppliciis dudum
» maturi, eodem adhuc anno in campo Lycio, ope potissimum S. Udal-
» rici, internecione deleti, promeritas barbaræ immanitatis, à tot an-
» nis exercitæ, pœnas dederunt.

(d) *Chronici Benedictobur. Parte I. cap. 5. fol. 28.*



SÆCULUM TERTIUM
WESSOFONTANUM,

Ab Anno 953. usque ad Annum 1053.

CAPUT PRIMUM.

NE Beatorum Thientonis & Sociorum Acta divideremus, bonum felicibus laureis prius sæculum coronavimus, & glorioso sanguine obsignavimus. Ingredimur nunc tertium sæculum, quo apud Wessonis Fontes vita monastica & Abbatis nomen cessâsse ab Historicis dicitur. Videbatur itaque calamo indictum silentium, cùm nihil dicendum superesset, quod ad Benedictinum Ordinem, vel Monasterii vastati historiam pertineret. Verùm attentiùs inquirentes, invenimus non omnino sterile arvum, quod stylo colendum susciperemus. Excisa apud Fontes Wessonis vitæ monasticæ forma alibi per nostros refloruit: Fontibus ipsis, ne penitus exarescerent, S. Udalricus Episcopus Augustanus invigilavit. S. Henricus Imperator favit: S. Wolfgangus

Ratisbonensis Antistes dotavit, vel dotem confirmavit: S. Leo IX. Summus Pontifex ad priorem spiritum excitavit: Benefactores ad erigendum denuo Monasterium opes suas liberaliter contulerunt. De his nunc per ordinem dicturi, sæculi hujus caliginem solari conabimur, donec Lucifer illucescat, & pristinus Monasterio nostro splendor restituatur.

§. I.

De colonia Wessofontana in Madronam montem traducta.

1. THientone & sex sociis in odium fidei trucidatis, monachis aliis fugâ dilapsis, crederes radicitus evulsum germen Wessofontanum, nomine solo apud Fontem relicto. Verùm divinæ Providentiæ bonitas fecit, ut divinus cultus hoc loco ducentis abhinc annis cœptus non omnino desineret, sed hîc equidem collapsus in cineres, alibi recens oriretur. Tres monachos Wessofontanos, qui, ut diximus (a) ad meliora tempora se reservaturi, fugam capessiverant, per avia & devia, vicinarum nempe Alpium valles & juga, ad Oenum usque fluvium, qua se ex Tiroli in Bavariam effundit, bona fortuna perduxit. Ejus citeriore ripa descendentes, hi tres montem invenêre peramœnum, & ut videbatur, monasterio condendo peropportunum. Sciscitati ergo ab accolis, quis loci dominus esset, eum Andecensium Comitum juri obnoxium intellexêre, quibus aperto consilio suo, petitóque auxilio, eosdem statim adjutores habuêre. Cellas ergo sibi & tumultuarium sacellum moliti, quod Divo Petro ad exemplum Wessofontani Monasterii sacrum volebant, montem habitare cœperunt, aliorúmque fidelium ope adjuti rem eò deduxerunt, ut spes affulgeret, legitimam cum tempore Abbatiam erigendi.

2. Interea Mecdinus cæteris duobus, quos fugæ socios à Wessonis fontibus adduxerat, Abbatis vice præerat, donec fratrum agmen numerosius accresceret. (b) Ipso hoc sæculo Arnolphus Comes, vel ut Aventinus alibi loquitur, Arnulphi Andecensis filii Poppo, Bertholdus, Otto, & Gebhardus legitimum monasterium fundârunt, (c) cui Frisingenses Episcopi postea Advocatos dederunt vicinos Comites Falckensteinios: qui egregiè officio suo functi, benefactores etiam esse cœperunt. Certè Sigibotto I. ejus nominis Comes Falckensteinius novum in Ecclesia S. Petri Madronensis altare ædificavit, & anno 1139. dedicari fecit ab Ottone

tone

tone Magno, Episcopo Frisingensi. (d) Sibotto autem seu Sigibotto II. Alberto Frisingensi Episcopo monasterium S. Petri commendavit ad Abbatiæ dignitatem promovendum, ut litteræ Alberti anno 1163. testantur, (e) in quibus promittit, si forte Monasterium, quod Cellam vocat S. Petri, incrementum acceperit majoris monachorum conventûs, liberam habeant monachi deliberationem in eligendo sibi Abbate vel Priore &c. Dignæ sunt hæ litteræ, quæ à Benedictino legantur, vel propter solos testes. Nolumus autem his immorari diutius, & ad exitum ejus Monasterii proponendum festinamus. (f)

3. Accepta Sigibottonis Comitis commendatione statim ab Alberto Episcopo ex Clero Frisingensi Præpositi sunt constituti super Cellam S. Petri, qui temporalium bonorum eidem S. Apostolo assignatorum curam haberent, & monasterium ita procurarent, ut monachi honestissimè ali, & sine sollicitudine Deo servire possent. Devotio erga eumdem locum, à Majoribus Andecensibus, ex quibus aut matrem habebat aut aviam, ab incunabulis suscepta, Conradum Hornsteinium incitavit, ut in monte S. Petri monasticam amplecteretur; Majores enim suos Hornsteinios ab Andecensibus, jam in sedes varias, ut Damasiam, Wolfratshusium, & ut videtur, Falckensteinium, aliáque loca divisis, arcis Andecensis Protectores atque custodes sciebat, ipse in eodem castro educatus. In dotis partem Librum Missalem, re alia nulla, quàm Andecensis Sanctuarii monumentis, pretiosum, ad S. Petrum attulit, atque ibidem religiosè in Fratris Conversi gradu ad annum usque millesimum ducentesimum nonagesimum sextum vixit; cùm repentinus belli turbo à Tirolensium Comitum duce, Comite de Surberg, contra Rudolphum Palatinum, Adolphi Imperatoris soceri sui jussu, in illos, tamquam rebelles Imperio judicatos, missum excitatus, totum S. Petri monasterium evertit, Monachos disjecit, bona dissipavit. Conradus, ultimus stragis testis, ad Montem Andecensem fugit, prædictúmque Librum cum SS. Reliquiarum & veterum documentorum thesauro reportavit. (g)

4. Ab illo tempore cessavit in loco Regula S. Benedicti, postquam inter prospera & adversa forte varia per annos trecentos & quadraginta viguisset. Præpositi, qui se in illo belli turbine aliò receperant, ad montem sic redière, non ut cœnobiticam normam reducerent, sed divina solùm incolis & accolis ministrarent. Hodie mons iste sub cura Parochi Flinspacensis conquiescit. Præpositi dignitas plerumque uni ex Cathedralibus Frisingensis Ecclesiæ Canonicis confertur. Ipsam verò S. Petri Ecclesiam in monte sitam ab annis jam septuaginta & pluribus Sa-

cerdos quidam ex Instituto Clericorum in commune viventium administrant. (h)

5. Corolarii loco addendum censeo, quòd, dum apud Hundium & Meichelbeckium (i) Conradus Hornsteinius asserit, Mecdinum nostrum *tempore Arnulphi impii* fugisse, illud asseruerit ex errore ejus & priorum duorum sæculorum ferè communi: quod queritur Clarissimus Brunnerus, nempe post Hungarorum à S. Stephano Rege & Gisela S. Henrici sorore, Stephani conjuge, factam conversionem, mirabilem eam quibusdam Scriptoribus insedisse religionem, ut maluerint Arnulpho Duci semper Christiano, quàm infidelibus paulò ante Hungaris vastatæ Bojariæ calumniam inferre: quam tamen prætet alios veteres & novos satis refellit Scriptor undecimi sæculi pæne Synchronus, dum post illatas patriæ ab aliis quibusdam calamitates statim subjungit: *post hæc & alia gloriosus Dux noster Arnulphus, virtute ex alto indutus, fortitudine clarus & victoria enituit, quia de progenie Imperatorum & Regum est ortus, & per ipsum populus Christianus de sevienti gladio paganorum est redemptus, & in libertatem vitæ translatus.* (k) Quam ad rem etiam nos sæculo præcedente aliqua diximus. (l)

6. Neque verò Chronologia fert, ut initia Madronensis cœnobii ad Arnulphi Ducis tempora retrahantur, præsertim si vel Arnulphus Comes Andecensis vel filii ejus fuêre fundatores, cùm Arnulphus Dux anno 937. jam obierit, illi verò Comites circa medium undecimi sæculi floruerint, ut apud Hundium in eorum Genealogia videre est; (m) quos ego tametsi primos & præcipuos Fundatores negare non ausim, Majores tamen eorum, anno 955. vel proximo, fuisse fugientis Mecdini & sociorum receptores & in condenda cella adjutores, firmiter teneo. Chronica certè nostra nuspiam indicant, ante annum illum vel Abbatem vel Monachos de nobis ullos fugisse, cùm perpetua eousque reperiatur Abbatum series: imò asylum etiam apud nos Stelbardus ille quæsierit & invenerit. (n)

(a) *Sec. II. cap. 2. §. 1. num. 4.* (b) *Vid. infrà notam* (i) (c) *Hund. Geneal. Bav. Part. 1. fol. 24. & 47.* (d) *Idem in Metrop. Tom. II. fol. 98.* (e) *Id. ibid. fol. 97. & 98.* (f) *Meichelb. Hist. Fris. Tom. I. fol. 298.* (g) *Hist. Andec. sub tit.* Himmel auf Erden / *fol. 83. Adlzreitt. Annal. Boic. Parte I. Lib. XXV. col. 662. c. 663. a.* (h) *Hund. Tom. III. Metrop. fol. 96. 97. &c.* (i) *Id. ibid. fol. 223. & 224. Meichelb. Hist. Fris. Tom. I. fol. 298.* (k) *Ratisbona Monastica Ratisb. edita an. 1752. fol. 232.* (l) *Sec. II. Wessof. Cap. I. §. 2.* (m) *Hund.* Strammen-Buch *Part. I. fol. 24. Metrop. Tom. 3. fol. 69.* (n) *Secul. II, cap. 2. §. 1. num. 2.*

§. II.

§. II.

De statu Monasterii apud Wessonis Fontes post illatam ab Hungaris vastitatem.

1. Ducta ex vastati cœnobii reliquiis trium monachorum coloniâ ad montem Madronum, suscitandi è ruinis monasterii curam suscepisse S. Udalricum Episcopum Augustanum, dubitare nos perspectus in sacrum ordinem nostrum amor non sinit, auctus etiam ipsa calamitate Monasterii nostri, quod eidem Romam proficiscenti semel iterúmque hospitium præbuerat: à cujus Abbate Benedicto dilectissimum nepotem suum Adalberonem liberalibus artibus excultum meminisset. (a) Credimus igitur, Præpositum saltem ab illo fuisse datum (cùm Abbatis dignitatem ob inopiam locus non ferret) cujus curâ per hostium furias dispersa colligerentur, & honori divino ac incolarum pietati consuleretur. Idem fatum pluribus id ævi cœnobiis obtigit, non solo Gentilium furore, sed etiam Christianorum cupiditate: sicut eodem sæculo legimus, in Trevirensi S. Maximini monasterio, cujus tunc facultatibus sæculares principes tamquam Abbates incubabant, monachos fuisse sub Ogone Præposito Benedictino, donec idem Ottonis Magni Imperatoris favore anno 948. verus Abbas fieret. (b) Omissis verò exteris exemplis domestica videamus: intelligemus non ita in solitudinem redacta fuisse monasteria, ut non aliquæ monachorum reliquiæ hinc inde superessent. In monasterio Benedictoburano Berthricus & Sintpertus presbyteri & monachi ab anno fatali supererant, & Ecclesiæ desolatæ per novennium curam gerebant, donec Wolfholdus opulentus Presbyter eandem suis impendiis restaurandam suscepit. (c) Cremifanense quoque monasterium Hungarica feritate vastatum non adeò colonis vacuum fuit, ut non aliquos saltem monachos haberet: qui S. Godehardum, Imperatoris authoritate cum Abbatis dignitate ad se venientem promptissimè exceperunt. (d) Et Campidonense monasterium ab anno 920. ter incensum & in solitudinem redactum duos ex illa calamitate superstites monachos habuit, Amandum & Felicem, quorum precibus & S. Udalrici Episcopi Augustani commendatione commotus Ernestus Sueviæ Dux illud restauravit, cœnobitas dispersos collegit, novámque ejus confirmationem ab Ottone I. Imperatore obtinuit. (e)

(a) *Superiùs Sec. II. cap. 1. §. 3. num. 2.* (b) *Hist. Trevir. Diplom. Tom. I. fol. 278.* (c) *Chron. Benedictobur. Parte I. cap. 3. fol. 28.* (d) *Chron. Nideralt. fol. 62. c.* (e) *Stengelius Abbas in Monasteriologia Augustæ 1619. edita.*

2. Antiquum habemus catalogum, medio fere sæculo duodecimo in membrana exaratum, in quo hæc leguntur: *Thieto XIII. sub hoc defecit vita cenobialis, & Prepositi pro Abbatibus numero octo* præfuerunt. Neque additur, quòd recentiores quidam codices habent, hosce Præpositos *cum Canonicis* Monasterium nostrum insedisse. Præpositos ergo tantùm à S. Udalrico institutos fuisse arbitramur, eósque curâsse tum divinum cultum, tum possessionum ruinas restaurâsse: *Præpositos*, inquam, *pro Abbatibus*, cùm conventus deesset. Neque audiendus est Stephanus noster, qui alicubi scribit, Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini sub Præpositis istis adfuisse, cùm palam sit, illam Regulam nondum eo ævo in Bavaria uspiam fuisse inventam, quam B. Gerhohus posterioribus annis & sequente sæculo frustra in his partibus utut sollicitè, requisivit. Credam potiùs, S. Udalricum vel ex Clero suo Augustano posuisse Præpositos, vel aliunde ex Monasterio quodam Benedictino post Hungaricam cladem superstite eos accivisse.

3. Quid si ex Monasterio S. Maximini acciti sunt? Erat illud eo sæculo celeberrimum tam doctrinâ, quâm disciplinâ monasticâ, ùt sub Abbate Benedicto I. diximus, ipsum Benedictum nostrum ex eodem ad nos venisse suspicati. (a) Ex eodem S. Wolfgangus Ratisbonensis Episcopus anno 975. Ramvoldum primò Præpositum, dein Abbatem, S. Emmerami Monasterio dedit. Ex eodem Poppo Advocatus anno 978. ad restaurationem Tegernseensis Monasterii Hartvvicum monachum adduxit, & Abbatem fieri procuravit. (b) Si Præpositorum nostrorum nomina considerentur, non abludunt ea à Catalogo S. Maximini Trevirensi, quem anno 945. ex veteri membrana recitat Reverendissimus Honthemius. (c) In eo enim inter septuaginta monachos recensetur vigesimus primus Ruthardus, qui facilè, sicut de Benedicto Abbate nostro fuimus opinati, ab eodem S. Udalrico anno 955. inde vocari & Præpositus constitui potuit. De Gunthero quoque Præposito nostro conjici potest, eumdem esse, qui in eodem S. Maximini Catalogo quadragesimus septimus numeratur. Sigimarus, quem 1012. Abbatem post se Cremifanensem reliquit ex Monasterio suo Nideraltahensi S. Godehardus, non sine causa credi potest, Ruthardo Præposito nostro successisse, eo nomine, quòd primus Abbas noster Ilsungus ex eodem cœnobio fuerit à Thassilone fundatore evocatus. Sic de cæteris quoque Præpositis conjici posset. Verùm sicut pro hac sententia de Præpositis Benedictinis pertinacius pugnare nolumus, ita de eorumdem Instituto vivendi disserere non otiosum putamus. (d)

(a) *Suprà Sec. II. cap. I. §. 3. num. 3.* (b) *Bern. Pez Anecd. Tom. 3. P. 3. col. 502.* (c) *Tom. 1. Hist. Trevir. fol. 279.* (d) *Chron. Nideralt.*

§. III.

§. III.

De Præpositis Monasterii Wessofontani, eorúmque vivendi instituto.

1. CErtum est, monasterio nostro, post Thientonem Abbatem, monachósque tum cæsos tum fugatos, octonos per ordinem fuisse præpositos loci administros, ùt expresse antiquus ille Catalogus paulo ante citatus (a) testatur: tantùm de eorumdem vivendi instituto, & succedendi ordine controversia esse posset. Illud nunc elucidandum suscipio: istud in alium locum differo. Donec lux alicunde major oriatur, lubens interim do, eos vel Clericos fuisse S. Udalrico probatos & ab eo in Monasterii nostri subsidium missos, ita ut soli res nostras curarent, & pro restauratione vires intenderent: vel etiam si socios vel discipulos habuêre, sicut Nideraltahæ & Benedictoburæ, eos juxta canonica Concilii Aquisgranensis decreta communem vitam duxisse. (b) Verùm æquè certum est, plures illius ævi Canonicos seu in Cathedralibus Ecclesiis, seu foraneis Collegiis ne Aquisgranensi quidem Regulæ ita ad apicem adhæsisse, ut non proprias etiam leges ex observatis aliorum bonis consuetudinibus sibi concinnare, & non paucas ex S. Benedicti regula seligere solerent.

(a) §. *præced. num.* 2. (b) *Consule Eckhart Franc. Orient. Tom.* 2. *fol.* 128. *&c.*

2. Validum hujus rei argumentum præbet vir eruditissimus Reimundus Duellius Ord. S. Augustini Canonicus Regularis ad S. Hippolytum in Austria, qui (c) ex antiquis documentis docet, seculo decimo, quo apud nos Præpositi esse cœperunt, vix ulli notum fuisse discrimen inter Canonicum sæcularem & regularem; quòd utrique communiter viverent, isti solùm proprietati renunciarent. Paulò pòst, qui Regulares audiebant, esu carnium abstinere cœperunt, &, ubi carnes comedebant, parcè, nec nisi bis in hebdomade, iis vescebantur: utebantur communi refectorio, communi dormitorio: juniores senioribus permixti quiescebant. Toto die & in mensa servabatur silentium: post Nonam refecti loquebantur, & latinè quidem. Siquis turbulentum se gessit, primùm à mensa, à choro, à colloquio excludebatur: non correctus, *tanquam membrum præmortuum resecandus* judicabatur. Pauperibus hospitium petentibus pedes lavabantur. His rigoribus, Benedictinæ Regulæ tam gemellis atque conformibus, quidam eorum non contenti eò processêre fervoris, ut inter collegas suos normam vivendi Benedictinam miris modis

dis celebrarent, exoptarent, & canonicæ, quam susceperant, disciplinæ palàm præferrent. Nec defuêre, qui arctioris avidi disciplinæ habitum monasticum induerent, cujus rei exempla mox plura referemus.

(c) *Parnass. Boic.*

3. Quare Arno, Asceta & Canonicus Reicherspergensis, ne plures ab Instituto Canonico ad monasticum transirent, necessarium duxit circa annum 1150. librum scribere, *Scutum Canonicorum Regularium* appellatum, quo scrupulum illum collegis suis eximeret. Meminerat enim Godehardum, qui postea Episcopus Hildesheimensis est factus, ex Præposito Nideraltahensi cum pluribus Canonicis mutatum fuisse in monachum, & Abbatem primò Nideraltahensem, inde Tegernseensem, Cremisfanensem, Hersfeldensem. (d) Noverat, Wolfholdum Præpositum Benedictoburanum, post duodecim annorum regimen, monachum induisse, eóque habitu per septennium gesto Benedictinum obiisse. (e) Viderat & Reginbertum ultimum ejusdem Monasterii Rectorem sæcularem, abjecto priore habitu monasticum suscepisse, ac sub Gotehelmo Abbate ex Tegernseensibus accito, Decanum seu Priorem per quindecim annos egisse. (f) Viderat anno millesimo duodecimo ipsam, antea cathedralem Augustæ, S. Afræ Ecclesiam, migrantibus ad novum S. Mariæ templum Canonicis, mutatam fuisse in monasterium Benedictinum, cui primus Abbas, agente Brunone Episcopo, præfuit Reginbaldus. (g) Nec ignorabat, eodem ferè tempore dimissos Eberspergâ Canonicos, & in eorum locum introductos Benedictinos, qui eumdem Reginbaldum habuêre primum in eodem loco Abbatem. (h) Non nesciebat, in Canonicorum locum ab Episcopis positos fuisse monachos, uti à S. Wolfgango Weltenburgi, ab aliis alibi. (i)

(d) *Chron. Nideralt. à fol. 60.* (e) *Chron. Bbur. à fol. 29.* (f) *Idem Chron. f. 37. & 38.* (g) *Hier. Aug. P. III. Reg. fol. 4.* (h) *Hund. Metr. T. II. fol. 275. 281.* (i) *Idem T. III. fol. 480. 482.*

4. Rigoris porrò illius, quo Canonici nonnulli monasticem æmulabantur, præter amorem DEI & disciplinæ studium, causas etiam alias divinare, arduum non reor. Considerabant fortè plerique, monasticis se possessionibus insedisse; sustentari bonis, quæ Fundatores S. Benedicto, ejúsque Ordini attribuerant. Fortè ipsa solitudinis dulcedo, & contemplationis quies, majoris observantiæ incitamentum erat. Fortè animadverterant, assuetam monasticæ vitæ consuetudini plebem veteres suspirare mores & vestes. Fortè jam inclinati ad amplectendam S. Benedicti Regulam per exercitationes illas præludebant futuro Instituto: sicut

aut de S. Adelheide Vilicensi legimus, quæ cùm canonicam vitam relinquere & monasticas leges amplecti cogitaret, integro anno vires suas occultâ carnium abstinentiâ periclitabatur. (k)

(k) *Boll. Tom. I. Febr. à fol. 715.*

4. His de Præpositorum & Canonicorum conditione generatim præmissis, quid de Præpositis Wessofontanis sentiri, dicive possit aut debeat, videamus. Aio, si non omnes, certè plures istorum aut Benedictinos fuisse, aut S. Benedicto addictissimos, ad restaurandam Monasticam normam semper aspirâsse. Nec difficile fuit, primum statim Præpositum ad id consilii permoveri, tum Divi Udalrici monitis, tum aspectu recenti adhuc sanguine manantium corporum Thientonis & sociorum: ut quorum gauderet exuviis meritisque, eorum etiam accenderetur exemplis ad S. Benedicti Regulam amplectendam. Eò impelli potuêre Præpositi nostri eo etiam fine, ut Monasterii possessiones, Benedictinæ Regulæ asseclis olim attributæ, promptiùs ab illius ævi Episcopis confirmarentur, imò & augerentur. Certè cùm Præpositus noster ad S. Wolfgangum Episcopum Ratisbonensem, qui ab anno 968. usque ad annum 994. sederat, venisset, ut Confirmationem peteret Ecclesiæ Reyspacensis in illius Diœcesi sitæ; faciliùs utique Præpositus Benedictinus ab Episcopo Benedictino obtinuit, ut possessio Benedictinis à Fundatore concessa non solùm confirmaretur, sed etiam novis juribus augeretur. Tametsi porrò primæ S. Wolfgangi litteræ non reperiantur, luculentum tamen testimonium ejus liberalitati perhibet Innocentius ejus nominis secundus Pontifex in Bulla anno 1141. concessa Walthoni Abbati, in qua, sub eodem Walthone proponenda, hæc leguntur: *Porrò super decimis à fratribus nostris Wolfgango Ratisponensi, & Udalrico Augustensi Episcopis, Ecclesiæ vestræ concessis, successoribus suis nullatenus liceat, vos ausu temerario fatigare, aut aliquam vobis inferre molestiam.*

§. IV.

Catalogus Præpositorum Wessenbrunnensium.

PRæpositorum nostrorum Catalogum nuspiam reperire integrum potui, neque seriem eorum æquali ordine positam. Sequor igitur indiculum antiquissimum, in quo quidem duo illorum omissi sunt, facilè tamen ex Codicibus sæculi decimi quinti & sexti supplentur.

Præpositus Primus.

RUthardus, seu, ut apud Hundium vocatur, Richardus successisse dicitur circa annum Domini nongentesimum quinquagesimum sextum: ex quo firmatur opinio nostra, Thientonem cum Sociis non Aprili mense, sed adultiore jam anno fuisse cæsum, cùm tardiùs fuerit constitutus alius Monasterii Rector. Stephanus noster, antiquo quodam Calendario deceptus, scripserat, Ruthardum ex Undenstorffio fuisse ad nos vocatum, sed ipse meliora monitus, scripta expunxit: cùm Monasterium illud post centum & septuaginta demum annos ab Ottone Comite Palatino de stirpe Wittelspachia fundatum fuerit. (a) Nos Ruthardum istum ex Monasterio S. Maximini vocatum interea credimus, donec certiora doceamur. (b) Præpositus iste obiisse notatur nonis Maii.

(a) *Hund. Metr. T. III. fol. 437.* (b) *ut supra §. II. num. 3.*

Præpositus Secundus.

SIgimarus memoratur in veteri illa membrana. Hunc ex monasterio Nideraltahensi, quod illo tempore maximè florebat, ad nos vocatum, ac deinde in Cremifanensi præfectura S. Godehardo successisse, conjecimus. (c) Alius est iste ab illo Sigimaro, quem nos cum Hundio Abbatem septimum anno 906. electum diximus, & Codices nostri recentiores in eumdem conspirant. (d)

(c) *supra §. II. n. 3.* (d) *Cod. C. fol. 56. Cod. E. fol. 4.*

Præpositus Tertius.

GErmanus nomine & natione, qui unde venerit, aut quid gesserit, nullibi expressum invenio.

Præpositus Quartus.

GUntherus in Codicibus nostris, ab Hundio Gunthardus vocatur. Guntherum in Catalogo S. Maximini ad annum 945. invenimus: Gunthardum verò in Catalogo Monachorum Nideraltahensium, qui sub S. Godehardo Abbate vixerunt. Fuit planè Cœnobium istud fœcundissimum Abbatum seminarium, ex quo illa ætate Sigimarus Cremifanensis, Richerius Cassinensis, Wenceslaus Leonensis, Meginhardus Preunaugiensis, ad exteras insulas fuerunt evocati. (e)

(e) *Chron. Nideralt. fol. 61.*

Præ-

Præpositus Quintus.

HArtmannus, non utique Sanctissimus ille Brixentum Episcopus, qui quidem Præpositi munere Passavii ad S. Nicolaum, Salisburgi in Cathedrali Collegio, in Chiemensi item insula, & Claustroneoburgi in Austria functus, sed primum centesimo post restauratam apud nos S. Benedicti Regulam est defunctus. (f) De Hartmanni nostri actis Codices silent.

(f) *Rad. Bav. S. Vol. II. fol. 262.*

Præpositus Sextus

ANselmus vocatur. Nihil aliud de eo legimus præter diem mortis, quam subiit tertio Idus Februarii. Incidisse tamen in ejus Præposituram potuit Wessobrunnensium & Tegernseensium arctior quidam nexus, & fortè cœpta Benedictinæ Regulæ observatio; ex eodem enim Tegernseensi plantario paulò antè Augustani S. Afræ monachi, & Benedictoburani colonias acceperant. Coævo sanè calamo scriptum possidemus Catalogum, antiquissimo Evangeliorum volumini inscriptum, hoc titulo: *Hæc sunt nomina Tegrinseensium fratrum viventium*, & sic incipit: *Domnus Abbas Heriràndus.* Is anno 1042. electus post annos quatuor præesse desiit. In fine Catalogi additur: *item Gotehelmus Abbas, Oudalricus presbyter, Rihpoldus diaconus.* Gothelmus iste ex eodem Tegernseensi monasterio assumptus, jam tum Benedictoburanis felicissimè præerat. (g)

(g) *ut supra §. III. num. 3.*

Præpositus Septimus.

SIntpertus optimè de monasterio meritus summam curam ad ejusdem & Ordinis Benedictini incrementum contulit; eo enim præposituram gerente, anno sæculi undecimi quinquagesimo primo Henricus ejus nominis tertius Imperator attulit Jerosolymis corpus unius SS. Infantium ab Herode cæsorum, & Ecclesiæ Wessofontanæ Sanctuario donavit: spectabiles itidem Reliquias de corpore S. Maximini Trevirensis Episcopi. Anno deinde proximo S. Leo IX. ab eodem Henrico Summus Pontifex designatus, Augustâ Vindelicorum in Italiam transiit, Romæ à Clero & populo legitimè eligendus: is ex via, quæ per territorium nostrum & prope cœnobii muros ducit, apud Sintpertum divertit, eúmque pro suo in Ordinem nostrum studio hortatus est, nulli ut studio parceret, donec Abbatialis dignitas & monasticæ disciplinæ vigor Monasterio redderetur.

Anno deinde 1057. jam novum Altare S. Petro Apostolo sacrum ab Henrico II. Episcopo Augustano vigesimâ secundâ die Octobris consecrari Sintpertus curavit, & restituendo templo omnes curas impendit. Hujus Altaris dedicationem statim secutæ sunt largæ fidelium donationes, & quidem ipso illo die Vir nobilis, Volchmarus nomine, coram testibus ancillam suam Sophiam S. Petro donavit. Sintpertus Præpositus meritis plenus obiisse invenitur Calendis Januariis, anno circiter 1060, vel etiam serius. Atque hæc per compendium de Sintperto Præposito dicta sunto. De altaris dedicatione, de Sacris Reliquiis, de donationibus infra redibit sermo, ubi de Benefactoribus agetur.

CAPUT SECUNDUM.

De Benefactoribus Ordinis & Monasterii nostri.

LAudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua, ac munificentiæ perpetuis monumentis: atque eos nunc quidem, qui ab anno 955. usque ad 1055. & ultrà Sacro Ordini & Monasterio nostro faverunt, Imperatores, Episcopos, Duces, ac Dynastas: unde facilius Lector Religionis post diluvium illud Hungaricum incrementa comprehendat, minúsque miretur nostras de Præpositis Wessofontanis opiniones: licèt nos ipsos, tabularia nostra scrutatos, permulta antiquitatis documenta deficiant. Cæsarum animus in Ordinem nostrum pronissimus ex eorum gestis compendio enarrandis haud difficulter intelligetur.

§. I.

Imperatores Ordinis nostri & Monasterii Benefactores.

1. OTTO I. non de monasterio solùm nostro, cui cæsis in campo Lycio Hungaris respirandi facultatem dedit, sed & de Ordine Divi Benedicti universo optimè meritus est. Nihil erat, quod ab eo S. Udalricus peteret, & non impetraret, quem tanta veneratione Imperator prosequebatur, ut Sanctum hunc Episcopum Româ jam tertiò revertentem & Ravennæ se invisentem excipiens, altero calceo nondum pedi inducto accurreret, & in ejus amplexus rueret. (a). Adelzreitterus affirmat, ipsique Benedictoburani fatentur, tum S. Udalricum, tum Ottonem Imperatorem de Monasterio suo fuisse optimè meritos. (b) Admira-

miratione digna sunt, quæ idem Imperator Monasterio S. Maximini, Abbatum sæcularium vi oppresso, beneficia & privilegia tribuit. (c)

(a) *Hist. Fris. Tom. I. Part. I. fol. 176.* (b) *Ibidem fol. 178.* (c) *Histor. Trev. Diplom. Tom. I. à fol. 276. num. CLV. & seqq.*

2. Otto II. qui patri anno 973. successit, Ecclesiarum insignis fautor, Cathedrali primùm Frisingensi multa donavit; (d) restaurando verò monasterio Tegernseensi Abbatem è S. Maximino Hartwicum dedit, amplissimam bonorum restitutionem adjecit, Privilegiis singularibus monasterium cumulavit, illúdque in protectionem ac defensionem Imperialem suscepit. (e) Nec mirum, adeò prono in Ordinem nostrum animo fuisse Ottonem, qui se ope S. Wolfgangi Ratisbonensis Episcopi gravi periculo liberatum meminerat; perditus enim fuisset, nisi beatus ille Præsul Ottonis exercitum per flumen rapidissimum prodigiosè traduxisset, hoste idem vadum frustra attentante. (f)

(d) *Hist. Fris. T. I. P. I. fol. 179.* (e) *Ibidem fol. 184.* (f) *Chronicon Lunælacense anno MDCCXLVIII. impensis Gastelianis editum fol. 101.*

3. Otto III. quàm addictus Divo Benedicto fuerit, ex eo patet, quòd S. Adalberti Polonorum Apostoli Benedictini Gnesnæ sepultum corpus nudis pedibus adierit, eam Ecclesiam in Archiepiscopalem erexerit, ac eidem Gaudentium itidem Benedictinum, occisi Adalberti fratrem, Archiepiscopum dederit. A S. Romualdo admonitus, ut positâ purpurâ monachum indueret, spopondit quidem, sed distulit, sequenti anno 1002. veneno extinctus. (g) Eidem tamen Imperatori hodiernum S. Pauli Monasterium Romæ vigorem suum debet; cùm enim summus Pontifex & alii complures Ottoni suasissent, ut in locum monachorum Canonicos introduceret, apparuit Imperatori S. Paulus Apostolus, &, cujuslibet Instituti homines, si à norma deviâssent, non ejiciendos, sed emendandos esse, dixit. (h)

(g) *Hist. Fris. T. I. P. I. fol. 195. & 196.* (h) *Acta SS. Boll. 29. Junii fol. 466. num. 179.*

4. S. Henricus II. totus quantus in profectum & ornamentum Ordinis nostri incubuit. Præcipuum ejus opus, quantum ad Ordinis nostri incrementum pertinet, fuit Parthenon S. Pauli Ratisbonæ pro Virginibus Benedictinis fundatus, cui Brigidam sororem suam præfecit Antistitam. Harum virginum exemplo incitatæ superioris ibidem, & inferioris Monasteriorum nobiles inquilinæ eamdem Divi Benedicti regulam habitúmque susceperunt, ùt de priori seu superiori patet apud Pezium, (i) de inferiori

feriori verò apud Hundium. (k) Ipsemet obedientiam ex regula Richardo Virodunensi Abbati professus, sed ex eadem obedientia ad imperium gerendum jussus reverti, paruit. (l) A S. Wolfgango educatus, eumdem & mortuum sibi faventem habuit, dum ex eo sibi apparente saluberrimum illud : *post sex* : audivit. Idem jam dudum aureum Imperii pomum, à summo Pontifice sibi donatum, mox ad Cluniacense monasterium misit: coronam cæsaream S. Petro Romæ obtulit. Herniæ cùm periculum pateretur, S. Erentrudis ope Salisburgi liberatus est: sicut Imperator à S. Benedicto Cassini à calculo. Monasterio Weihenstephanensi prope Frisingam sito Insulam Danubii in Austria Sachsonogangam donavit. (m) Ottonis Magni exemplo, qui monasterio S. Emmerami vicum Helfendorfensem, locum martyrii ejus, donaverat, & ejusdem cœnobii exemptionem ac libertatem defenderat, Henricus Hofmarchiam Ayterhofensem, ab adversariis acerrimè impugnatam, sed cælitus vindicatam, confirmavit. (n) Pari in Ordinem nostrum amore Chunegundis castissima illius conjunx ferebatur, quæ Henrico superstes pro corona regia in Parthenone Confugiensi à se fundato velata Christo S. Benedicti regulam ad obitum usque servavit.

(i) *Anecdot. Tom. 6. P. II. fol. 129. num. 12. ad ann. 1379.* (k) *Metrop. Tom. 2. f. 591. lin. 1.* (l) *Act. SS. Boll. 14. Julii fol. 742. num. 146.* (m) *Hist. Fris. T. I. P. I. f. 212.* (n) *Ratisbona Monast. fol. 217. de Ottone, & fol. 239. de S. Henr.*

5. Conradus II. dictus Salicus, à pietate exorsus imperium, Benedictinos Cassinenses à Pandolfo Capuano Principe vexatos defendit, eumdémque principatu privavit. (o) Quod propiùs ad nos attinet, monasterium Tegernseense potentum injuriâ profanatum pristino vigori restituit: mox dehinc ex eodem Ellingerum & Gothelmum successivè Monasterio Benedictoburano Abbates dedit clarissimos, qui illud jam diu per sæculares Rectores gubernatum ad normam S. Benedicti reformârunt. (p) Ex eodem inclyto S. Quirini monasterio novam ad fontes Wessonis coloniam fuisse deductam, nobis perquam verosimile videtur. (q)

(o) *Foresti Mappamondo Tom. 2. cap. 16. fol. 393. edit. Veneta de anno 1710.* (p) *Chron. Benedictobur. Part. I. fol. 35.* (q) *praced. cap. §. 4. sub Praeposito VI.*

6. Conrado anno 1039. defuncto successit Henricus III. Imperator, in Ordinem nostrum & Wessonis Fontes beneficentissimus. Ut de aliis taceamus, Benedictoburano Monasterio complura bona, ab aliis diu perperam possessa, restituit, atque illud, annitente etiam Welfone duce,

in

in singularem tutelam suam suscepit. (r) Nostrum verò monasterium jam antea, anno nimirum 1051. insignibus Sanctorum Reliquiis donavit, ut supra diximus (s) & suo loco iterum dicturi sumus.

(r) *Chron. Bbur. P. I. c. 7. fol. 73.* (s) *supra §. IV. sub Præposito VII.*

§. II.

Episcopi Augustani Ordinis & Monasterii nostri Benefactores.

1. S. Udalricum annus à nongentesimo septuagesimus tertius terris ereptum cœlo intulit. Nimium longi essemus, si, quem ille sacri Ordinis nostri amorem à teneris imbibit, in omni vita exercuit, atque in finem usque servavit, explicare vellemus. Ejus memoriam apud nos in perpetua benedictione immortalem servant complura monumenta: Adalbero ejusdem nepos à Benedicto Abbate nostro litteris & artibus liberalibus instructus: cæsi in campo Lycio Hungari & vindicatus fratrum nostrorum innocuus sanguis: monasterium vigilantissimis Præpositis commendatum, restaurari cœptum, decimis auctum: fons in Foresto & Parœcia nostra ipsius precibus excitatus: terna ejus ex itinere Romano ad Monasterium nostrum diversio: hæc talia sunt, quæ sanctissimi Præsulis gratam memoriam animis nostris elabi numquam patientur. Sanè à Fontibus nostris ad alia quoque Wessofontanæ ditionis loca cultus S. Udalrici diffusus est; nam à tempore omnem hominum memoriam excedente in Ecclesia S. Leonardi Forestana singularis Divo Udalrico ara est dedicata, jámque à trecentis annis festiva ipsius dies publica supplicatione, solemni Officio, & panegyrico celebratur. In Ecclesia quoque Vilgershovensi, Landspergam inter & monasterium nostrum sita, quam Egisolfus nobilis laicus nobis donavit, primarius à septingentis ferè annis Patronus fuerat, & adhuc, post Dolorosam ac Thaumaturgam Deiparam, talis colitur, solemni Officio, & panegyrico, magnóque populi concursu S. Udalricus; cui etiam quadraginta abhinc annis magnifica Ara erecta spectatur.

2. S. Udalrici successor fuit Henricus, qui, cùm esset ultimus stemmatis sui surculus & bonorum hæres, omnia sua totúmque Comitatum Geisenhusanum Cathedrali Ecclesiæ Augustanæ transscripsit, procul dubio Monasteriis quoque plura præstiturus, si vivere fata dedissent: verum gesto per novem annos præsulatu obiit seu cæsus seu captivus in Calabria, quò Ottonem II. Imperatorem contra Græcos fuerat secutus. (a)

(a) *Hierarch. August. Cath. f. 148.*

3. Hen-

3. Henrico successit Eutyches, Germanis Ethico, de Welfonum gente. Hujus Episcopi suasu Henricus Altorffii Comes ex eodem sanguine, ad restaurandum S. Altonis Monasterium, ministrorum avaritiâ oppressum, monachos Ammergovienses in illud transtulit: qui tamen labente tempore Altorffium sunt traducti, avitam Welfonum sedem: in eorum verò locum Sanctimoniales Altorffenses in Bavariam translatæ sunt; quibus injuriâ temporum ad paucitatem redactis successit Ordo S. Birgittæ. (b)

(b) *Agnell. Defens. Arnulphi f. 90. num. 4. & 5. Hund. Tom. 2. Metrop. & Hier. Aug. Cathed. fol. 151.*

4. Luitolphus, aliàs Luitholdus Episcopus anno 993. Romam profectus effecit, ut à Joanne XV. Pontifice S. Udalricus noster omnium primus solemnissimo ritu in Sanctorum numerum referretur. (c) Ejusdem Luitoldi beneficentiam in monasterium Feuchtwangense Ordinis nostri testatur fiducia Wigonis Decani, qua opem illius sæpius imploravit, & obtinuit, contra inimicos etiam ab illo defensus, uti docent epistolæ Wigonis ad eumdem datæ. (d) Gosbertus Tegernseensis Abbas, ex S. Emmeramo accitus, Monasterii Feuchtwangensis restaurationem susceperat, Wigone interim Decano eidem præposito: verùm longinquitas loci tam Episcopi studia, quàm Abbatis consilia labentibus annis pessumdedit.

(c) *Hier. Aug. Cathed. f. 154. num. 5. 8. & 9.* (d) *Pez. Anecd. Tom. 6. P. I. Epistolâ 4. 5. 6. 11. 12. colum. 112.*

5. Gebhardus Luitolphi successor de Comitum Ammerthalensium sanguine genitus, cùm antea Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonicus, dehinc & Præpositus fuisset, Elvaci monachum induit, ac demum Abbas evasit. Verùm Luitolpho mortuo, statim à Canonicis ad capiendos Episcopatûs Augustani fasces fuit evocatus, maximo Ecclesiæ emolumento. Ipse olim S. Udalrici Sacellanus Synodo Ingelheimensi interfuit, cùm ille monastico habitu comparens præsulatu se abdicare, & Alberonem nepotem sibi subrogari contenderet. Ipse S. Udalrici jam defuncti primus vitam conscripsit. Tantus pontifex, de quo Ecclesia Augustana & Ordo noster plurima sibi emolumenta promittebat, post regiminis quadriennium morte decessit anno millesimo. (e)

(e) *Hier. Aug. Cath. fol. 156. &c.*

6. Sigefridus eodem anno, quo decessor obiit, electus, septennio præfuit, magni animi vir, Ottoni III. Imperatori acceptissimus, ideóque multis reipublicæ curis involutus. Multa sperabatur universæ Ecclesiæ præstiturus, nisi immatura mors consilia abrupisset. (f)

(f) *Hier. cit. fol. 159. num. 1. 2. & 16.*

7. Bruno S. Henrici Imperatoris frater *non minùs sanctimoniâ, quàm sanguine clarus* laudatur in Epitaphio apud S. Mauritium Augustæ sibi posito. Jam puer à S. Wolfgango vatidicè *Episcopus* vocabatur. Constitutus Augustæ Præsul, multis ab Augusto fratre privilegiis donatus, inter quæ Episcopatus Augustanus ad S. R. Imperii Principatum est elevatus. Conciliis Francofordiensi & Bambergensi, Synodo item Seligenstadensi per Moguntinum convocatæ interfuit. Ab Henrico fratre dignitatis æmulatione initio alienus, citò resipuit, Schongavii eidem supplex veniam petiit, & multis cumulatam favoribus impetravit. SS. Udalrici & Afræ Monasterium, cui ipse Reginbaldum è S. Gallo Abbatem, monachos è Tegernseensi cœnobio dedit, ita diligebat, ut Divi Mauritii Collegiatam Ecclesiam, Henrici fratris jussu à se ædificandam, pœne neglexisse videretur, ab eodem jam mortuo propterea castigatus. Monasterium Thierhauptanum ut è ruinis denuò surgeret, Bruno fuit author, dum Gebhardum ex Andecensium stirpe Ratisbonensem Episcopum, aliósque benefactores eidem conciliavit. Obiit Ratisbonæ in Comitiis 23. Aprilis, & Augustæ ad S. Mauritium est sepultus anno 1029. Plura ejus acta exhibet Hierarchia Augustana. (g)

(g) *P. I. Cathed. à fol. 162.*

8. Successit Brunoni Eberhardus Conradi II. voluntate, etiam ipse Ordini Benedictino addictissimus, in Monasterium SS. Udalrici & Afræ beneficus, in Parthenonem S. Stephani, tunc regulæ S. Benedicti addictum, pœne profusus: Benedictoburani quoque monasterii revocationem ad S. Ordinem nostrum suo voto & suasu promovit. Obiit anno post millesimum quadragesimo septimo. (h)

(h) *Ibid. à fol. 168.*

9. Henricus ejus nominis II. Episcopus ab Henrico III. Imperatore designatus, ingentis animi & prudentiæ laude clarissimus, Cæsari ab intimis consiliis, & Cancellarius fuit: demum Henrici IV. quinquennis in solio locati tutor & instructor, Imperium cum Agnete vidua dexterrimè gubernavit. Æmulorum suspicionibus & calumniis acerba passus totum se ad ecclesiarum sibi subjectarum curam dedit: & Templum quidem Ca-

thedrale venustis porticibus expolivit, S. Leonem IX. Pontificem ex Moguntino Concilio Augustam deduxit, S. Udalrici miraculis passim clarescentis festivitatem die 4. Julii solemniter celebrari jussit anno 1059. & ad ejus templum ampliandum quinquaginta libras argenti contulit: in area Monasterii SS. Udalrici & Afræ Sacellum S. Agnetis anno 1050. erectum ipse consecravit: (i) & septimo pòst anno novum S. Petri altare in Monasterio nostro dedicavit, qua de re legitimum instrumentum inferiùs producemus. (k)

(i) *Hierarch. Aug. P. I. Cath. à fol. 172.* (k) *§. seq. num. 7.*

§. III.

De aliis Illustribus Viris ac Fœminis Monasterii nostri Benefactoribus.

1. PRimo quidem loco nominandus esset S. Wolfgangus Ratisbonensis Episcopus, qui monasterii nostri antiquissimas circa Reyspachium possessiones non solùm confirmavit, sed etiam decimis adjectis auxit. Nominandi essent Illustrissimi Comites Andecenses, quorum beneficio fugitivi nostri tres monachi sedem stabilem in monte Madronensi acceperunt. Nominandus demum esset S. Leo IX. Summus Pontifex, qui ut ubique, ita apud nos eximium suum in restauranda religione studium comprobavit. Verùm quis illorum laudes satis cantaverit? pleni sunt omnes libri. Ne igitur nimiùm divagemur, abditos hactenus & nunquam in lucem productos benefactores, quos in Diptychis & Instrumentis nostris invenire potuimus, nominare contenti erimus.

2. Diptychorum nomine veniebat duplex tabella, fibulis quibusdam connexa, quæ in formam libri claudebatur & aperiebatur. In uno diptychi latere vivorum, in altero mortuorum, bene de Ecclesia meritorum, nomina scribebantur, quæ deinde, in signum communicationis, ad missam recitabantur. Erat autem magnum dedecus ac pœna illis, qui de hac tabula delebantur, ùt in hæreticos, schismaticos, & excommunicatos fieri consueverat. (l) Nos duo perantiqua, quæ ad finem sæculi decimi & initium ac medium undecimi pertinent, Diptycha possidemus, ex quibus præter sola nomina nihil disci queat, quàm bene de nobis meritos & in communionem bonorum operum ac orationum receptos fuisse: cæterùm donantium conditio frequenter, donum ipsum vel

vel beneficium semper silentio præteritur; immò nomina non pauca, olim inserta, meditatò erasa & exincta deprehenduntur.

(l) *Dominici Macri Hierolexicon V.* Diptychum.

3. In primo quidem Diptycho supremum locum occupat *Egilolfus Patronus noster*, *& uxor ejus Berebta*: forsitan ille est, qui in Calendario Benedicti Abbatis ad diem 14. Octobris defunctus annunciatur his verbis: *Egilolf laicus obiit, qui dedit dimidiam Ecclesiam & dimidium prædium ad Viligundenhouen.* Post eum, loco paulò inferiore charactere alio & ut videtur antiquiore descripti sunt fere sexaginta tum viri, tum fœminæ; inter quos *Willimant diaconus, Hadewin & uxor ejus Ribkart &c. &c.* Hoc agmen claudunt septemdecim testes, qui fortè aderant, cùm illi omnes simul munera sua S. Petro offerrent. Hos inter testes nominantur *Dancholf archipresbyter. Heimo presbiter. Adonaj presbiter.*

4. In altero Diptycho, in quod ex antiquioribus tabulis pleraque nomina congesta videntur, ponuntur ex Venerabili Clero *Hariman, Wolfgis, Waltilo, Adalprech, Loudwig, Waltarib, Albric presbiteri: Nortprebt diaconus: Werinbare subdiaconus.* Ex laicis verò *Ougo occisus & Aembilt mater ejus. Kenrad, Poppo, & Waltarib fratres. Welfhart dux, item Welfhart miles ejus. Taringer. Landfrit. Ellinrat.* & post alios duos *Walterat. Snelbart. Gozprebt. Imma. Wiberat. Mathild. Humilitas.* Hæc nomina interpretari vel quorum hominum fuerint, divinare nolumus, sed aliorum conjecturæ relinquimus. Deus omnibus promissam eleemosynæ mercedem largiatur.

5. Majus lumen nobis afferunt pauca, quæ superant, Instrumenta, eáque non diplomatis in morem singularibus chartis mandata, vel sigillis munita, sed vetustissimo Evangeliorum libro circa idem tempus inscripta, ubicunque locus scripturâ vacuus inveniebatur. Ibi primo loco invenitur donatio Duringi nobilis Presbyteri, qui Albaratam ancillam suam cum fratre suo Cuntherio S. Petro Apostolo tradidit, sicut ex subjuncto brevi instrumento patet:

„ Omnibus litterarum sophismate peritis notum sit, quod Durinch
„ nobilis presbiter Albaratam ancillam suam cum fratre suo Cuntherio
„ per manum Ratolfi ad Wescinesbrunen ad altare sancti Petri Apostoli
„ tradidit. Isti sunt testes. Otto. Heinrich. Routpreht. Adalgoz. Engilpreht. Roudarich.

6. Aliam mancipiorum suorum donationem fecit Wazila mulier libera, sicut instrumentum testibus firmatum docet:

„ Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod quedam mulier nomine „ Wazila propriam ancillam nomine Gepa cum tribus pueris ejusdem „ ancille presente & annuente Werinhero, cujus ancilla quondam fuit „ eadem Wazila, tradidit Ecclesie beati Petri ad Wezzinesbrunnin, ea „ conditione, ut unumquodque eorumdem mancipiorum singulis annis „ quinque denarios de capite suo fratribus in predicto loco Domino ser„ vientibus persolvat. Isti sunt testes. Razzo. Oudalrich. Amalpreht. „

7. Denique tertia invenitur donatio Uolchmari nobilis viri, cujus Instrumentum eò libentius apponimus, quo perfectiùs in illo notæ temporis in annum 1057. convenire deprehenduntur: eodémque prima post Hungaricam vastitatem facta apud Wessonis fontes Altaris Dedicatio confirmatur.

„ Omnes Christi fideles noverint. quod quidam nobilis vir nomine „ Volchmar tradidit ancillam suam nomine Sophiam ad Wescinesbrun„ nen ad altare sancti Petri apostoli cum jure summorum. qui ibidem „ servi sunt ejusdem apostoli. pro dilectione ipsius Sophie. ut & ipse „ gratiam Dei sanctique Petri apostoli acquireret.

„ Hi sunt testes nobiles per aures tracti. Hartman. Adalpreht. Pe„ reuuart. Routpreht. Durinch. Megingoz. Weriant manuliber.

„ Isti sunt testes servi S. Petri Apostoli. Ecgolf. Hartman. Walt„ frit. Liutpolt. Engilman. Adalman. Purchart.

„ Anno dominicæ Incarnationis Mill. l. v. i i. Indict. x. fer. i i i i. „ luna xx. x i. Kal. Nov. in dedicatione Altaris ejusdem. Anno Henrici „ regis i i i i. traditio facta est. (*)

(*) *Conferatur hoc instrumentum cum altero, sub eodem Rege anno 1056. dato, in Hist. Trev. Diplom. T. I. Diplom. 258. fol. 404.*

§. IV.

§. IV.

De Sacris Reliquiis Ecclesiæ Wessofontanæ ab Imperatore Henrico III. donatis.

1. POst terrenas facultates, quas varii Benefactores Monasterio nostro ad monachorum sustentationem contulerunt, sacratiores nunc thesauros explicatiùs pandere æquum est. Laudavimus Henricum III. Imperatorem, qui Hierosolymis attulit corpus unius sanctorum infantium ab Herode cæsorum, & spectabiles insuper reliquias de corpore S. Maximini Trevirensis Archiepiscopi Sanctuario Ecclesiæ nostræ intulit: (a) de utrisque largiùs nunc agemus.

2. Stephanus Leopolder, postquam de septem Martyrum corporibus testimonium ex tabula plumbea quadrata recitâsset, ex alia antiqua tabula illas quoque recitat & posteritati commendat his verbis:

(b) *Contenta in alia tabula rotunda, in cujus medietate est imago Henrici Imperatoris, cum tali titulo, ut sequitur.*

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator.

In aliis duabus lineis sic continetur.

Anno Domini MLI. allatum est de Hierosolyma ab Henrico Imperatore corpus unius parvuli de S. Innocentibus.

In altero latere plumbi sic continetur.

Hic jacet de corpore sancti Maximini Treverensis, brachium dextrum, cum ulna, coxa cum tibia, femur, mandibula, digitus annularis.

(a) *Hoc Sec. cap. I. §. IV. Prepos. 2.* (b) *Quæ hic cursivis litteris ponuntur, Stephanus minio scripsit.*

3. De hisce pretiosis Reliquiis pauca ad Sanctorum honorem superstunt dicenda. Corpus beati & innocentis illius parvuli fuit in sacrario nostro usque ad initium Sæculi XVI. & fortè ultrà: anno tamen nonagesimo jam non inveniebatur, nisi, ut Joachimus Puechauer tunc Sacrista,

 postea

postea Abbas S. Petri Salisburgi, annotavit, *in arcula oblonga eburnea crus integrum de Innocentibus.* (c) Deinde Serenissimis Bavariæ Ducibus, de monasterio nostro semper, & præsertim illo tempore, optimè meritis donatum est omne reliquum corpusculum, remanente nobis in memoriam possessi olim thesauri uno illo crusculo; quod Gregorius Pontanus, anno 1607. electus Abbas argenteæ clavæ, sic tamen ut visui pateat, inclusit: eamdem clavam argenteus parvulus palmaris staturæ manu tenet, imò manum eadem quasi nixus fulcit. Cæteræ corpusculi partes in Hierophylacio Palatii Electoralis Monachii asservantur, & cum quibusdam aliorum aliunde advectorum Innocentium reliquiis in festo SS. Innocentium tum in templo Societatis JEsu, tum alternatim in aliis, nisi memoria me fallat, annuatim publicæ venerationi, ex Sacello aulico ad tempus translatæ, exponuntur.

(c) *Index Reliquiarum fol. 1.*

4. De S. Maximino multùm requisivi, quo tempore, vel à quibus allatæ fuerint tam insignes sanctissimi Præsulis Reliquiæ. Cùm nihil aliud indagare potuerim, acquiescendum arbitror plumbeæ huic tabulæ effigie Cæsaris insignitæ, in cujus priore facie disertè annus allati S. Innocentis, & Imperator Henricus assignatur. Et quoniam in eadem tabella, non in alia separatim, sed aversâ tantùm, *in altero latere plumbi*, Reliquiæ S. Maximini notantur, ab eodem Imperatore utrasque tam S. Maximini, quàm S. Innocentis, liceat existimare: quamquam aliter suspicatus sim superiùs in Benedicto I. Abbate, (d) interim hoc notâsse sufficiat, quòd S. Maximini Festum in Calendario Abbatis Benedicti duodecim lectionibus celebrandum, minióque scriptum, indicatur: verùm nec hoc majori antiquitati patrocinatur, uti ad idem Calendarium præfando docebimus. (e) Præterea aliæ ejusdem sancti reliquiæ indicantur in supradicto Joachimi sacristæ catalogo his verbis: *in arcula quadam eburnea - - - particula digiti S. Thomæ Apostoli, S. Maximini, S. Gangolfi Episcopi,* &c.

(d) *Sæc. II. cap. I. §. III. n. 3. Confer. Sæc. III. cap. I. §. II. n. 2.* (e) *Part. III. Diplomatica.*

5. Sanctus iste ad Sedem Trevirensem assumptus est 13. Augusti, anno 332. Interfuit Concilio Sardicensi anno 347. Decessit 12. Decembris anno 349. Colitur 29. Maii. (f) Quo eodem die etiam nos Wessofontani eumdem colimus sub ritu Festi duplicis, & Officium quidem canonicum ex Communi Pontificis & Confessoris usque ad annum 1743. celebravimus: modernus autem Reverendissimus Præsul BEDA proprias de hoc Divo Lectiones Treviris per amicum obtinuit. Ipsa festivitatis

die

die memoratæ ejus reliquiæ in ara principe publico cultui exponuntur, quas duobus brachiis ex puro argento fabricatis inclusit, & ut pellucerent, chrystallo obduxit Gregorius Pontanus Abbas ante centum & plures annos, cùm priùs brachiis ligneis clauderentur. Aliquantis post allatum hoc donum annis in gratitudinis tesseram Archiepiscopo Trevirensi tunc sedenti insignem Codicem elegantissima devotæ Diemodis nostræ manu in membrana exaratum obtulimus. Fuit is Liber Missalis cum Gradualibus & Sequentiis, ut Catalogus testatur. (g)

(f) *Hist. Trevir. Honthemii Tom. I. post Dissert. præviam fol. LVIII.* (g) *Producendus Sec. IV. in Walthone.*

6. Quoniam verò Sanctus iste Archiepiscopus in patria nostra & vicinia paucis est notus, non inutile ad promovendum ipsius honorem visum est, Lectionibus in officio divino de eo recitari solitis, gestorum ejus epitomen dare.

Lectio V.

MAximinus Pictavis in Aquitania clarissimis Senatorii ordinis parentibus natus, S. Agritii primi Trevirorum Archiepiscopi fama ac sanctitate tractus, ejus sese disciplinæ ad omnem virtutem formandum subjecit, adeóque profecit, ut per illum sacris initiatus sit, ac subinde Agritius, angelico edoctus ministerio, eundem sibi successorem delegerit. A morte Agritii summa omnium voluntate comprobatus susceptum munus tanta virtute & constantia religionis orthodoxæ defendendæ administravit, ut nullis Arianorum tum invalescentium minis, blanditiisque cesserit, sed illibatam Trevirensi in Diœcesi fidem inter suos tuitus, profugorum quoque asylum & tutela fuerit.

Lectio VI.

ATthanasius enim gravissimam in Oriente ab Arianis persecutionem passus, treviros sese recepit, ubi humanissimè acceptus habitúsque celeberrimum illud Fidei Symbolum contra Arianos scripsisse fertur. Maximinus verò eumdem adversus hostiles machinationes fidelissimè defendit: & quamvis ipse gravia à Constantio Imperatore, fascinatione Arianorum deluso, pateretur, in tuenda tamen religionis sinceritate constanter perstitit, ac Sardicensi Concilio cum Euphrate Coloniensi, aliisque Galliarum Episcopis interfuit, ac pro Athanasio contra Arianos pri-

mi-

mus omnium sententiam tulit: verùm Euphratem postea Photinianâ corruptum hæresi in Synodo Ariminensi, quæ Maximino potissimùm agente instituta erat, cum aliis Galliarum Episcopis sede movit, acerrimus contra omnem impietatem orthodoxæ fidei defensor.

Lectio VII.

SUb hæc in Oriente apud Constantium Magnentii tyranni legatione cum S. Servatio defunctus, Romam Apostolorum limina salutaturus adiit, ac deinde Pictavos, ex patria paulò post plenus dierum & meritorum ad patriam cœlestem abiturus, cujus sacræ reliquiæ jussu S. Paulini successoris, & miraculosa Divi ope, ex Aquitania non sine crebris ubique locorum prodigiis deportatæ & in æde S. Joannis Evangelistæ, nunc ab hoc thesauro illic recondito S. Maximini dicta, depositæ, septuaginta dæmoniacis ipsa depositionis die præsentem opem attulerunt.

Lectio VIII.

HUjus Viri in omni sanctitate potentis quàm pretiosa sint merita, Deus testatum voluit; quando quingentesimo & ultrà à sepultura anno corpus sacratissimi viri non modo, ùt aliis quibusdam sanctis, à tabe illibatum, sed adeò undequaque flexile, & amictu pontificali tam integro à Ratbodo sanctæ memoriæ Præsule fuit repertum, acsi ipso primùm die ex hac vita decessisset.

Oratio.

DEus, qui hodiernam diem sacratissimam nobis in Beati Maximini Confessoris tui atque Pontificis solemnitate consecrâsti: adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus, & præsta: ut cujus gloriamur meritis, Ejus intercessionibus indulgentiam, & remissionem peccatorum consequi mereamur. Per Dominum.

Cætera omnia de communi Confessoris Pontificis primo loco recitantur.

7. Dum in Lectionibus nunc recitatis lector intelligit, S. Maximini corpus per quingentos & plures annos usque ad Ratbodi Archiepiscopi tempora ita incorruptum fuisse repertum, ut omnino flexile fuerit, vestimen-

ftimentis etiam integris; non judicare debet, nulla hinc ossa potuisse avelli, & ab Henrico III. Imperatore Monasterio nostro donari. Verùm ad hoc dubium tollendum necesse est Chronologiam inspicere, juxta quam S. Maximinus obiit anno Christi 349. Ratbodus verò Archiepiscopus fuit electus anno 883. idémque juxta Browerum S. Maximini corpus integrum invenit anno 898. adeóque quingentis & quinquaginta ferè annis post ejusdem Divi sepulturam. Corpus tunc erat flexile & incorruptum, ac per annos aliquot in elevato tumulo publicè expositum: anno verò 942. à Rutgero Archiepiscopo per miraculum monito cum aliis Sanctis terræ denuo & communi aliorum cadaverum fato commissum. (h) Ab eo tempore usque ad annum 1051. fluxerunt centum & novem anni, ut adeò per alternas inventiones, elevationes, expositiones, iteratásque defossiones sacrum corpus ad ossa usque consumptum fuisse, mirari nemo debeat, quod ipsius sepulti secunda voluntate factum esse perspicuum est, Deo etiam latiùs propagari ejus nomen & cultum volente.

(h) *Acta SS. Boll. ad 29. Maji fol. 33. col. 1. n. 34.*

8. Sigehardus enim, Monachus S. Maximini, miracula ejus & inventionem describens, de corporis integritate sic ait: *Quid mirum, divinæ virtutis omnipotentiam, quamdiu voluit, præstare potuisse charo suo post mortem corporis donum istud incorruptionis?* Et paulò post refert apparitionem ipsius S. Maximini, jubentis corpus suum, hactenus elevatum, denuò terræ mandari. (i) Notkerus, qui ejusdem inventionis tempore vixit, in Martyrologio suo ad diem 29. Maji vestimenta Sancti ad suum usque ævum incorrupta mansisse scribit, nihil jam de corporis integritate commemorans. Anno igitur Domini 1051. sub Archiepiscopo Eberhardo has accepit Divi Maximini reliquias Henricus Imperator, eodem anno de Ecclesia & monasterio optimè meritus, cùm eidem *restituit curtem Pridrinam, & cæteras possessiones & ecclesias firmavit*; & quidem, ùt fatetur, *ob amorem DEI, & ob interventum spiritualis Patris nostri, domni videlicet Leonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pontificis*, & circa finem Diplomatis dicit Imperator se curâsse, ut Maximiniani *Apostolicæ defensionis auxilium habere valeant, & Leonis Papæ privilegium obtinere meruisse.* (k) Gratitudinis ergo exhibendæ causâ donatas ab illis Henrico reliquias credo, tempore, quo datum est Diploma, nempe anno 1051. die 12. Cal. Februarias, & eodem anno jam adulto ab Imperatore ad Fontes nostros allatas.

(i) *In iisdem Actis l. c.* (k) *Tom. I. Hist. Trev. fol. 389. & seq.*

9. Hodiedum Treviris in Ecclesia S. Maximini singulis annis statutæ die confertæ multitudini, è longinquo etiam confluenti, ostendi solent

reliquiæ plurimæ, inter quas caput S. Maximini Archiepiscopi, magna pars pallii S. Maximino è Roma directi, de crinibus B. Maximini, duo baculi SS. Maximini & Martini, quorum usum habuerunt petentes limina Apostolorum Petri & Pauli. (l) Nos de Reliquiis S. Maximini *insignes* habemus; at non omnes, quæ superius recensitæ sunt, sicut patet ex Catalogo SS. Reliquiarum jam citato. (m) Quemadmodum enim in eodem tantùm crus pueri de SS. Innocentibus, ita brachia solùm duo & coxa seu os femoris de corpore S. Maximini memorantur. (n) Et hæc nobis sufficiunt, Deum ter Opt. Max. obsecrantibus, ut pretiosam hanc possessionem velit esse perpetuam.

(l) *Act. SS. die cit. fol. 34. num. 6. ubi non S. Martinus* Turonensis, *sed* Moguntinus *Episcopus est intelligendus, sicut supra in Lect. VI. non Euphrates, sed anonymus ejus decessor. Vid. ibid. ad cap. I. Vitæ Notas h. & i.* (m) *hoc §. num. 3.* (n) *his verbis:* in brachio dextro deargentato integrum os ex dextro brachio S. Maximini Ep. in sinistro brachio duo integra ossa S. Maximini, alterum ex brachio dextro, alterum ex coxa ipsius.



SÆCULI QUARTI
WESSOFONTANI
CAPUT I.
De Restitutione Sacri Ordinis Benedictini, & primis post eam Abbatibus.

§. I.
Adalbero ex Præposito VIII. Abbas X., templi dedicationem procurat.

1. ORdimur hoc sæculum ab anno 1065. duodecim annis seriùs, tum ob Epocham restituti Ordinis, & dignitatis Abbatialis: tum quòd Præpositos una serie ponere, & singulorum acta uno obtutu spectanda Lectori exhibere congruum videretur. Itaque Adalbero, Præpositus antea octavus, cùm satis jam monasticis legibus imbu-

imbutus esset, ac novi templi fabricam perfecisset, spiritualem ipse structuram molitur, habitum Canonicùm deponit, tractisque in sui sequelam sodalibus vestem monasticam induit, S. Benedicti Regulam cum toto Collegio palam professus. Templo Monasterii sub autumnum numeris omnibus absoluto, atque ad Dedicationem adornato Embriconem Augustanum Episcopum Adalbero invitat & obsecrat, ut illud omnipotentis DEI nomini & honori dedicare dignaretur.

2. Dedicationis tempus & ordinem descriptum invenimus in antiquissimo Plenario seu Evangeliorum libro his verbis coævo calamo exaratis.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo quinto, indictione tertia, Regnante autem Heinrico rege, Heinrici imperatoris filio, secundo Kalendas Decembris Hæc æcclesia a uenerando Embricio præsule augustensi, in honore S. & individuæ trinitatis, S. Crucis, S. Mariæ matris domini, S. Michahelis, S. Johannis Baptistæ, S. PETRI A. S. Pauli, S. Andreæ, S. Marci evangelistæ, & omnium Apostolorum, S. Stephani protomartyris, Laurentii, Pancratii, Alexandri, Georgii, Mauricii, Marii, Quirini, Hemmerammi, & Castorii martyrum, S. Martini, Oudalrici, Willibaldi, & Leudegarii, Syri, & Sauini episcoporum, S. Benedicti Confessoris, S. Scolasticæ, Margaretæ, & Waldburgæ virginum consecrata est. Continentur etiam hic reliquiæ S. Mariæ matris domini salvatoris, S. Johannis Baptistæ, S. Petri Apostoli, S. Marci euangelistæ, S. Stephani protomartyris, Pancratii, Alexandri, Georgii, Mauricii, Marii, Quirini, Hemmerammi, & Castorii martyrum, S. Martini, Oudalrici, Syri & Sauini episcoporum.

3. Et hæc quidem erat totius Ecclesiæ Wessofontanæ Dedicatio. Factus est inde transitus ad altaria singula, his verbis annotata:

Ad S. Petrum.

In honore S. & individuæ trinitatis, S. Mariæ matris domini. S. Michahelis, S. Johannis Baptistæ, S. PETRI APOSTOLI, Pauli, Andreæ, Marci Euangelistæ, & omnium Apostolorum, S. Stephani, Pancratii, Mauricii, Marii, & Castorii martyrum, S. Martini & S. Oudalrici confessorum.

Ad S. Crucem.

In honorem S. Crucis, S. Georgii, Alexandri & Castorii martyrum, Syri & Sauini episcoporum; S. Margaretæ, S. Waldburgæ virginum.

Ad S. Mariam.

In honore domini, S. Mariæ matris ejusdem, S. Stephani protomartyris, Laurentii, Quirini, Hemmerammi martyrum, S. Martini & S. Leudegarii episcoporum.

Ad S. Michahelem.

In honore S. Michahelis, Georgii Martyris, S. Oudalrici & Willibaldi episcoporum.

4. Peracta templi & altarium consecratione Embrico Episcopus Adalberonem, abdicato Præpositi titulo, Abbatem creavit, monasticúmque S. Benedicti institutum, perpetuis deinceps temporibus apud Wessonis Fontes observandum, sua authoritate confirmavit, quod sequentibus sæculis sæpius à summis Pontificibus stabilitum & roboratum invenitur.

§. II.

Benefactores in novum templum & monasterium liberales.

1. SOlemnis templi dedicatio, & monastici ordinis restitutio protinus fidelium liberalitatem, benedicente Domino, excitavit. Longum esset hoc loco recensere singulos: ex uno tantum Codice (a) collecti sufficiant, qui Adalberone præsule sese munificos exhibuerunt.

2. Prima fuisse legitur Hademouta vidua, quæ S. Petro prædium suum, quod in vico Peyssenbergensi possederat, liberaliter *pro remedio animæ suæ & parentum suorum* donavit, & *cum omnibus redditibus suis in proprietatem Fratrum* transtulit. Subscribuntur *testes nobiles*: Hartmannus de *Rota*, Pernhart de *Wilehein*, Fridericus de *Linowe*, Routpertus de *Tagidineswanch*, & alii. Hujus Hademoutæ obitus annotatur die tertio Kalend. Martii. (b)

3. Gemino dono monasterium auxit Otwinus vir nobilis; nam in primis tradidit S. Petro prædium suum *ad Rubes* per manus Ratoldi de *Morlibach*, cujus donationis hi testes: Perthold de *Stouphen*, Wolfram de *Buren*, Engilmar & Danchmar frater ejus de *Sibichenhusin*. Adjecit Otwinus tertiam partem Ecclesiæ, quam habuit ad *Horsthaningin*, in honorem S. Martini dedicatæ. Traditionem firmabant iidem testes.

4. Nobilis quædam fœmina, nomine Hazecha pro remedio animæ suæ & viri sui Pertholdi tradidit prædium suum ad Pergen. Hujus traditionis

tionis *testes nobiles* memorantur Engildie de *Hurewin*, Chuno de *Seueld*, Chuno de *Holzhusin*, Reginhart & Weriant de *Eglingen*, aliique plures. Et Hazecha quidem obiisse legitur quarto Nonas Augusti; Pertholdus autem, nobilis ejus maritus, in Necrologio Benedicti Abbatis pridie Nonas Januarii sic annunciatur: *Perchtold nobilis laicus obiit, qui dedit 1. mansum Perga.*

5. Eodem die, quo Hazecha, alia quoque nobilis fœmina Bertha super altare S. Petri tradidit prædium quoddam ad *Galtprunnen*, pro anima sua, & mariti sui Friderici. Testes fuere iidem, qui in priore Hazechæ donatione invocati. In Necrologio antè citato ad diem 3. Nonas Januarias inscriptus reperitur his verbis: *Fridericus nobilis laicus obiit, qui dedit partem predii Galtprunnen.* (c)

6. Nobilis quidam vir, nomine Richere (seu Richerius) cum uxore sua Gisila tradidit S. Petro in præbendam Fratrum prædium quoddam in *Epbenhusen* per manus Adalberonis de *Morlibach*. Testes erant Adalpertus de *Rota*, Fridericus de *Linewe*, Rudolf de *Owolsestat*, ipse Richere, & filius ejus Conradus.

7. *Hartnit homo liber* cum uxore sua Dietbirga prædium, quod habuit in villa *Housin*, tradidit ad altare S. Petri pro remedio animæ suæ, uxoris & omnium parentum suorum. Testes donationis fuere, Egilolf de *Machtolsingen*, Luipolt de *Walde*, Marchwardus de *Owingen*, Hartwicus de *Osinwangen*, & alii tres. Obiit Hartnidus in Octava natæ Deiparæ, & sic ad 17. Kal. Octobris in dicto Necrologio annunciatur: *Hartnidus laicus obiit, qui dedit predium ad Husen.*

8. Bertha nobilis fœmina, uxor Adalperti de Otingen ministri Ducis, prædia, quæ habebat ad *Pozinhusen* & *Varolteshusen*, & ad *Mahelberch*, dedit ad altare S. Petri per manus nobilis hominis Hugonis de *Reimunteshofen*, pro commutatione prædiorum, quæ apud *Gunzilhofen* & *Pachman* antea ad eumdem S. Petrum pertinuerant. Testes Reginolt de *Penningen*, & Heinricus de *Rute*.

9. Beatrix, fœmina nobilis, mansum unum in villa *Vssingen* situm, quem propriâ pecuniâ emerat, per manum Pertholdi de *Stoufen* ad altare S. Petri tradidit. Testes fuere Adelpertus de *Rota* & Hartwicus de *Basinhusin*, & Conradus filius ejus.

 10. Lu-

10. Ludewicus, Ministerialis Heinrici Ducis, per manum ejusdem Domini sui, dedit dimidium mansum ad *Boule* S. Petro, ea tamen conditione, ut si unquam devenerit in beneficium Laicorum, proximus ejus hæres eumdem sibi recipiat. Traditionis & adjectæ conditionis testes fuêre Gozzolt de *Steinbach* & Richere. (d)

(a) *Cod. D. à fol. 36.* (b) *Ibid.* (c) *Ibid. fol. 37.* (d) *Ibid. fol. 38.*

§. III.

Incrementa S. Supellectilis, & Bibliothecæ.

1. INgens discrimen erat inter antiquos Sacrariorum apparatus, & hodiernos. Tardis progressibus crescebat supellex ecclesiastica, & indumenta Sacerdoti ac ministris necessaria non uno eodémque sumptu parabantur, sed alia ex aliis, prout offerentium ferebat devotio, colligebantur, partim à fidelibus coëmpta, partim à devotis artefacta vel oblata. Hinc illa diversitas & inæqualitas, quæ in veteribus paramentorum sacrorum recensionibus deprehenditur. Id patebit ex gemino catalogo mox referendo, in quo eâdem operâ perspiciet lector, non quàm pretiosa, sed quàm celeri incremento sacra supellex nobis post solitudinem tam diuturnam succreverit.

2. Antiquior catalogus ita sonat: *Casulæ septem. Albæ undecim. Stolæ duodecim. Fanones undecim. Dalmaticæ duæ. Subtilia duo. Calices cum patenis quatuor. Corporalia quinque. Manutergia duo. Pallia quindecim. Cortinæ quatuor. Capsæ novem. Coronæ tres. Cruces tres. Turibulum unum.* Alter verò catalogus progressu temporis jam auctior apparet, eodem Adalberone Abbate seu prece seu pretio comparatus; jam enim numerantur in eo *Casulæ undecim. Albæ centum & tredecim. Stolæ viginti. Dalmaticæ quatuor. Subtilia quatuor. Pallia tredecim. Calices quinque. Tapetes undecim. Dorsalia novem. Velamina octo. Cruces quinque. Thuribula quinque. Candelabra decem. Vexilla sex.*

3. Obscuriora in his catalogis nomina, hodiéque magnam partem insusitata ex Hierolexico Macri & novissimo Chronico Benedictoburano (a) sic poterunt explicari: *Fanones* hodie manipuli sunt: *pallia*, quibus operitur calix; *subtilia* pro superpelliceis: *cortina*, *velum*, *velamen* sumebantur pro antependio altaris: *capsæ* erant vasa olei ad sacramenta & lampades: *coronæ* fuerunt ornamenta, quæ ad templi splendorem tribus catenis:

tenis, instar hodiernarum lampadum, suspendebantur; *dorsalia* sunt tapetes in choro post dorsa psallentium pendula.

4. Ad incrementum Bibliothecæ, credimus, non solùm Abbatem Adalberonem propriis monasterii sumptibus, & Benefactorum liberalitatem concurrisse, sed etiam ipsorum Monachorum operâ manúque libros complures fuisse descriptos. Sequentes libri sub Adalberone Bibliothecam nostram auxerunt, quorum catalogum ex antiquo Plenario recitamus.

Liber Genesis. Actus Apostolorum. Epistola Canonica. Apocalypsis in uno volumine.
Libri Regum. Expositio Ecclesiastes. (b)
Job. Tobias. Judith. in uno volumine.
Libri Machabeorum.
Libri Prophetarum.
Collectarium unum.
Epistola Pauli.
Psalterium unum.
Omelia duæ de quadraginta XXI. (c)
Liber S. Martini.
Canones Apostolorum.
Expositio Psalterii.
Liber Smaragdus.
Passionarium Apostolorum.
Prognosticum futuri sæculi.
Isidorus.
Dialogus. (d)
Missalia tria.
Missale. Graduale. Lectionarium. in uno volumine.
Lectionaria cum evangeliis duo.
Plenaria duo.
Gradualia quatuor.
Matutinales libri duo.
Officiale unum.
Sequentionarius unus.
Libri baptismales cum commendatione animæ duo.

5. Satis utique curta hæc librorum supellex fuisset, nisi insignis manus Diemodis nostræ, aliorúmque sub Abbate Walthone Monachorum solertia plurimis voluminibus eandem locupletâssent. Tametsi porrò libri pro quotidiana monachorum lectione pauci admodum hoc Catalogo

go recenseantur, pro choro tamen & divinis officiis copiosè sufficiebant, licèt non sinè molestia & dura necessitate singulas ferè partes ex diversis libris recitandi.

(a) *Quare apud Macros in VV.* Capsaces, Corona & Staupus, Dorsale: *in Chron. B. Burano de reliquis fol. 15. post medium.* (b) *Lege*: Ecclesiastis, *vel* Ecclesiastæ. (c) *Quid hæc significent, aliis divinandum relinquo.* (d) *Cujus? an S. Gregorii M. an Justini, aut alterius?*

§. IV.

De obitu Embriconis Episcopi: item de Episcopis Wigoldo, Sigifrido II. & Herimanno Augustanis.

1. ANno Domini 1077. maximum monasterio nostro luctum indixit obitus præclarissimi Episcopi Augustani Embricii seu Embriconis. Hic vir, hic est, in quo clarissima generis nobilitas cum virtute certabat, sed virtus splendorem sanguinis superabat. Natus is fuerat ex Comitibus de Leiningen, antiquo consanguinitatis vinculo cognatis cum gente Dagsbergica, ex qua nuperrimè Bruno Dagsbergius, postea sub nomine Leonis IX. Pontifex maximus, vitæ sanctitate, miraculorum gloria, gestorum magnitudine universam Ecclesiam, ac præcipuè Germaniam nostram illustravit. Embrico noster, antehac Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ Præpositus, ab Henrico IV. Imperatore constitutus Episcopus Augustanus, Gassero Heterodoxo teste (a) tanquam vir Pontificiæ gravitatis, modestiæ, & prudentiæ singularis, aliisque animi dotibus spectatissimus commendatur, de cujus in sacrum Ordinem nostrum amore nos ipsi testes locupletissimi sumus: cætera illius gesta scire desiderantem ad Hierarchiam Augustanam ablegamus.

2. Ut de maximis in Monasterium nostrum Wessofontanum Embriconis meritis loquamur, vix ille ad clavum admotus, nil sibi potius aut prius agendum censuit, quàm noscere vultum gregis sui. Quare cùm inter alias Ecclesias, quarum statum seu visu, seu narratu cognoverat, nostram nuperrimè restaurari cœptam, nondum verò pristino Instituto restitutam intellexisset, ipse cohortatus est inquilinos & Adalberonem Præpositum, ut opus maturarent, omnéque, quo opus esset, auxilium adpromisit. Et verò fideliter promissis stetit; anno enim 1064. in festo Purificationis B. Virginis Mariæ Episcopatum adeptus, annum alterum emensus non est, sed anno proximo in festo S. Andreæ Ecclesiam nostram dedi-

dedicavit, ùt supra diximus, & ea præstitit, quæ à viro Clarissimo, Hierarchiæ Augustanæ authore, his verbis recitantur: anno 1065. Mona-
„ sterium Wessofontanum, post Thientonis Abbatis martyrium anno
„ 955. cum sex suis Monachis perpessum, à Canonicis occupatum, at-
„ que integro sæculo *à Præpositis sæcularibus* administratum, *Embrico* Epi-
„ scopus Monachis Benedictinis *restituit*, *Alberone* VII. & ultimo *Præ-*
„ *posito* cucullum Benedictinum assumente, & primum Abbatem adhuc
„ 46. annis agente. „ (b)

3. Parùm verò est, Ecclesiam cum quatuor altaribus ab Embricone *dedicatam*, & ab eodem Ordini Benedictino *restitutam* fuisse. Adjecit idem Episcopus insignes Divorum Reliquias; plerasque enim earum, quas suprà in templi & singulorum altarium consecratione recensuimus, dubitare non possumus, quin ab eodem donatæ allatæque fuerint; exceptis ad summum iis *S. Emmerami*, *S. Quirini*, *S. Castorii*, aliorúmque paucorum, quæ ex Ratisbonensi Divi Emmerami, & Tegernseensi Monasteriis potuerunt nobis liberaliter obvenire. Devotionem porrò & gratitudinem erga tantum Episcopum Chronographus noster hisce verbis testatur: (c) *Anno Domini M.L.VII. Gloriosus & Venerandus Embrico, Episcopus Augustensis, plenus bonis operibus, in Domino obdormivit tertio Kalendas Augusti*, nempe trigesimo Julii.

4. Vix tantum Embriconis mors, quantum defuncti memoria vulnus nobis inflixit: cùm enim vivo illo Monasterium nostrum, & Diœcesis universa placida quiete gauderet, Episcopo sic res moderante, ut & summo Pontifici placeret, & Imperatorem Henricum non offenderet, imo pacem inter utrumque conciliare niteretur: repente atrocissima tempestas ipsam sedem Augustanam concussit, dum uno eodémque anno 1077. duo simul Episcopi, alius à Romano Pontifice, alius ab Imperatore constitutus, præessent: illum, Wigoldum nomine, Gregorius VII. per Cardinalem Ostiensem miserat, hunc Sigefridum II. Henricus IV. objecerat. Eodem dein anno, in Comitiis Triburiensibus Henrico Imperatore exauthorato, Rudolphus è Sueviæ Duce Imperator creatus anno sequente Henricum æmulo resistere ausum prælio vincit. At victus quidem, animum vincendi non abiecit, sed Bojorum, Francorum & Bohemorum auxiliis nixus tam acriter anno 1079. cum Rudolpho dimicavit, ut neutri integræ victoriæ laus posset vindicari. Eò ventum, ut Rudolphus tertia adversus Henricum pugnâ manum amitteret, & pauló pòst fatis concederet. Eo defuncto Germaniæ Proceres contra Henricum quartum eligunt Hermannum Lucelburgium in Imperatorem, qui Wel-

fone suffultus militem ducit contra Fridericum Hohenstauffium, ab Henrico creatum Sueviæ Ducem, & vincit, Henrico interim factionem suam instaurante, iterum verò Gregorii VII. sententiâ excommunicato. In hoc turbine Wigoldus à Sigefrido Archiepiscopo Moguntino Episcopus consecratur, & ad Fauces Julias se recipit, dum æmulus Sigefridus Augustæ sedet. Proximo igitur anno Welfo Augustam expugnat, & Wigoldum in sede sua collocat, Sigefrido vix evadente. Verùm eodem anno Fridericus Hohenstrauffius Augustam subjicit, & expulso Wigoldo, Sigefridum II. denuò intrudit.

5. Quod ubi Welfo inaudiit, armata manu Augustam civitatem anno 1084. iterum in potestatem redigit, atque, ut impotens sui est victoria, hostiliter agit, maximè in ædes Canonicorum sæviens. Interim & Imperii proceres, alii pro Pontificis, alii pro Cæsaris parte digladiantur, Episcopi, Principes, Abbates. Neque ipsi Romæ licuit esse pacatæ, ubi Henricus Imperator Gregorium VII. Pontificatu exuit, eique Guibertum quemdam sub nomine Clementis III. substituit. At Guiscardus Calabriæ Dux Henricum Româ ejicit: qui Italiâ quoque relictâ in Germaniam & rectâ Augustam properat, ubi advenientem Welfo per quatuordecim dies Lyci fluminis transitu prohibet: dum verò, missis Zaringio copiis, se ipse debilitat, Henricus denuò Augustam recipit, Wigoldum capit, Sigefridum restituit. Proximo anno 1085. Quedlinburgi in Comitiis coram Hermanno Imperatore celebratis Sigefridus Episcopus denique consecratur, verùm invalida brevì hæc consecratio declaratur. Quare affectus tædio Hermannus post biennium Imperio se abdicat.

6. Welfo tametsi sedis & authoritatis Pontificiæ tuendæ studio tantis bellis fuerit intricatus, fuêre tamen & aliæ causæ, quæ ipsius in Henricum & Augustanos odium incenderent: ille Welfonem Bavariæ Ducatu moverat, hi eumdem advocatum recusabant. Quare iratus Dux, denuo Augustam opprimit, neque sacræ Palmarum hebdomadæ reverentiâ tactus, prædis grassatur, Sigefridum captum ad arcem suam Ravenspurgensem ducit; Wigoldus contrà Augustam revertitur, & Welfonem in Augustanæ provinciæ Advocatum suscipit, nullâ Augustensium gratiâ. At verò cùm videret urbem miserè affictari ac pene dirutam, ad Fauces Julias iterum se recipit, ac paulò pòst moritur 1088. Sigifrido adhuc in vinculis gemente tres apparuêre alius ex alio Episcopi, Wernherus Canonicus, Ekenhardus Divitis Augiæ, Conradus Campidonæ Abbates: verùm omnes, priùs in tumulo, quàm Episcopali sede collocati. Itaque Sigifridus magno pretio è captivitate redemptus, eandem occupare permissus

missus octennio post Wigoldi decessum verus Episcopus à summa Sede tandem agnitus, & priora etiam ejus acta probata sunt, ipse demum in Ecclesiam Augustanam beneficus obiit 1096. (d)

7. Quis tunc animus Adalberoni, totique Monasterio nostro fuerit facilè quisque divinabit: & fortasse non nemini in mentem venit illud Poetæ: *nescit, cui Domino pareat unda maris.* Hinc Ecclesiastica fulmina terrebant, inde facultatum rapinæ & militum terror urgebant, & proximus cuique ardebat Ucalegon. Spes erat in venturo semper, & fallebat. Accessêre stupenda prodigia tanquam Divinæ iræ in principes populósque interpretes, quæ Khammus in Hierarchia Augustana enarrat, & Chronographus noster non omittit. (e) Successit Sigifrido Episcopo Hermannus Comes Wittelspachius, Henrici IV. Imperatoris gratiâ promotus, ejúsque partibus pertinaciter adhærens, Cæsarianos & legitimi Pontificis adversarios fovit, amicos persecutus est: neque vivo Adalberone nostro resipuit, imo hunc novo vulnere afflixit, ùt mox explicabimus.

(a) *Gasser. Annal. August. fol. 105. apud Khamm Hier. Aug. P. I. fol. 170.* (b) *Hier. Aug. P. I. f. 182.* (c) *Cod. D. fol. 38.* (d) *Hierarch. Aug. P. I. fol. 190.* (e) *Ibid. fol. 197.*

§. V.

Guntherus Monachus Wessofontanus, Abbas Monasterii S. Udalrici obtrusus, & obitus Adalberonis Abbatis nostri.

8. Cùm jam antè Henricus Imperator Monachis SS. Udalrici & Afræ ex Monasterio Gottwicensi Hartmannum Abbatem obtrusisset, immemor beneficii, quo S. Afræ precibus manifesto captivitatis periculo ereptus fuit, cùm Boicis copiis Augusta obsideretur; nihilo mitior Hermannus Episcopus, cùm vix ad clavum fuisset admotus, alium eisdem Abbatem ex Monasterio Fuldensi imposuit, Berengarium nomine, virum quidem eximii ingenii & prudentiæ, verùm quietis amantem, quam se inter turbas illius temporis invenire posse desperans post clavum undecim annis gubernatum ad Monasterium suum rediit, & vitæ reliquias in quiete literaria transegit. (a) Huic anno 1107. Hermannus Episcopus ex Monasterio nostro abreptum substituit Guntherum Monachum, quem Bruschius & alii Chronographi Abbatem Wessofontanum perperam dicunt; nam omnia Chronica nostra Guntherum Abbatem nesci-

unt. Facile divinare est, quo animo Guntherus istud oneris, quod duobus aliis molestissimum fuisse, ipsorum fuga monstravit, subierit. Verùm Imperatori & Hermanno resistere non aliud erat, quàm utriusque iram in cervices suas provocare, & Monasterio nostro nuper è ruinis suscitato interitum novum accersere. Paruit ergo Guntherus, venit, ad clavum sedit, sed invitis remigibus: quos ubi ab archithalasso alienos vidit, non hominis quidem, sed exteri jugi impatientiâ; vasa collegit, & se ad monastetium nostrum recepit, eò etiam laudabilior, quo citiùs aliis dignitate se abdicavit, unico tantùm biennio Abbas. Vidit nempe vehementiores ventos, qui successoribus sub tali Imperatore & Episcopo imminerent, præcipuè B. Eginoni, ob Apostolicum zelum exilium quærere compulso. Guntherus noster anno 1109. ad quietem Monasticam rediit, & post paucos annos ad æternam.

9. Proximo à reditu Guntheri anno, seu recepta ove lætus, seu, quas tempora illa ferebant, ærumnarum satur Adalbero Abbas noster grandævus obiit, tertio Augusti anno 1110. postquam præfuit annos quadraginta sex non integros: dignus, qui post commune diluvium, quo Ecclesia & Imperium jactabantur, columbam cum pacis olea videret: verùm ea felicitas Sigehardo successori servabatur. Interea Adalberonis obitus antiquissimo Benedicti Abbatis calendario inscriptus reperitur his verbis: *III. Nonas Augusti Adalbero Abbas istius loci & reparator cenobialis vite obiit.* Alibi ejus obitus sic annunciatur: *Anno Domini MCXI. tempore Paschalis Pape II. & Henrici V. Imperatoris Romanorum Adalbero Abbas istius loci & reparator cenobialis vite obiit 3. Nonas Augusti in Inventione S. Stephani protomartyris.* (b)

(a) *Hier. Aug. P. III. Reg. fol. 31. 32.* (b) *MS. D. fol. 42.*

CAPUT II.

De Hermanno Episcopo Pontifici conciliato: item de Abbatibus Sigihardo & Adelperto.

§. I.

De Hermanni Episcopi conciliatione, & Sigihardo Abbate XI.

1. Cùm Adalberoni, ùt diximus, successisset Sigihardus, ex Monacho Wessofontano electus Abbas, ipsi etiam aliquamdiu degustandæ erant acerbæ schismatis reliquiæ: neque licuit proferre fructus, cùm acerbitas temporum, ceu noxia pruina, ipsis floribus

bus pestem ministraretur. Annus demum post millesimum centesimum vigesimus secundus veris jucunditatem induxit. Hermannus Episcopus tot pertæsus turbarum, ac seria meditatione perpendens communem bonorum omnium luctum, animósque perplexo timore prostratos (*omne caput languidum, & omne cor mærens*) in se rediit, & heroico ausu laboriosum iter ipse Romam ad Callistum II. summum Pontificem suscepit. Ab eodem receptus in gratiam & communionem, litteras Apostolicas retulit, quibus Clero & populo Augustano commendatur, tanquam Pater ipsorum & Magister & animarum Episcopus, cui deinceps reverentiam & obedientiam humiliter impenderent omnes. Permovit Callistum Præsulis tam repentina mutatio, & Romam petendi ardor, ut ipse initio literarum indicat: *Dilectus frater noster Hermannus Episcopus vester ad Sedem Apostolicam cum multo labore & fatigatione sui pervenit: & S. R. E. Matrem suam humilitate debita & obedientia recognovit, quem nos paterna dilectione suscepimus, & tanquam obedientem filium nobiscum diligenter habuimus.* Litteræ Apostolicæ datæ sunt Laterani II. Calendas Aprilis, id est, trigesimo primo Martii, ex quo patet hyemante adhuc cœlo iter ab Hermanno susceptum, eúmque Romam delatum, aliquamdiu cum Pontifice commoratum fuisse, ut in fide Sedis Apostolicæ firmaretur Episcopus, quàm sanguine illustris, tam magnæ deinceps utilitati futurus & exemplo.

2. Nec vana spes Pontificis fuit. Cùm enim Hermanni Romanum iter latere Henricum Imperatorem neutiquam posset, commotus & ipse exemplo Præsulis, antea sibi fidelissimi, saniora consilia cepit, & in concilio Wormatiensi anno 1122. jus Episcoporum & Abbatum instituendorum in manus Lamperti de Fagnano Episcopi Ostiensis prompta humilitate dimisit, ac tabulis scriptis solemne Sacramentum edidit, quo fidem suam summo Pontifici publicè adpromisit. (a) Hermannus verò noster non solùm huic Sacramento propria manu subscripsit, sed & veram animi mutationem multis deinceps egregiis documentis manifestavit; nam & possessiones varias Canonicis Augustanis debitas restituit, ac ipsam civitatem, superioribus dissidiis dirutam, suis & civium sumptibus reparare allaboravit, Religiosorum etiam ordinum fautor ac benefactor egregius. (b)

3. Nos ipsi beneficentiæ Hermanni testes sumus perpetui. Licèt silvestris hæc olim circa Wessonis fontes regio pedetentim fuerit excisa, repurgata, & è ferarum latibulis ad humanæ vitæ societatem exculta, nondum tamen ii, quibus colendos agros concesseramus, opportunam habebant Ecclesiam, unde sacra peterent; nam partim Rottam, partim

Tættenschvvangam erat excurrendum Parochis auxilio indigentibus; neque enim monachis fas erat sacerdotis cujusquam muneri sese ingerere. Sigihardus Abbas noster, Hermanni Episcopi perspecta pietate nixus, novam S. Joannis Baptistæ honoribus Ecclesiam erexit, quam Episcopus promptissimè omnibus Parochiarum aliarum juribus munivit, plebémque propriam attribuit: in cujus rei testimonium ipsas Hermanni litteras recitamus, hoc tenore conscriptas.

„ 4. In nomine sancte & individue Trinitatis. Hermannus Dei gra-
„ tiâ Augustensis Episcopus. Cùm omnium sit Christi fidelium divinum
„ pro modulo suo ordinare & ampliare cultum & servicium, maximè
„ nostrum est & omnium eorum, qui nostri ordinis & nominis sunt,
„ ut hoc facere studeant, quantum Deo inspirante & adjuvante sciunt
„ & possunt. Unde & nos hac habita consideratione, nec non pro
„ dilecti Fratris nostri Sigihardi Wezzinprunnensis Abbatis humili pe-
„ titione, Ecclesiam quamdam novam in loco suo, ipso patrante con-
„ structam & in honore sancti Joannis Baptiste dedicatam, baptismalem
„ esse volumus, & hoc ex officii nostri auctoritate firmamus, & invio-
„ labiliter constituimus, attribuentes & atterminantes eidem baptismali
„ Ecclesie populum & decimas tocius circumjacentis ville, dividendas
„ fratrum necessitati, & ipsius Ecclesie sacerdoti, videlicet, ut due par-
„ tes earum ad fratrum sustentacionem nostra dispensacione pertineant,
„ tercia sacerdoti remaneat. Nihil nobis de nostra parte retinentes,
„ nihil penitus excipientes, preter decimas unius mansi, que dande sunt
„ pauperibus in hospitale. Preterea eidem Ecclesie assignamus & atti-
„ tulamus decimas de quibusdam Ducis Henrici, ipso consentiente, no-
„ valibus juxta appositis, cultis & colendis, cum universis colonis &
„ habitatoribus eorumdem novalium tam futuris quàm presentibus, ea
„ videlicet lege & condicione, ut in supradicta Ecclesia infantes eorum
„ baptisentur, mortui sepeliantur, synodus Archidiaconi celebretur,
„ cui etiam servicium ex Ecclesie decimis inpretermissè persolvatur. Ut
„ autem hec ejusdem Ecclesie justitia & terminus permaneat semper
„ immobilis & inconvulsus, hoc privilegium conscribi, & sigilli no-
„ stri impressione insigniri precepimus. Insuper etiam decimaciones
„ illas, quas Ecclesia S. Petri Apostoli antiquo jure obtinuit, easdem &
„ nos eidem Ecclesie pro S. Petri Apostoli veneracione integre permit-
„ timus, & nequis temerarius aliquid horum sacrilega manu infringere
„ præsumat, sub anathemate prohibemus, & omnimodis interdicimus.
„ Hujus concessionis & atterminacionis & confirmacionis testes sunt
„ Conradus Vicedomius. Hiltipreht illius regionis Archidiaconus. Si-

„ gibot-

„ gibotto. Uto. Werinherus Archidiaconus. Hermannus Custos Ecclesie.
„ Hiltipreht Wisinstaigensis Prepositus & Capellanus Rudiger notarius.
„ Acta sunt hec vero Anno Dominice Incarnacionis M. C. XXVIII. In-
„ dicione VI. II. Kal. Marcii regnante Lotario rege. „ Notæ Chronologiæ in hoc diplomate probatissimæ sunt. Testium nomina singulatim inquirere curiositatis est magis, quàm utilitatis, minimè verò necessitatis. Parochiam Wessofontanam ab illo tempore usque ad medium sæculi Christiani decimi sexti administrârunt Presbyteri sæculares, deinceps usque in hodiernum diem Religiosi Wessofontani, duobus exceptis, qui ex aliis Monasteriis fuerant vocati.

5. Eodem ferè tempore Conradus liber homo de Holzhausen Ecclesiam Holzhusanam, & aliam Riederaugiensem, sui antea juris, Monasterio nostro donavit cum prædiis illic sitis: ac propterea tanquam benefactor in veteri Calendario nostro commemoratur his verbis: *pridie nonas Februarii Kounradus laicus obiit, qui dedit Ecclesiam ad Hulzhusen & Riderowe.* Hac donatione non contentus, prædium aliud in Riederau nobis destinaverat, & jam ejusdem partem unam in manus Waltheri de Igelingen, alteram in manus Udalscalci de Meisahe delegaverat, ut ipsi traderent loco, cui ipse tradi rogâsset. Illi ergo morem gerentes Conrado prædium illud delegaverunt S. Petro, & Conventui nostro, ea conditione addita, ut ipse prædium Widenbacense Sigihardi Abbatis voluntate acciperet, tamdiu possidendum, quamdiu ipse & filius ejus viveret, quem de conjuge paris secum nobilitatis susciperet. Hanc traditionem ex manibus Udalscalci & Waltheri manibus nomine Ecclesiæ nostræ suscepêre Henricus Bavariæ Dux, & Werinhardus de Stauffen advocatus noster, coram testibus. Postmodum verò Conradus pœnitentiâ ductus in controversiam vocavit traditionem: lite verò sæpius coram Henrico Duce & Werinhardo advocato ventilata, Conrado loco prædii Widenbacensis concessum est prædium Achselstangense ad dies vitæ suæ, quo accepto etiam acquievit: quòd fortè istud pinguius fuerit illo priore. (c)

6. Sigihardus Abbas, postquam octodecim annis feliciter utilitérque præfuisset, anno tandem 1128. benè meritus decessit, hoc elogio in tabulis nostris ornatus: *Anno Domini MCXXVIII. obiit bone memorie Sigihardus Abbas & pater istius loci VIII. Idus Julii in die Sanctorum Martyrum Kiliani & sociorum ejus.* (d) in Calendario autem sæpe memorato eadem quidem *bone memorie* & *Patris* elogia Sigihardo tribuuntur, verùm obitus ipsis nonis Juliis ac pridie Kiliani assignatur. Forte alter dies mortis, alter sepulturæ fuit.

(a) *Vid. Hier. Aug. fol. 199. 200. Part. I. Cathed.* (b) *Ibidem.* (c) Codex *D. fol. 44.* (d) *Idem Cod. f. 46.*

§. II.

§. II.

De Adelperto Abbate XII.

ADelpertus eodem anno, quo Sigihardus decessit, sacros fasces capessivit, haud diu quidem gerendos, eo tamen præconio insignes, quòd litem triginta jam annis decessores suos fatigantem tertius ipse feliciter composuerit. Res ita se habet. Welfo dux Bojorum prædium quoddam Erpstingæ situm & Monasterii nostri jam antea proprium, consentiente Pabone ejusdem loci advocato violenta manu sibi vendicavit & Conrado cuidam Ministeriali Augustano jure proprietatis tradidit, nihil moratus nostri Abbatis vel Monachorum protestationes. Verùm hæc injuria per Adalberonem & Sigihardum Abbates tam apud Reges quàm Duces multis quidem querimoniis ventilata fuit, omni tamen opera cum oleo perdita; nam Conradus ille usque ad obitum suum injustæ possessionis pertinax mansit. Sapientior & æquior patre filius, nomine non moribus genitori similis, divinóque tactus instinctu compositionem iniit, judicibus Henrico Duce & Werinhardo advocato: coram quibus in locum Erpstingensis prædii Monasterio nostro tradidit dimidium mansum in vico Winckelensi situm cum quinque talentis pecuniæ. Tractatum hunc firmavêre testes *Dux ipse Henricus & frater ejus Welfo, Weinhardus & filius ejus Wernherus. Gebehardus de Hittenburch. Sigeboto de Poule.* (e) Tametsi modico, ut patet, vel nullo Monasterii lucro hæc compositio facta sit, pacem tamen successoribus hoc pacto paravit Adelpertus Abbas, & majoribus impensis viam præclusit, hoc uno etiam præconio commendandus. Vix integrum regiminis annum hic Abbas expleverat, cùm ad æterna vocatus est 1129. 3. Nonas Augusti in inventione S. Stephani, ita quidem Acta ejusdem (f) asserunt; verùm in Calendario ad diem illum non Adelpertum, sed Adalberonem obiisse invenio, de quo jam initio hujus sæculi.

(e) *Cod. D. fol. 47.* (f) *Idem Cod. fol. 46.*

CAPUT III.

De Sancto Walthone Abbate decimo tertio.

MAgni hujus Antistitis acta scripturi, eum servabimus ordinem, quem major claritas videtur exigere. Procedemus itaque disserendo primum de Walthonis genere, & professione: dein de studio ejusdem in promovendo divino cultu: de conciliato favore

vore

vore summorum Pontificum, Episcoporum, Imperatorum, & Ducum: de liberalitate aliorum Dynastarum, Nobilium, & cujusvis conditionis Fidelium: de Controversiis pro monasterii defensione susceptis: de ultione divina in Adversarios: de Walthonis miraculis: ac demum de beato ejusdem obitu, & sanctitatis vestigiis in hodiernum usque diem relictis: ultimo demum loco de monachis & sanctimonialibus illius disciplinâ excultis.

§. I.

Walthonis genus & professio.

1. GEnus quidem Walthonis nullibi assignatur: nobili tamen sanguine natum inde conjicias, tum quòd nobilissimi viri & juvenes, virgines & viduæ ejusdem magisterio efformandos sese subjecerint: (a) tum quòd posterioribus etiam sæculis usque ad decimum quintum ferè non nisi nobiles ad Monasterium nostrum suscipi consueverint. (b) Planè à restitutione Ordinis Benedictini, sicut in Cathedralibus Ecclesiis, in monasterio nostro viguisse inveniuntur nomina Præpositi, Camerarii, Cellerarii, Eleemosynarii, qualia hodiè officia non in cathedralibus solùm Ecclesiis, sed etiam in Principalibus Ordinis nostri monasteriis inveniuntur. (c)

2. Quantum ad Professionis locum attinet, in quo prima vota voverit Waltho, duo Codices nostri à Stephano Leopolder conscripti eum disertè *Congregationis nostræ*, nempe monasterii Wessofontani, *Presbyterum & Monachum fuisse* affirmant: quibus adstipulatur ecgraphum Codicis Tegernseensis: solus Codex tertius, quem possidemus, rem silentio præterit, tamquam certam & nulli dubiam: illo præsertim tempore, quo recèns instaurata monastici ordinis disciplina sic vigeret, ut nulla appareret necessitas aliunde Abbatem postulandi. (d) Quare licèt apud Mabillonium in Analectis (e) inveniatur inscriptus Necrologio Divitis Augiæ his verbis: *sexto Kalendas Januarii Waltho Abbas*, quo ipso die Waltho noster obiit; (f) ex eo tamen arguendum non est, Walthonem nostrum fuisse aliquando monachum Augiensem, cùm ne societatem quidem cum illo Monasterio habuerimus: (g) sed ob virtutis famam latè diffusam locum in Augiensi Necrologio meruisse.

(a) *Cujusmodi sunt Norbertus de Weilheim, & ejus pater Werinhardus, Wulfhildis Guelfia, Gisela de Seefeld, aliæque infrà memoranda.* (b) *Id patebit ex Catalogo sequentium Abbatum.* (c) *MS. D. fol. 36.* Præpositi, Camerarii,

Cellerarii *nomina, & fol. 48. etiam* Eleemosynarius *commemoratur.* (d) *MS. D. fol. 47.* Anno dominice incarnationis MCXXX. &c. electus fuit venerandus & religiosus Presb. & monachus nre Congregacionis Walto in Abbatem &c. *Iisdem ferè verbis utitur MS. E. fol. 8. & Codex Tegern. fol. 7. MS. C. fol. 82. sic habet:* electus fuit V. & devotissimus pr Walto in Abbatem & pastorem &c. (e) *Veterum Analect. Tom. IV. fol. 645.* (f) *Ita Calendar. Abb. Benedicti ad eumd. diem, cum elogio alibi producendo.* (g) *Vid.* Nomina Monasteriorum, cum quibus societatem habuit sæculo IX. Augiense, *cit. Analect. tom. 4. fol. 642. ubi nec monasterium Buxbrunno, nec Rabigaudum Abbatem pro nostris agnosco. Walto Abbas fol. 643. nominatus Schvvarzabensis Abbas fuit, tribus fere sæculis ante Walthonem nostrum.*

§. II.

Zelus Walthonis in promovendo cultu divino.

1. TAmetsi Waltho Ecclesiam acceperit nuperrimè è fundamentis excitatam, & altaribus exornatam, Sanctorum Reliquiis & libris ad officia divina necessariis instructam, quiescere tamen, urgente Divini honoris zelo non potuit, quin ampliora eidem incrementa adjiceret. Quare statim admovit manus ad ædificandum novum sacellum in honorem S. Jacobi Apostoli: & alteram in honorem S. Michaëlis Archangeli, & omnium angelorum: illud quidem in ipsa Ecclesia Monasterii publica: istud verò, quod adhuc superest, in loco altiori prope hodiernum odeum musicum versus septemtrionem. Et tametsi affirmare nequeam, quo tempore illud S. Jacobi destructum fuerit, credibile tamen apparet, Udalricum Moser ex Eberspergensi Monasterio postulatum Abbatem id fecisse, cùm anno circiter 1283. toti Ecclesiæ, longo squalore obsitæ, novam formam induceret: certum tamen est: sacellum S. Michaelis in usum sanctimonialium nostrarum fuisse constructum, quarum claustrum ab hoc sacello usque ad Ecclesiam Parochialem S. Joannis se extendebat. (a)

Postquam ambo dicta sacella ad colophonem perducta fuerant, cura erat Walthoni, ut Episcopum Augustanum ad easdem Deo consecrandas exoraret. Erat is tunc Waltharius, Comes Palatinus de Tubingen, anno 1134. unanimi Canonicorum consensu electus. Venit igitur, ut erat rerum sacrarum studiosissimus, ad Fontes Wessonis, & pridie Kalendas Decembres, nimirum in Festo S. Andreæ Apostoli, anniversario

Dedi-

Dedicationis, ab Embricone Episcopo peractæ, die, utrumque sacellum consecravit. Quanta ex illo tempore Episcopi in Walthonem benevolentiæ, hujus in illum devotio & reverentia fuerit, aliis locis docebimus.

3. Nondum satis se promovisse decorem Domûs Dei arbitratus Waltho novum sacellum in Ecclesia monasterii ædificavit, & in honorem S. Nicolai Myrensis Episcopi dedicari voluit. Singulari in hunc Divum affectu accensus videtur ob insignem abstinentiam, cujus laude ille fulgebat, quámque virtutem ipse Waltho unicè colebat. Neque vanè quis suspicetur, prænuntiatam divinitùs Abbati nostro mortem fuisse, ideóque voluisse Sancto illi honorem præstare vivus, in cujus sacelli vestibulo quiescere desiderabat defunctus.

4. Paulò post & aliud sacellum ædificavit in honorem Deiparæ ad cælos assumptæ, licèt eadem jam in veteri Ecclesia cultum haberet: tanti tamen fuit Walthoni, ut in novo etiam templo coleretur, ubi majorem à frequentiore populo venerationem acciperet. (b)

5. Hæc duo sacella à Walthone recens ædificata consecravit Otto I. cognomento Magnus, Episcopus Frisingensis S. Leopoldi Marchionis Austriæ filius, Leopoldi & Henrici, exauthorato Henrico superbo, Bavariæ Ducum frater. Ut Otto Frisingensis in Diœcesi nostra Augustana hæc sacella consecrare posset, Clarissimus Meichelbeckius (c) facultatem eidem à Walchero Episcopo concessam verè judicat. Quæ verò causa Ottonem impulerit, ut ad regionem & monasterium istud nostrum diverteret, ubi vicinus Schongavii Welfo esset, & Welfonis soror Wulfilda in Parthenone nostro monacha degeret, ex Historia Frisingensi colligi potest. Ottonis fratres Leopoldus & Henricus in causa erant: quorum ille Bavariâ non contentus, in qua sibi Welfonem obstruere videbat, ad Lycum copias in Welfonem duxit, & reversus Frisingenses mirè afflixit: iste verò, quòd eosdem Welfoni favere suspicaretur, & civitatem & agrum eorum miserè vastavit, contemptui ab utroque habita Ottonis Episcopi germanitate & reverentia. Nihil ergo mirum, si Otto, qui fratrum in subditos suos injurias ferre non poterat, ad tempus secessit, seu Welfonis placandi, seu quietis captandæ, seu tollendarum per Wulfildis apud fratrem preces simultatum gratiâ. Fortè ipse Waltho tacitè hanc facultatem pro Ottone à Walthario Episcopo obtinuit, ut sub honorifico Dedicationis obtentu tamquam rogatus huc declinâsse videretur. Quamdiu Otto hac in regione moratus sit, ex tempore Dedicationum

ntelligas; nam pridie Calendas Julii dedicata est ab eo Capella S. Nicolii: altera verò Virginis assumptæ, pridie Idus ejusdem Julii anno 1143. t Codices nostri duo testantur, in quibus quidem Indictio IV. assignaur, cùm VI. fuerit: Weihenstephanenses tamen, & ipse Meichelbekius ad annum hunc millesimum centesimum quadragesimum tertium hanc dedicationem refert. (d)

a) *Ita sentire me cogit porticus à templo S. Petri usque ad Ecclesiam Parochialem extensa, sed primùm currente hoc Sæculo dejecta, cujus indicia adhuc supersunt.* (b) *De veteri Capella B. V. Mariæ dictum est in Sæc. I. & iterum sub B. Thientone.* (c) *Tom. I. P. II. Hist. Fris. f. 326.* (d) *Ibidem. Codices nostri C. fol. 86. D. fol. 54. eundem annum asserunt, sed Indictionem IV. assignant.*

CAPUT IV.

De Benefactoribus Monasterii.

§. I.

De favore summorum Pontificum.

INnocentius II. qui anno Domini 1130. S. Petri sedem obtinuit, Pontificium Diploma dedit, quod integrum recitari dignum videtur. (a)

„ Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Waltoni Wezzensbrunnensi Abbati, ejúsque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis à provisore omnium bonorum DEO commissa est, ut religiosas personas, & earum diligamus Ecclesias, & ne pravorum hominum infestationibus rerum suarum detrimenta sustineant, Apostolicæ defensionis moderamine nos convenit providere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus paterna benignitate annuimus, & Wezzinbrunnense Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B: Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut ordo Monasticus, qui secundùm Beati Benedicti regulam in eodem Monasterio

„ insti-

institutus esse cognoscitur, perpetuis futuris temporibus ibidem inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis DEO propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. Duas partes videlicet decimæ in Risbach, sicut à Venerabili fratre nostro Heinrico Ratisponensi Episcopo vobis rationabiliter concessæ sunt, & scripto suo firmatæ. Prædia videlicet hæc, Achselswang, Panzingin, Biberbach, Waltenberg, Wolmutsahe, Guttingen, Gezines, Izenes. Sancimus etiam, ut nullus ipsius loci Advocatiam sibi usurpare, vel ab aliquo recipere audeat, nisi quem Abbas & fratres secundùm DEI timorem & ipsius Monasterii utilitatem communiter provideant eligendum. In Ecclesiis quoque, quæ juris vestri Monasterii esse noscuntur, quemadmodum in generalibus Conciliis statutum est, assensu & consilio vestro presbyteri statuantur. Porro super decimis à fratribus nostris Wolfgango Ratisponensi, & Udalrico Augustensi Episcopis Ecclesiæ Vestræ concessis, successoribus suis nullatenus liceat vos ausu temerario fatigare, aut aliquam vobis inferre molestiam. De fundo quoque vestri Monasterii, seu etiam de novalibus, aut aliis laboribus vestris, quos propriis manibus vestris, sumptibúsve colligitis, juxtà quod à nobis in generalibus est statutum Conciliis, à vobis exigi decimas, authoritate Apostolica prohibemus. Nulli etiam fratrum vestrorum fas sit, post factam in eodem Monasterio professionem, absque Abbatis vel fratrum licentia, inde discedere, vel ad alia loca transire, discedentem vero nullus Episcoporum aut Abbatum suscipere audeat vel retinere. Ad hæc præsenti Decreto sancimus, ut nulli Episcoporum licentia pateat, Angarias vel alias exactiones Monasticæ quieti & utilitati contrarias, vobis vel Ecclesiæ vestræ imponere. Porro sepulturam ipsius loci omninò liberam esse decernimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi excommunicati sint, nullus obsistat. Nulli ergo Regum, Ducum, Marchionum, vel aliorum hominum fas sit, præfatum Monasterium super hac nostra constitutione temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, aut quibuslibet vexationibus infestare, sed omnia integra conserventur, vestris usibus omnimodis profutura. Si quis autem hujus nostri decreti paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertióve commonitus, nisi reatum suum congruè emendaverit, indignationem omnipotentis DEI & Beatorum



Petri

„ Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat, & excommunicationi subjaceat.
„ Conservantes verò hæc eorundem Apostolorum benedictionem & gratiam consequantur. Amen.

Locus sigilli plumbei cum lemate in limbo: *Adjuva nos Deus salutaris noster.*

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Monogramma

✠ Ego Gerhardus presb. Card. tit. S. Crucis in Jerusalem.

✠ Ego Ivo presb. Card. S. Laurentii tit. in Damaso.

Datum Laterani per manum Baronis Capellani & scriptoris XII. Kal. Decembris. Indictione V. Incarnationis Dominicæ anno MCXLI. Pontificatûs verò domini Innocentii Papæ secundi anno XII.

1. Non indiget Pontificia hæc Bulla explicationis, cùm aperti sint favores, quibus monasterium nostrum locupletare, & contra omnes molestias firmare Innocentius II. voluit. Quædam verò in decursu evolventur: ac propterea integram Bullam posui, ut quoties opus fuerit, ad eam recurrere Lector queat. Circa notas Chronologicas hujus Bullæ scrupulus oriri posset ob indictionem, quæ pro anno 1141. Romanis non erat quinta sed quarta, si nempe à Calendis Januarii indictionem incipias: verùm Græca est hæc indictio, quæ incipere solebat à Calendis Septembris: cùm ergo Bulla sit data 12. Kal. Decembres, jam tunc currebat Indictio V. qua usos fuisse Pontifices quosdam, etiam post Gregorium Magnum, & Zachariam, eruditi testantur. Videatur Præfatio Chronici Benedictoburani numero XXXII.

2. Cùm deinde anno 1148. Eugenius III. ex S. Bernardi discipulo Papa publicos Sanctorum honores Divo Henrico Imperatori & olim Bavariæ Duci solemni ritu decerneret, Waltho noster, non immemor beneficiorum ab illo Cæsare acceptorum, Romam profectus est, omnium gerendorum spectator, & gestorum auditor futurus. Inter quæ, referente ipso, illud in Annales nostros memorabile est relatum, Cardinalium quemdam, qui se vehementius S. Henrici honoribus sacris opposuerat, repentina cæcitate percussum; expiato demum multis lachrymis errore lumini fuisse restitutum. (b) Hac occasione Waltho Pontifici Eugenio

genio supplex commendatorias ad Waltherum Augustanum Episcopum litteras obtinuit, quibus iste decimas Pergenses & Pözenhusanas nobis confirmare jubetur. Epistolam Pontificiam Walthero scriptam in tabulario nostro non inveniri, mirum non est, utpote Episcopo traditam, ideóque Augustæ requirendam.

Anno proximo, nimirum 1149. Waltherus & summi Pontificis & Walthonis voluntatem implevit, dum litteris benevolentiæ plenis dictas decimas confirmavit, testatus, id se *juxta mandatum & intercessionem* Pontificis facere. Ex quo colligimus, ita captum Walthonis affatu fuisse Eugenium, sicut Henricum Episcopum Ratisponensem; ut illum Pontifex non mandato solùm suo pro præsenti necessitate fulcire, sed etiam pro futuris intercessione sua juvare & commendare dignaretur. Verùm non opus erat multo apud Waltherum Episcopum nostrum ariete, qui animum ejus expugnaret: ultro nobis ac Walthoni addictissimus fuit. Causas alibi videbimus, ubi de Episcoporum agetur favoribus, quos ille non tam sibi, quàm nobis proficuos, multâ sua molestia, excubiis, & sudoribus comparavit.

(a) *Desumpta est hæc Bulla ex autographo Stephani Leopolder. Originale in Archivo servatur.* (b) *Cod. D. fol. 62. his verbis:* unus Cardinalium se vehementer opponens visum perdidit, sed factum postmodum promovens illuminatus est.

§. II.

Favores Episcoporum.

1. PRimus inter Benefactores, quos monasterio nostro conciliavit Waltho, recenseri meretur Waltherus, seu, juxta Codices nostros, Waltharius. Natus is erat illustrissimo Comitum Palatinorum Tubingensium sanguine, & unanimi Canonicorum calculo in Episcopum Augustanum electus anno 1134. die 19. Aprilis. Tam tenero Waltherus in Walthonem amore ferebatur, ut eum non alio, quam filii nomine, salutaret. Tertio suscepti Episcopatûs anno ad Fontes Wessonis invitatus ipse venit, celebraturus nobiscum festum Dedicationis Ecclesiæ nostræ, quod tunc temporis die 30. Novembris in festo S. Andreæ agebatur. Eadem occasione usus, duas Capellas recens ædificatas, non suffraganeo consecrandas commisit, sed ipsemet utramque hoc ipso festo, ad quod venerat, dedicavit; illam in honorem S. Jacobi Apostoli, hanc in

in honorem S. Michaelis Archangeli. Exinde semper Monasterio addictissimus, non solùm ipse Walthonis precibus libenter assensit, sed à summo etiam Pontifice Eugenio III. sibi commendatum benignè votis damnavit: licèt simultates quædam inter Guelfones, Patronos nostros, & Comites Tubinganos, cognatos suos, absterrere Episcopum, & reddere nobis difficiliorem potuissent. Verùm offensionis cujusvis immemor Waltherus, juxta Bullam Papæ duas partes decimarum in Pergen & Pözenhausen Monasterio confirmavit, die 14. Maji anno 1149. Operæ pretium est datas à Walthero litteras ponere, quæ sic habent: „ Waltherus Augustensis Ecclesiæ Episcopus dilecto in Christo filio Walthoni Abbati Wessinsbrunnensis Ecclesiæ, ejúsque successoribus in perpetuum. Venerabilium cura locorum nos admonet, de ipsorum quiete & utilitate sollicitè providere, & pro eorum præcipuè, pro quibus apostolicæ sedis altitudo dignatur intercedere. Quam ob rem, Dilecte in Domino fili, Waltho Abba, juxta mandatum & intercessionem Venerandi Patris nostri & Domini Papæ Eugenii, tuis rationabilibus petitionibus clementer annuimus, & Wessinsbrunnensem Ecclesiam, cui authore Deo præesse dinosceris, passiva communione: juxta mandatum Domini Papæ, ut dictum est, concedentes & confirmantes eidem Ecclesiæ partes duas decimæ in Penge, & de Ecclesia in Pözenhusen, quas tempore prædecessoris nostri bonæ memoriæ Hermanni Episcopi eadem Ecclesia possedisse noscitur. Nulli ergo Episcopo successori nostro, nulli omnino horum fas sit, prædictam Ecclesiam perturbare, aut decimas inde auferre, vel ablatas retinere vel minuere. Sed integræ conserventur vestris ac pauperum usibus omnimodè profuturæ. Siquis igitur huic nostræ constitutioni temerè contraire temptaverit, secundò tertiòve commonitus, si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reúmque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate, cognoscat, atque à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JEsu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ sua jura servantes gratia & pax Domini nostri JEsu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & ante districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Hujus rei testes. Rudigerus Archidiaconus, Conradus Archipresbyter, Rupertus Præpositus S. Petri, Johannes Medicus. Actum anno Dominicæ incarnationis MCXLVIIII. indictione XII. quartodecimo Kalendas Junii, præsidente Eugenio Papa III. regnante Conrado Romanorum Rege III. „

Cæte-

Cæterùm, quemadmodum Episcopus *Authore Deo* Walthonem monastero nostro præfectum agnovit, ita credimus, pro veteri amborum amicitia tales inter utrumque, cùm noster Augustam venisset, sermones fuisse, quibus mundi hujus adversa, & illam, quæ tunc erat, temporum acerbitatem deplorarent. Nec dubitaverim, quin Walthonis sanctitas atque eloquentia magnum pondus addiderit, ut Waltherus tot bellis ac injuriis exagitatus conceptum diu consilium palam exsequeretur. Proximo enim anno 1150. Episcopus dignitati suæ renunciavit, Pontificios honores & labores deposuit, relictis omnibus ad Seligenstadiense Ordinis nostri cœnobium fugit, ac monachum induit, triennio pòst felicissima morte defunctus, anno 1153. die 3. Septembris secundùm Hierarchiæ Augustanæ authorem, secundùm verò Chronographum nostrum anno 1154. die 4. Februarii. De Waltheri electione Chronographus noster sic scribit: *Anno 1133.* (aliis est trigesimus quartus) *decimo quarto Calendas Aprilis eligitur Walthărius Augustensis Episcopus, & sedit annis 19. Hic fuit maximus Benefactor nostri cœnobii, & Walthonis Abbatis.* Sic ille.

Alter ex Augustanis Episcopis Monasterii nostri Benefactor fuit Conradus de Lützlstein, Waltheri successor. Cùm enim Walthonis vigilantiâ monasterio comparatæ fuissent decimæ in Marchdorff, easdem Conradus anno 1154. libentissimè confirmavit, dignissimus, cui Deus feliciora dedisset tempora. Verùm felicior fuit dimisso Episcopatu, quàm accepto, dum se Conradus honore & onere abdicavit, & in monasterio S. Udalrici Augustæ monasticam vestem suscepit, mortuus anno 1167. & ibidem sepultus.

Tertium monasterii nostri fautorem veneramur Hartwicum, Episcopum Ratisbonensem, Engelberti Carinthiæ Ducis filium, sacri Ordinis nostri amatorem egregium; nam is monasterio Prüelensi prope Ratisbonam, magnis calamitatibus afflicto, levamen attulit: Monasterium Mallerstorffense, Priflingense, & illud S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ consecravit, die 3. Martii anno 1126. piè defunctus & in templo S. Emmerami religiosè sepultus. (a) Atque ut in nos quoque beneficium monstremus, idem teste Henrico in Episcopatu successore, *decimas antiquas, nominatim de Hawartiskirchen, dum eamdem Ecclesiam titularem dedicaret; ad matricem Ecclesiam de Risbach* (quæ pridem juris erat Wessofontani) *sub jure anathematis terminavit.*

Quartus fuit ejusdem Sedis Episcopus Henricus, Comes de Wolfratshausen, qui licèt inquietum regiminis haberet initium, ipse bellicosus,

cosus, atque Henrici superbi Bavariæ Ducis juratus hostis, resipuit tamen, & non solùm damna à se S. Emmerami Ecclesiæ illata pro viribus restauravit, sed & ipse cucullam ibidem monasticam induit. Is, cùm Waltho noster supplex Ratisbonam venisset, illum humanissimè excepit, & non contentus decimas Reisbacenses & Hawartskirchenses monasterio nostro confirmare, etiam Engilmarspergenses, proprio nutu adjecit: id quod luculentiùs docent litteræ Episcopales, quas per extensum recitamus:

„In Nomine Domini nostri JESU Christi feliciter in perpetuum „Amen. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris, quàm præ„sentibus, qualiter ego Heinricus Dei gratia licèt indignus Ratisbonen„sis Episcopus ob Patrocinium S. Michaelis Archangeli, & meritum S. „Wolffindis Virginis scilicet & Martyris, tradidi Ecclesiæ de Rispach om„nes decimas ad eam antiquitùs pertinentes. In quo facto secuti sumus „auctoritatem Venerabilis prædecessoris nostri Hartwici Episcopi, qui „decimas antiquas nominatim de Havartiskirchen, dum eandem Eccle„siam titularem dedicaret, ad matricem Ecclesiam de Risbach sub jure „anathematis terminavit. Veniens autem ad nos Venerabilis Abbas „Wessinbrunnensis Waltto sua imitabili humilitate & deprecabili postu„latione obtinuit in Conventu totius Capituli nostri, ut ei traderemus „& allegaremus omnia jam facta vel adhuc facienda in eodem terri„torio novalia. Recognovimus etiam audita à quibusdam nostris ve„racibus legatis legitimo quodam concambio cujusdam liberi prædii no„bilium virorum, quod adhuc in potestate Ratisbonensis Ecclesiæ esse „cognoscitur, decimas illas Episcopales concambitas fuisse. Igitur, „sicut nos audivimus, sic & credidimus. Præterea, quia recognovimus, „nos specialiter debitores debere esse prædictæ Wessinbrunensi Ecclesiæ, „ex propria benevolentia nostra contulimus ei Ecclesiam illam de En„gilmarisperge cum omni suo jure. Quapropter præcipimus omnibus „subditis nostris, nunc viventibus, & post nos futuris consulimus, ut „jam prænominatum Wezzinbrunnense cœnobium cum omni pace & „quiete permittatur possidere duas partes decimæ tam mansorum inte„grorum, quàm dimidiorum, & tam agrorum ad cultores agri perti„nentium, quàm novalium, sicut diximus, factorum, vel adhuc fa„ciendorum in territorio de Risbach & Hawartiskirchen, & Engilma„risperge, absque aliis capellis. Huic facto & assertioni interfuerunt „cari fratres nostri & Domini Abbas S. Emmerami, & Abbas de Biburck, „& de Madilhartisdorff, & de Alta, & de Ensdorff, & de Mainse. „Complacuit etiam majoribus chori nostri Canonicis, & fratribus præ-

„dicta

„ dicta allegatio, scilicet Engilberto Præposito, & Altmanno presby-
„ tero, & Heinrico Vicario nostro in pago Danubico, & Gotefrido Ar-
„ chipresbytero in pago Norico, & Wolfhero Ecclesiæ sancti Petri
„ Thesaurario, imò & omnibus melioribus totius Episcopatûs nostri sa-
„ cerdotibus. Quapropter quod fecimus, nequis successorum destruat,
„ authoritate DEI & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Domini nostri
„ Papæ Innocentii sub vinculo anathematis interdicimus. Signum Do-
„ mini Heinrici Ratisbonensis Episcopi. Anno ab Incarnatione Domini
„ (L.S.) Millesimo Centesimo. Tricesimo Nono. Indictione II. Anno
„ Regni Domini Chunradi Serenissimi Regis Romanorum secundo.
„ Actum Ratisbonæ in DEI nomine feliciter. Amen.

Diploma istud animadversionibus suis dignum videtur multis ex causis. Inprimis indicatur *Reispacensis Ecclesia patronus fuisse S. Michael Archangelus*, quæ causa fuisse potest Walthoni, ut tertio statim regiminis sui anno ædificaret huic Archangelo proprium sacellum, ut supra diximus: atque ita cultus S. Michaelis, sub cujus patrocinio antiquam illam Reispaci possessionem à prima Monasterii fundatione tenebamus, apud nos quoque propagaretur una cum benefacti memoria. Præcipua dein attentione dignum est meritum *sanctæ Wolffindis Virginis & Martyris*. Verùm quia singulari tractatione res digna est, eam tantisper differimus, & Henricianum diploma quo ad cætera consideramus.

Tertiò consideranda est brevis descriptio morum Beati Walthonis nostri, ex quibus mera humilitas, reverentia & efficax ad persuadendum impetrandúmque tum vocis tum gestus modestia promicabat: *Veniens autem ad nos Venerabilis Abbas Wezzinsbrunnensis Walto, sua imitabili humilitate & deprecabili postulatione obtinuit in conventu totius capituli nostri, ut ei traderemus & allegaremus omnia jam facta vel adhuc facienda in eodem territorio novalia.*

Præterea Episcopus jus suum in illas decimas senum testimonio & Legatorum Authoritate confirmat, testatus, legitimo quodam *concambio* cujusdam liberi prædii nobilium virorum, quod adhucdum in potestate Ratisbonensis Ecclesiæ esse cognoscebatur, decimas illas Episcopales *concambitas* fuisse, & viâ permutationis ad se pervenisse. Nobiles illos viros non alios fuisse existimo, quàm Equites de Warth, è quibus Eckolfus 1143. Albertus 1165, aliique illo & priore sæculo vixisse leguntur (b). Dein Episcopus singularem causam affert, qua moveretur ad annuendum Walthonis precibus: *præterea recognovimus*, inquiens, *nos specialiter*

debitores debere esse prædictæ Wessinsbrunnensi Ecclesiæ. Quam tamen causam non explicat. Videtur autem illa fuisse, quòd, cùm Henrici ex fratre Ottone nepos, itidem vocatus Otto, in obsidione illa castri Wolfratshusani à Welfone captus & Rauenspurgum abductus fuisset, conciliantibus Walthone & Wulfilde Welfonis sorore, quæ sanctimonialem apud nos induit, denuò fuerit libertati restitutus. Quapropter decimis illis Reispacensibus & Havvartskirchensibus etiam Engilmarspergenses adjecit, monasterio nostro cum omni jure suo donavit, tertia earum parte sacerdotibus locorum curatoribus relicta.

Demum enumerat testes, qui concessioni interfuerunt, ex quorum authoritate & copia vix non adducor, ut credam, Synodalem quasi conventum illum fuisse. Interfuit Abbas S. Emmerami Engelfridus, cui ob Ecclesiæ suæ antiquitatem & sanctitatem primus inter Præsules locus competebat. Interfuit S. Eberhardus, ex Canonico Bambergensi monachus Priflingensis, dein Abbas Biburgensis, ac demum Archi-Episcopus Salisburgensis. Aderat etiam Eppo Abbas Mallerstorffensis, (c) idem ipse, qui S. Eberhardo Biburgensi Archi-Episcopatum prædixisse legitur, & propter alias virtutes apud Mallerstorffenses instar Beati habetur & pingitur. Adfuit Gotbaldus Superioris Quercûs, qui eodem anno ab Innocentio II. Papa protectionis Pontificiæ litteras novus Abbas obtinuerat (d). Adfuit Dietwinus ex monasterio S. Michaelis ad Bambergam accitus Abbas Ensdorffensis (e). Denique Beatus Conradus Lunælacensis Abbas, qui pro defensione Ecclesiæ sibi creditæ ab impiis trucidatus Martyr occubuit (f). Post Abbates enumerat viros insignes in dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ constitutos Engilbertum Præpositum, Altmannum Presbyterum, Henricum Vicarium suum *in Pago Danubico*, Gotefridum Archipresbyterum *in Pago Norico*, Wolfherum Ecclesiæ S. Petri Thesaurarium.

Cæterùm notæ etiam Chronicæ in eundem annum accuratè consentiunt, sola dies dati Diplomatis desideratur. At satis est, promptissimum Henrici Episcopi animum, & in Monasterium nostrum benignitatem perspexisse. Eundem Episcopum ante mortem Monasticam vitam quidam amplexum asserunt, alii in habitu ordinis mori aut sepeliri, more plurium illo ævo Illustrium virorum, voluisse: certum est, in Ecclesia S. Emmerami Ratisbonæ tumulum accepisse. (g).

(a) *Ratisb. Monast. f. 268.* (b) *Hund.* Stammen-Buch *Parte II. fol. 350.* (c) *Idem Metrop. Tom. II. fol. 460. 461. 463.* Vid. *Bolland. Acta SS. 22.*

Junii

Junii fol. 263. ubi non solum hoc vaticinium, sed & mira Ebbonis visio refertur. (d) *Hist. Oberaltabensis f. 134.* (e) *Hist. Ensdorffensis fol. 324.* (f) *Hund. tom. 2. Met. fol. 500. Videatur & Chron. Lunælacense à fol. 117. Monasterium hoc Episcopis Ratisbonensibus tunc subjectum erat, licèt in Diœcesi Salisb. situm, sed Chunonis Episcopi Ratisb. operâ liberatum.* (g) *Ratisb. Monast. Vide ibi Notam b.*

§. III.

De S. Wolffinde Reispacensi.

1. NUllibi locorum S. Wolffindis nomen exstat, quantum sciam, nisi in diplomate Henrici Episcopi Ratisbonensis, & antiquis Codicibus nostris, licèt æquissimè nobilis hæc gemma locum tum in Actis sanctorum Bollandianis, tum in Raderi Bavaria sancta locum sibi vendicaret. Verùm nec iste in Bavaria saltem pia, nec illa ad diem II. Septembris, saltem inter Prætermissos, de ea quidquam memorant. Nec mirum: ipsi enim Reyspacenses ignorant, ubi pretiosum hoc cimelium apud se delitescat. Virum Clarissimum Joannem Evangelistam Layminger, hodiernum Parochum, familiarem olim meum, datis 28. Aprilis anno elapso litteris humanissimè rogavi, dignaretur me de reliquiis cujuscunque cultûs certiorem facere: in expedito fuit plena bonæ voluntatis epistola, qua deplorat, facta inquisitione neminem etiam senum quidpiam auditu accepisse de illa sancta Virgine: id solum sciri, quod hodierna magnifica Ecclesia ædificata, & multis beneficiis additis quasi recens fundata fuerit à nobilissimis heroibus de & in Warth, quorum Castrum gentilitium, à quo nomen trahunt, desolatum licèt, hodiedum intra Parochiæ Reyspacensis limites situm inveniatur. Heroum istorum cadavera sedentium specie adhuc in crypta conspiciuntur, multique alii præterea lapides sepulcrales in templo, de quibus Hundius mentionem facit. (h) Petit à me majorem Divæ hujus Martyris notitiam vir zelosissimus, an videlicet reverà digni olim fuerint Reyspacenses tantum thesaurum possidere. Dum ego rem differo, ipsemet ex Ratisbonensi Diœcesi ad me in extremo Bavariæ limite commorantem iter suscepit, suúmque in inquirendo laborem, sed irritum, explicavit. Obvia quædam in chartam conjecta communicavi, eúmque, hujus historiæ editionem patienter exspectaret, rogavi.

2. Atqui certissimum est, S. Wolffindem Reispaci olim quievisse, aut certè singularem Patronam fuisse, prout patet ex adducto Episcopi Hen-

R 3 rici

rici diplomate, quo docemur S. Michaelis patrocinium ibidem invocandi fiduciam, *meritum verò S. Wulfsindis Virginis & Martyris* etiam obtinendi spem firmiorem præbuisse, ut par erat credere, promptiorem ad Sanctorum proprios cineres opem à rogantibus posse obtineri. Certius sepultæ in illo loco testimonium perhibet documentum perantiquum, quod in Codice nostro (i) sic habet: „Notum sit omnibus Christi fidelibus, „ quod Tazzilo rex Bauarorum tradidit villam Rispach, in qua sepulta „ est sancta Wolfsindis Virgo & Martyr, ad Wezzinsbrunnen ad altare „ S. Petri, omnes census predii nomine Routi & locorum ad idem per- „ tinentium, id est, pecorum &c. fratribus ibidem DEO & S. Petro ser- „ vientibus. „ Ac paulò pòst subjungitur. Festum S. Wolfsindis Virginis & Martyris semper celebratur 4. Nonas Septembris cum duodecim Lectionibus, ut patet in Calendario antiquissimo Abbatis Benedicti, qui idem conscripsit.

3. Calendarii hujus fides tanta est, ut major esse non possit, quantum ad Sanctos in eo recitatos & secundum ritum majorem vel minorem officio colendos pertinet; talis enim ritus sæculo illo decimo, quo Benedictus vivebat, servabatur: & nos de Calendario illo jam in eodem Benedicto egimus. (k) Demortui verò fratres, Benefactores, Presbyteri, Monachi, Conversi, eidem Calendario inscripti, quo præcisè sæculo, minùs anno, obierint, ut indicemus, præstare non possumus, nisi ubi in Actis eorum beneficia, aliáque notis Chronicis insigniuntur. De Wolfsinda Virgine sic in Calendario paucis verbis inter Priscum Martyrem, Ægidium Abbatem & Verenam Virginem, uno eodémque die, Calendis nempe Septembris, nominatos, & Antonium Martyrem 3. Nonas colendos, sic ad 2. Nonas scriptum invenimus:

4. *Nonas Wolfsinde Virginis x11. Lectionum*, nempe juxta Breviarium monasticum hodiedum usitatum, & juxta S. Benedicti Regulam ab antiquo ordinatum. Et statim eodem die defunctus distincto charactere commemoratur: *Adalpero mōn: nostre congregationis obiit.* Videtur is mihi idem esse, qui ob suum in sacrilegos Mystas zelum diversa exilia circa Lycum mutans à Paulo Bernriedensi *benedictæ memoriæ* monachus dicitur. (l)

Satis nunc demonstratum videtur, S. Wolfsindam Reispaci cultam, Reispaci tumulatam, apud Wessonis fontes etiam festum ejus celebratum imò hanc sanctam ex antiquissimis unam Bojariis in veneratione fuisse. Superest, ut, quia de antiquitate constat, de loci celebritate, illo

illo quem ævo habuit, pauca dicamus. Ad hunc locum Arno Archiepiscopus Salisburgensis circa annum Domini 802. synodum celebrandam indixit, cujus rei testis superest *Arnonis Archiepiscopi Salisburgensis epistola Encyclica de celebranda synodo in Rispach.* (m) At jam triennio ante alia synodus Reispaci celebrata invenitur, Arnone Archiepiscopo Salisburgensi, Walderico Episcopo Passaviensi, Adalvvino Episcopo, aliisque præsentibus: (n) ex quibus loci celebritas, & ut ad Concilium plurium Episcoporum & Abbatum aptus esset, amplitudo colligi potest.

Quantum ad dominium loci utrumque, Reispacum Thassalonis ævo ad Duces Bavariæ pertinebat, ut patet, cùm ille decimas donaverit: ludis deinde equestribus inductis, Principum favore ad Warthios transiit, quorum unus jam anno 968. (o) eosdem ludos frequentavit, aliique usque ad annum 1284. unde colligi facilè potest, quàm pronum fuerit, nos de possessione tam longè dissita periclitari. Succurrit S. Wolfgangus, & decimas nobis confirmavit: Hartvvicus Episcopus auxit Haberskirchio, Henricus Engilmarisbergâ. Ad sæculi nihilominus duodecimi finem translata est possessio Reispaci ad Warthios, ab his vendita eorum creditoribus: denique anno 1583. Warthii tum debitis onerati, tum principum gratiâ nescio quam ob causam (divinare licet) exuti, venditis omnibus in Palatinatum Neoburgensem emigrârunt. (p) Hucusque decimæ illæ tum ad Serenissimos Bavariæ Electores, tum ad varios Nobiles pertinent. Atque ita, dum decimarum illarum possessio nobis erepta est, etiam S Wolfsindis cultus apud nos jam pridem desiit: memoria tamen in monumentis, devotio in mentibus servatur.

(h). *In Stemmatographia Bav.* (Stammen-Buch) *supra cit. fol. 350.* (i) *Codex D. fol. 36.* (k) *Sec. II. C. I. §. III. de Benedicto I. Abbate.* (l) *Acta SS. Boll. in Vita S. Gregorii PP. VII. Vide infra Cap. VII. §. I. de Monachis Walthonis discipulis.* (m) *Pez. tom. VI. Anecdot. P. I. col. 74. num. IX.* (n) *Hansiz tom. I. Germ. S. fol. 145.* (o) *Hund.* Stammen-Buch *fol. 350.* (p) *Idem ibidem fol. 355.*

§. IV.

Favores Regum & Imperatorum.

1. TRes Imperatores vivo Walthone sceptra tenuêre. In iis primus Lotharius, eo nomine secundus, ex Duce Saxoniæ evectus ad thronum, saluberrimam legem de Subadvocatis Ecclesiarum abrogan-

rogandis tulit, nobis quoque profuturam, si mos eidem gestus esset, nec inolita consuetudo prævaluisset.

2. Excepit Lotharium Conradus ex Sueviæ Duce Imperator ejus nominis tertius. Ad hunc in Comitiis Norimbergensibus versantem Waltho noster profectus, bonorum à Gisala de Seeveld, Hoholdi Comitis de Pappenheim mariti olim sui vidua, Monasterio nostro legatorum causam egit. Ludovicus enim Comes de Oetingen, Gisalæ nostræ avunculus, Mechilde sorore sua, Matre Gisalæ, consentiente, ea prædia, præsertim Biberbacense, sibi vendicare totis viribus contenderat, jámque se in possessionem immiserat. Et Mechildis quidem, tanquam mater, citiùs filiæ & Walthoni cesserat: Ludovicus autem prædium controversum jam etiam Blanckstettensi Monasterio vendiderat. Actum erat de prædio, nisi Walthonis precibus & conspicua virtute commotus Rex certis conditionibus litem pro Monasterio decidisset, & perpetuam prædii possessionem nobis confirmâsset. Controversia hæc (a) inferiùs largiùs explicabitur.

3. Anno 1152. Fridericus I. Sueviæ Dux, Wulfildis nostræ ex sorore nepos, Rex Romanorum creatus est, cui hoc elogium Chronographus noster texit: *erat autem vir armis strenuus, acer animo, exercitatus in bellis, corpore robustus, in consiliis providus, in negotiis peragendis virilis, affabilis mansuetis, superbis resistens, ingenio subtilis, memoria excellentissimus, facie satis eleganti, barba & capillo rufo.* (b) *Anno* dein, eodem Chronographo teste, *Millesimo, centesimo, quinquagesimo quinto Fridericus primus Imperator Romanorum ab Adriano Papa IV. Imperiali Benedictione sublimatur.* Verùm priusquam ipse Romam perveniat, iter ejus ex Germania breviter enarrandum est. E Saxonia in Bojariam redux in campis Lycatibus ad Augustam Vindelicorum copias recensuit. Inde progressus Bittengoviam haud procul Schongavio Welfonis palatio venit, &, quia Henricum Leonem cum Welfone Leonis patruo sibi comites expeditionis voluit, aliquantisper substitit & supplicibus aures dedit.

4. Inter alios supplices Waltho noster apparuit, à Welfone Wulfildis nostræ germano fratre jam commendatus, propositisque querelis ob injurias Subadvocatorum clementer à Friderico exauditus, insigne Diploma retulit, quo non solùm gravissimè Advocatis interdicit, ne sibi secundum substituant, sed etiam liberam Advocati eligendi facultatem Abbati & Conventui concessit; præterea omnia servitia hucusque Imperatoribus debita remisit: denique omnibus, qui feuda ab imperio possiderent,

rent, libertatem tribuit, iisdem renuntiandi ac monasterio donandi, dummodo quinquaginta mansos non excederent.

5. Operæ pretium existimamus, diploma hoc oculis exhibere, ut, in quanto apud Fridericum tum Walthonis, tum Welfonis & Leonis virtus pretio fuerit, quisque intelligat.

„ In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Fridericus DEI „ favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Notum „ sit omnibus tam futuris quàm præsentibus Christi Fidelibus, quòd sicut „ temporibus antecessorum nostrorum Regum seu Imperatorum Henrici, „ Lutharii, nec non Divæ recordationis Conradi Augusti violentia Ad„ vocatorum ab Ecclesiis remota est justitia dictante, ita, quod nulla „ Ecclesia Subadvocatum habere debeat, sic nostris quoque temporibus „ judicium curiæ nostræ de removendis Subadvocatis sententiam protu„ lit, usque adeò, quod siquis principalis Advocatus Subadvocatum „ sibi constituat vel patiatur, ejusdem Advocatiæ beneficium amittat. No„ strorum igitur antecessorum authoritatem servantes statuimus, ut in Ab„ batia Wezzinesbrunensi, cujus Advocatus Henricus Dux Saxoniæ esse di„ gnoscitur, Subadvocatus nullus unquam constituatur. Et siqui hacte„ nus ibidem Subadvocati esse videntur, omnino removeantur, dece„ dente verò memorato Duce Henrico, liberam facultatem habeat Ab„ bas, sive conventus ejusdem Cœnobii, quemcunque voluerint, sibi „ substituendi Advocatum. Præterea quæcunque servitia ab eadem Ab„ batia nostris successoribus seu nobis jure persolvenda noscuntur, amo„ re DEI omnipotentis omniúmque sanctorum in perpetuum remittimus, „ & ab eodem debito eam penitus Imperiali Authoritate absolvimus, „ firmiter statuentes, ut à nullo successorum nostrorum Regum seu Im„ peratorum hæc nostra institutio immoretur. Insuper Imperatoria au„ thoritate concedimus & statuimus, ut quicunque de bonis ejusdem „ Ecclesiæ ab Imperio inbeneficiatis eidem Ecclesiæ remittere, & jus be„ neficii abnegare Divinæ pietatis intuitu voluerint, abnegent & Eccle„ siæ remittant, quousque eadem Ecclesia quinquaginta mansos & non „ ampliùs, de ipsis bonis ab Imperio inbeneficiatis ad usum & proprie„ tatem suam recipiat. Et ut hæc omnia rata & inconcussa permaneant, „ præsentem paginam sigilli nostri impressione signari præcepimus. Te„ stes autem hujus rei subscribi fecimus, quorum nomina hæc sunt: „ Chounradus Augustensis Episcopus. Welfo Dux. Berctholdus Dux de „ Zaringen. Hugo Comes de Tibingen. Gotfridus Comes de Zolren,

 „ Got-

„ Gotfridus Comes de Rumesperich. Adelbertus Comes de Le-„ vvenstain.

Signum Domini Friderici (Monogramma) Romanorum Imperatoris invictissimi.

Duodecimo Kal. Octobris. Actum Bittengovve. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.L.V. Indictione tertia. Regnante Friderico Romanorum Imperatore Augusto. Anno verò Regni quarto. Imperii ejus primo.

In hoc Diplomate notæ Chronicæ omnes ad unguem conveniunt. Monogramma Imperatoris, à Stephano nostro expictum convenit cum illo, quod Abbas Gottvvicensis in Chronici sui Tom. I. (c) Bittengovvâ Fridericus per fines Brixinensium & vallem Tridentinam legiones exposuit in agro Veronensi; eáque deinceps gessit, quo fusè describit Adlzreitterus. (d) Nobis sufficit demonstrâsse, quantum apud Imperatores gratia Waltho valuerit, quantáque emolumenta monasterio impetrârit.

(a) *Cap. V. §. I. De Controversiis.* (b) *Códex D. fol. 64. & 65.* (c) *Lib. II. post fol. 358.* (d) *Part. I. Lib. XXI. à colum. 560. &c.*

§ V.

Embolismus

De S. Theobaldo, & villa Bittengovve.

LOcus Bittengovve, in quo recitatum antè diploma Friderici I. Imperatoris editum ac Walthoni Abbati concessum est, occasionem præbet quæstioni, ubinam locus ille situs fuisse putari debeat. Nostris documentis variè scribitur, Bittengau, Peittingauue, Peyttingen, vicus seu municipium hodiedum satis spectabile horæ spatio à Schongavio oppido, Welfonis olim domicilio, dissitum, situm inter Amperam & Lycum fluvios, medio meridiem versus inter monasterium nostrum & Steingadense spatio. Num hic datum illud diploma putabimus? an verò illo in loco, qui dicitur Pitingum, *in Teutonicorum videlicet Regno?* Alius is est planè, nominatus in vita S. Theobaldi Presbyteri & Eremitæ (e). De quo Jamottus ait Pitingen aut Pitange esse pagum prope Luxembur-

burgum in Diœcesi Trevirensi, eúmque exhibent tabulæ supra fluvium Prumiam, tribus leucis à Treviris. (f) De eodem loco scribit Honthemius: *Bettinga*, Bettingen vicus est Toparchiâ & arce nobilis in Eifliensi agro. A Lothario Imperatore Fulcardo cuidam concessa est anno 844. Item Hübnerus (g) Pittingen / Herrschafft / Schloß und Flecken / 2. Meilen von Luxenburg. Atque illuc è Saxonia via ducere Fridericum Regem vix potuit, nisi nimiis ambagibus: Augustâ verò recta & expedita est via Brixinam & Tridentum petentibus. Ergo Boicum hoc Bittengovve curtis vel villa regia olim fuisse putanda est: quo in loco alibi quoque Welfo Imperatori occurrisse, filiúmque suum Imperatori ad bellum in Italiam eunti comitem dedisse memoratur. Alia ex parte, cùm Luxenburgum ipsum ad Diœcesin Trevirensem pertineat, (h) nimiùm vicinus hic locus videri debuit S. Theobaldo, parentes & patriam remis velisque fugienti, quàm ut tuto latere se posse existimaret. Adde, quod nostrum Bittengovve, utpote à patria remotius, commodius ipsi latibulum præbuerit, & propius iter Vicentiam, ac inde vel Romam, vel Compostellam, vel in Palæstinam, quippe Alpibus vicinum, neque ut aliæ villæ regiæ adeò frequentatum; bis enim tantùm Reges illuc divertisse legimus. Porrò inter villas regias quidem nec Pitingum, nec Bittengovve legimus, quas Reverendissimus Abbas Gottvvicensis longo ordine recenset. (i) Hæc tamen placuit eruditæ discussioni subjicere ad judicandum, an non olim S. ille Theobaldus hospes in Bavaria nostra consederit, & Sanctis Bavariæ nostræ hinc adscribi mereatur.

(e) *Apud Bolland. 30. Jun. tom. V. fol. 593.* (f) *Hist. Trevir. T. I. ad annum 844.* (g) In Zeitungs-*Lexico*, *artic.* Pittingen. (h) *Vid. Reverendiss. Hontheim. Tom. II. Hist. Trevir. fol. 555. ubi Luxemburgum disertè numerat inter partes Archidiœcesis Trevirensis.* (i) *Tom. I. Chronici Gottvvicensis.*

§. VI.

Favores & dona Ducum, Dynastarum, Nobilium.

1. CHorum inter potentiores primus ducit Welfo Dux Henrici superbi frater. Nam in primis laudi cedit huic heroi, quòd ministris & clientibus suis liberam facultatem concesserit, de prædiis suis Walthoni & monasterio donandi, quod vellent. Hujus pietatis exemplum apparuit primum, cùm *jussu & licentia* hujus Ducis prædium quoddam in Loudevviginsperge (sic enim Landsperga tunc vocabatur) ab Adelhei-

da de Hunsoln monasterio nostro concessum & traditum est. Eadem libertate Touno Ducis Welfonis famulus cum fratre suo Conrado de Stocheim duo prædia in Peckstetten & Ramungen S. Petro in Wezzinsbrunen obtulerunt. Hermannus de Sandorf, itidem Welfonis famulus, prædium suum in Holzburg situm S. Petro donavit.

2. Verùm nec ipse Dux clientibus suis in S. Petrum liberalitate & munificentia cessit, imò exemplum præbuit. Ministerialium quidam ejus Rizzarius nomine, in beneficium à Duce acceperat duo prædia in Pirschvvald. Hæc Rizzario sine liberis defuncto in potestatem Ducis redierunt, qui opportunitatem hanc nactus eadem monasterio nostro tradidit cum eorum cultoribus Eberhardo Wolf & filiis ejus, in perpetuum possidenda. Erat tunc Religiosissimus Dux in procinctu ad expeditionem Jerosolymitanam cum Cæsare Conrado, aliisque Principibus suscipiendam: nostra ex parte tradita sunt ipsi decem talenta. Delegatio hæc facta est anno 1147. apud Ratisbonam in loco, qui Stetten vocatur, coram amplissimis testibus, inter quos præcipuè exstabant Fridericus Sueviæ Dux postea Imperator ejus nominis primus, & Comes Rudolphus de Phullendorff, Welfonis Ducis nepos ex Wulfhilde sorore, sanctimoniali nostra.

3. Et quoniam Wulfhildem tenerè idem diligebat, idem Welfo tum pro remedio animæ suæ, tum amore sororis divino apud nos servitio mancipatæ monasterio nostro tradidit prædium Cheffingense, cujus cùm pars aliqua in beneficium concessa fuisset Conrado cuidam Zundin cognominato, statuit, ut eadem pars post Conradi obitum S. Petro cederet, nec ullus liberorum ejus posset eam sibi vendicare. Addidit aliud prædium in Nidervend cum Gisihero servo, uxore, & liberis ejus, monasterio nostro deinceps servituris. Undè meritò generosissimum hunc Ducem inter insignes Benefactores numeramus.

4. Guelfonem imitati sunt viri alii nobilissimi, ut Bernhardus de Wilheim, nobilis homo, imò Dominus, & Werinhardus nobilis de Stauffen, Ecclesiæ nostræ Advocatus: quorum ille propter Northertum filium, iste propter Richinsam sororem datis prædiis monasterium locupletârunt, inferius recensendis, ubi de monachis & sanctimonialibus Wessofontanis agetur.

5. Hartmannus de VVilliburgeriet homo nobilis, mutuò acceptis à monasterio viginti talentis, nisi ea post quinquennium redderet, prædia sua, quæ possidebat in VVilliburgeriet, Apfeldorf, & Pernbach delegavit,

vit, & conditione non expleta, in proprietatem nobis tradidit. De loco VVilliburgeriet, ubi hodiedum S. Vigilii Episcopi Tridentini & Martyris Ecclesia visitur, largior postea sermo redibit ad ejusdem Sancti honorem, & illustrium quarundam familiarum gloriam.

6. Udalscalcus clarissimi generis de Wielenpach, peregrinationem transmarinam aggressus, pro felici itinere & animæ suæ subsidio S. Petro duo prædia obtulit, unum in Aiche, alterum in Plintencelle. Obitus hujus in Calendario veteri his verbis annuntiatur: *III. Idus Majas in festo S. Gangolfi Martyris Oudalscalcus laicus obiit, de Walesboven, qui dedit duo predia ad Plintincelli, & ad Aychе, utrimque duas curtes.* Udalricus item miles, id est, nobilis de Müllhausen & uxor ejus Hemma duo prædia in Müllhausen & Waltershoven S. Petro liberaliter donaverunt. Similiter Hiltiprandus de Morenvvis & Irmingarda conjux duo prædia in Marhbach & Sandolshausen S. Petro tradiderunt: & Irmingarda hæc pridie Nonas Octobris defuncta legitur. Per horum parentum filiam Adelhaidam alio prædio in Partenkirchen aucti fuimus, cùm illa Parthenoni nostro se manciparet.

7. Amalbertus nobilis homo de Lechhausen aliorum nobilium libertatem superavit: prædium enim unum ibidem situm monasterio nostro donavit cum omni jure & cum centum sexaginta mancipiis. Adjecit & aliud prædium in Wolmotshahe, ac omne præterea jus, quod sibi antea in eamdem Ecclesiam competebat. Udalricus de Sandau, minister Henrici Saxoniæ Ducis, peregrinationem transmarinam suscipiens, prædium quoddam in Hausen perpetuò nobis donavit, sive hæres ei nasceretur, sive sine liberis moreretur. Denique Werinherus vir nobilis prædium suum in Pasinhusin situm, consentiente sorore illius & dimidii tantùm mansi pretium sibi paciscente, S. Petro tradidit. Verùm ob hanc traditionem, quæ paulò pòst orta sit lis, alibi referemus. (a)

8. Non segniores viris fuère matronæ Nobiles & devotæ. Luikardis de Ravenspurg, *soror bonæ memoriæ Gebozonis* (b) in ministerio Henrici Ducis duo prædia super Ekke ad altare S. Petri tradidit, accepta à Walchone & fratribus 14. talentorum pecuniâ, quam nisi intra quinquennii terminum redderet, in proprietatem monasterii prædia transirent. Pecuniâ non solutâ prædiorum plenam possessionem accepimus. Hæc ipsa Luickardis duos filios Henricum & Albrandum apud nos divino servitio, & cum illis alia duo prædia tradidit, de quibus infra. Fuit & anonyma quædam matrona, quæ salutis suæ studio prædium quoddam Müllhusanum

num S. Petro donavit ad perpetuum fratrum usum atque solatium, quomodo monasterio denique vindicatum sit, alibi docebitur. Non ambigo, plures alios utriusque sexûs fideles in nos fuisse beneficos: verùm hæc ex documentis nostris narrâsse sit satis.

(a) *Cap. V. §. 1. n. 5.* (b) *Quis iste Gebezo? an* Gebhardus *Pauli Bernriedensis alumnus? Vid. Boll. 18. April. in Vita B. Herlucæ.*

§. VII.

Appendix

De SS. Vigilio Ep. M. & Gangulpho M.

1. ECclesiæ Parochiali S. Joannis Baptistæ in Rott subjecta est tanquam filia Ecclesia S. Vigilii in Wilpurgried, qui locus communiter nunc *Ried* vocatur, vel *ad S. Vigilium*, quod frequentius est, & magis hunc locum indicat, cùm aliud Ried situm sit infra Rottam: nostrum verò supra, Lycum inter & Rottam fluvios. Ante ducentos & ampliùs annos inter alias Ecclesias monasterio nostro incorporatas sic legitur: *Ad S. Vigilium in Wilpurgried. Ecclesia ac summum altare dedicata sunt in honore S. Trinitatis, S. Marie Virg. & omn. Sanctorum. Specialiter verò in honore S. Vigilii Episcopi & Martyris: & SS. Joannis & Pauli Martyrum: Dedicatio celebratur semper proximâ Dominicâ post Festum S. Georgii martyris.* Additur ibidem, quoties fieri sit solita statio, seu supplicatio ad S. Vigilium, & assignantur dies sanctorum, *infrà signatorum*: nempe *in die Conceptionis S. Marie Virginis*: quod hodie non fit ob celebrem cultum Immaculatæ Matris in ipso templo Wessofontano post erectam sub ejusdem titulo sodalitatem, & ædificatam *Pulchræ Matri* à Serenissimo Bavariæ Electore Maximiliano Emanuele splendididissimam Capellam. *In die SS. Innocentum. S. Georgii militis. S. Marci. SS. Joannis & Pauli & Vigilii Episcopi & Martyris.* Loco festi Conceptionis fit statio feria secundâ Paschatis: & accurrunt talibus festis non soli Rottenses, sed etiam Wessofontani, & Apfeldorffenses. Cæterum quoniam SS. Joannis & Pauli nomina vulgo notiora sunt, jam ferè, præter primævæ dedicationis ordinem, major horum, quàm S. Vigilii, licèt Episcopi & Martyris, ratio haberi videtur: vocantur enim illi *Wetter-Herren* seu *tempestatum Domini*, quo nomine majorem apud agricolas authoritatem habent, magis de messium suarum securitate, quàm animarum segete, quam Vigilius copiosè intulit, sollicitos. (†)

2. Fuit

2. Fuit locus iste jam ante celeber ob arcem Nobilium de Willipurgeried, ex quibus memoratur primus Hartmannus suprà memoratus, (a) & in monasterium nostrum beneficus. Idem testis fuit in traditione prædiorum, quæ Gisila de Seveld monasterio nostro legavit: (b) item donationis Nortberti viri nobilis ad monasterium Benedictoburanum. (c) Nobilibus, ut videtur, extinctis aut aliò migrantibus (jam enim venditum nobis fuerat prædium) frequentari tamen locus non desiit; nundinæ enim solemnes magno concursu celebrabantur in Festo S. Vigilii, quæ tandem translatæ sunt Weilhemium, eodem die deinceps aperiendæ, eo civibus imposito onere, ut viam publicam ab oppido suo usque ad pagum Rottensem sterni curarent. Verùm ibidem jam nulla S. Vigilii, sola SS. Joannis & Pauli memoria.

3. Propiùs nunc ad ipsum S. Vigilium accedendo fatemur, in antiquo Benedicti Abbatis Calendario, quod anno 940. circiter scriptum ab illo fuit, ad 26. Junii solos SS. Joannem & Paulum Martyres nominari, omisso S. Vigilio. Videntur tamen sæculo demum XI. aut XII. cùm Germani Jerosolymas vel pietatis vel militiæ causa peterent, ex via per vallem Tridentinam profectos hanc in S. Vigilium religionem hausisse nobiles viri, fortè ex Nobilibus de Rott, quorum aliquis castrum sibi in loco isto solitario & arci gentilitiæ opposito fixerit, atque, obtentis, quas poterat, ejusdem reliquiis, eumdem clivum à S. Vigilio Vigiliburgeriete vocaverit. Talis nominum mutatio in stemmatibus multis, ut in Andecensi & Schyrensi, frequens illis temporibus fuit, & adhuc est, dum stirpe multiplicata alii ad arces alias transierunt, indéque appellari voluerunt. Sic Otto Wolfratshusanus, B. Agnetis pater, (d) dictus est comes de Daninga. (e)

4. In altari principe hujus Riedensis Ecclesiæ positæ videntur tres è ligno statuæ pictæ & deauratæ. Medius sedet S. Vigilius Episcopus, tres in sinu lapides gestans, Martyrii testes. Ab utroque ejus latere spectantur SS. Joannes & Paulus Martyres, sed stantes & Vigilio sublimiores. Quantum ad Vigilii lapides attinet, affulsit nobis lux aliqua, semper creditum fuisse, quòd S. Vigilius pro fide fuerit lapidatus. Nam anno Domini 1719. cùm æstas esset siccissima, & à Thassilone Abbate p. m. S. Vigilii Ecclesia, cujus pavimentum tam humidum atque depressum erat, ut gradibus ad descensum in eam opus esset, reparanda & fidelium usui magis accommodanda videretur, sublimiori pavimento, & ipsa testudine, ac templi muris altiùs eductis; ejusmodi ædificium feliciter cœptum est. Jam fabri eò devenerant, ut suggestibus opus esset ad al-

tius

tiùs emergendum: hinc trabes infigendæ muro erant; qui cùm cavus esse ex parte Epistolæ seu meridiana videretur, visa est res inquisitione digna. Aperta est muri cavitas & apparuit fornix ex instituto paratus, & coctis lateribus in fundo stratus: inventus est autem plenus lapidibus peregrinis, & prægrandibus, quos inter plures erant quinque & sex pondo habentes, mineralibus mixti, rotundi nonnulli, aliqui velut majorum lapidum fragmenta, nonnulli corticem habentes è topho destillante, peregrini in his partibus. Ea verò curâ dispositi fuerant, ut semel erutos eodem ordine recondere ars nulla, nec fornix capere posset, quapropter & aliqui tunc variè distracti: fuerant autem octoginta sex adhuc anno 1750. inventi, ex quibus postremi in Archivio servati, reliqui octoginta priore loco repositi. Neque causa excogitarì alia potest, hos lapides singulari fornice recondendi, nisi ob religionem aliquam, quæ alia divinari non valet, nisi memoria martyris pro fide lapidati, cujus causâ ex loco martyrii lapides isti in has oras devectæ sint.

5. Quamvis Pincius evincere velit, S. Vigilium calonibus, (f) calceamenti ferrati genere, ora obtusum occubuisse, non tamen negat, fuisse inter barbaros, qui & saxa in eum jacerent; lapides tamen, Martyrii ejus insignia, frequentiùs existimari, plura sunt argumenta, quæ suadeant. Nam in primis ipsa vita à Papebrochio edita (g) clarè sic habet: *Illi autem*, infideles, *tumore diabolico inflati, magno imbre lapidum sanctum Dei percellunt, sancti capitis eff. acta compage, cerebróque disperso.* Accedit Florus Lugdunensis in additamentis ad Martyrologium Bedæ: *Hic*, S. Vigilius, *cùm quoddam Idolum in quodam loco confregisset, in ejusdem idoli basi residens, & verbum divinum prædicans, ab incolis loci illius imbre lapidum obruitur, & sic martyrii gloriâ coronatur.* Denique hodiernum Martyrologium Romanum sic enunciat: *apud Tridentum S. Vigilii Episcopi: qui cum reliquias idololatriæ penitus extirpare conaretur, à feris & barbaris hominibus lapidum imbre percussus, Martyrium implevit.* (h) Vitæ S. Vigilii compendium hoc est à Papebrochio concinnatum. Athenis imbutus litteris Tridenti Episcopus acclamatur anno ætatis vigesimo: ordinatur ab Episcopo Aquileiensi: miraculis claret: (i) agrestibus adhuc ethnicis prædicat etiam Brixiæ & Veronæ, cum consensu antistitum Diœcesanorum: Anagninis prædicatores mittit, quibus Martyrio sublatis, ipse eis succedit, barbarósque convertit: Rendenam vallem adhuc paganam aditurus populo Tridentino ultimam impertitur Communionem: invocato Deo idolum evertit, & à concitata turba saxis obruitur: socii Tridentum referunt corpus, formidatum dæmonibus: (k) quod honorificè excipiunt cives. Collectus ejus sanguinis Salodium defertur: Acta ejus Romam missa Imperator in vexillo su-

spendens

ſpendens victoriam ex hoſtibus reportat. Hæc omnia in margine Papebrochius. Addo, antiquam obſervationem eſſe, quòd dæmoniaci noſtram hanc S. Vigilii Eccleſiam accedentes mirè ſæviant, nec niſi vi facta illam ingredi valeant. Et hæc tum in dæmones, tum in morbos omnes poteſtas, aliæque Vigilii prærogativæ, dignæ videbantur, quas divini eodem in loco verbi præconibus ſuggererem, æquè ac illæ SS. Joannis & Pauli, futuras ad excitandam in Catholica plebe tum impetrandi fiduciam, tum induſtriam imitandi.

6. Hæc de S. Vigilio cùm ſcripſiſſem occaſione Hartmanni de Wilburgried paulò antè memorati, (l) proximus ab illo benefactor Udalſcalcus de Waleshoven, in die S. Gangolfi martyris defunctus, memoriam ſancti hujus mihi refricuit, quem loco vicinum veneror, ejúsque honori aliquid addere poſſe delector. Sicut enim decuit S. Vigilii meminiſſe ad Bavariæ noſtræ gloriam, ita juſtum arbitror, tot aliis Germaniæ Diœceſibus certatim honoratum, inter Diœceſis quoque Auguſtanæ Patronos dudum clareſcentem non præterire. Ejus quidem hodie nomen, extra hanc Lyci viciniam, paucis eſt cognitum: vulgus Gangwolfum vocat, & multi eum cum S. Wolfgango Epiſcopo Ratisbonenſi confundunt: imò & Finckius in ampliſſima Bavariæ mappa locum vocat *S. Wolfgang*. Verùm ipſæ ſancti ſtatuæ non Epiſcopum, ſed militem & martyrem fuiſſe oſtendunt. Locus eſt in Suevia *Sanct-Gangwolf*, vel ſimpliciter *Gangwolfen* nominatus, quem nos ex Boica hac Lyci fluminis ripa & vico noſtro Mundrachingano, curæ noſtræ ſpirituali ſubjecto, in ripa adverſa conſpicimus, paucis ædibus frequentem. In antiqua ibi Eccleſia, cujus curam gerit Parochus inferioris Dieſſæ, colitur S. Gangulphus: ara templi Deiparam Virginem exhibet: tabernaculo inſiſtit bipalmaris ſtatua Divum exhibens habitu Romano, quo Martyres communiter pingi ſolent. Verùm altera ſtatua in latere templi conſpicua Gangulphum militari habitu & æreo thorace indutum exhibet, altera manu gerentem ſcutum, in quo depicta cernitur ſimplex aquila, ſeu generis, ſeu militaris dignitatis inſigne. Feſtum ejus in loco celebratur menſe Majo, circa diem hujus menſis undecimum, quo etiam è vicinia publicæ ſupplicationes inſtituuntur: annua quoque à Landſpergenſibus. Utrum proprius feſtivitatis cardo hîc figatur 11. ùt multis in locis & ab ipſo Bollando; an 13. Maji, ut in quibusdam locis & martyrologiis apud Bollandum? affirmare non poſſum. Certum eſt, in antiquo noſtro Benedicti I. Abbatis Calendario ad III. Iduś Maji fieri commemorationem *Gangolfi martyris*: & paſſim tunc notum fuiſſe hunc Sanctum, diémque ejus feſtivam, patet ex Codice noſtro donationum litterâ D. inſignito,

in quo Udalscalcus supra nominatus vocatur: *Dominus Udalscalcus clarissimi Generis de Wielenpach* (plures enim sedes habuisse convincitur) & statim subditur: *Obiit idem Udalscalcus praclarus vir in die sancti Gangolfi martyris.* Vixit sanctus Gangolphus tempore Pippini Majoris-Domûs Franciæ, patris Caroli Magni postea Imperatoris, militiámque sub eodem secutus est. Si diversa Pippini bella diversis locis gesta considerentur, non sola Campania: vel Aquitania, sed & Germania illi pro arena fuit. Unde & Gangolfi memoria his in partibus facilè sic inclaruit, ut audito ejus martyrio & id consecutis miraculis Ecclesia fuerit eidem ædificata. Ne ultra propositum excurram, lectorem ad Acta Sanctorum à Bollando cœpta remitto, ubi fusè tam gesta, quàm miracula hujus Divi enarrata reperiet. (m) Cæterùm novissimè audivi, traditionis instar in vico S. Gangolfi haberi, quòd statua ipsius in altari posita, sæpius furto subducta, semper mirabili modo ad aram denuo fuerit reversa.

(†) *Quia* habent potestatem claudere cœlum nubibus & aperire portas ejus, quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt. *Antiph. ad Magnif. in 2. Vesp. 26. Junii.* (a) §. *VI. prac. num. 5.* (b) *Codex D fol. 53.* (c) *Chron. Benedictoburanum P. II. num. LXXVII. Addatur* Conradus de Willibur-geriete *sub Lantoldo Abbate testis donationis post ann. 1163. Codex D. fol. 75.* (d) *Infrà Cap. X.* §. *III.* (e) *Boll. 18. April. in Vita B. Herluca.* (f) *Idem 26. Junii fol. 167. col. 2. nota a.* (g) Ibid. col. 1. num. 9. ex MS. *S. Maximini Trevir.* (h) *Hac omnia Boll. dicto die f. 163.* (i) Languores ægrotantium curans & oppressos à dæmonibus crucis impressione liberans. *In Vita num. 2.* (k) *Nam eo Tridentum appropinquante damones clamabant:* ecce vir sanctus, Christi martyr Vigilius cum triumpho revertitur, qui nos expellit à propriis sedibus. *In Vita num. 10.* (l) *praced.* §. *VI. num. 6.* (m) *Boll. die XI. Maji fol. 642. &c.*

CAPUT V.

De Walthonis Controversiis.

§. I.

De Controversiis monasterii causâ à Walthone susceptis.

1. Rectè dixit Satyricus: *nulla ferè causa est, in qua non famina litem moverit.* Donaverat monasterio VVerinherus, de quo suprà, prædium suum in Pösenhausen, consentiente sorore, nec sibi quidquam reservante præter agri partem; de cætero juri suo, siquid haberet, palam renuntiante. Non diu tenuit promissa fides; nam illa sive liti-

litigandi libidine, sive avaritia impellente, paulò pòst & fratrem suum, & VValthonem in jus vocavit, cùm jam per annum integrum, & quod excurrit, prædium quietè possedissemus. Verùm B. VValtho, ùt erat mansuetissimus, maluit de jure suo aliquid cedere, quàm longis litium ambagibus suam suorúmque quietem perturbare, eo præsertim tempore, quo Bavaria & tota ferè Germania intestinis bellis ardebat. Igitur oblato denariorum Augustensium talento fœminæ os obstruxit, firmámque nobis prædii possessionem fecit coràm gravissimis testibus, inter quos Henricus de Stauffen, Deginhardus de Seeveld, Hiltiprandus de Morenvveis, Ortholfus de Pfetten memorantur.

2. Gravior fuit contentio de facultatibus Gisalæ. Fuit hæc filia nobilis viri de Seeveld, & Mechtildæ ex Comitibus de Oettingen oriundæ. Matrimonio juncta Hoholdo de Pappenheim, cùm virum citò amisisset, tota se Deo consecratura in Parthenonem VVessofontanum se recepit, prædiáque sua Biberbach, Brunnen, Hoinran, Rinnenbach, Tangrebin, VVolmutsache, Guttingen, monasterio nostro pleno jure transscripsit, ea conditione, ut prædia, quæ à marito Hoholdo ei obvenerant, Advocatum semper haberent eum, qui Pappenhemiorum natu maximus esset: nec eorum quidpiam alteri liceret vendere, nisi qui eadem de stirpe prodiisset. Confirmata est hæc donatio testibus amplissimis, Henrico de Stauffen, Hartmanno de VVilburgried, Geroldo de Seeveld, aliisque. Postmodum Gisalæ mater Mechtilda, legationem hanc irritam factura, prædium Biberbach in suum jus vendicare laborabat. Verùm B. VValtho, ut matronam nobilem ac potentem compesceret, decem illi talenta & caballum præstantis formæ obtulit: quibus donis delinita juri suo renuntiavit, ac prædium illud per manum filiæ ad altare S. Petri, pro more illius ævi tradidit, coram testibus VVolftrigilone de Pergen, Henrico Stauffio, Gottebaldo de Rott, Henrico de Issingen, Sigibothone de Bittengovve.

3. At ne sic quidem quiescere Walthoni licuit. Nam Ludovicus Comes de Oettingen, Mechtildæ frater, Gisalæ nostræ avunculus, prædium Biberbacense violenter sibi vendicatum, *instinctu Episcopi Eustettensis, monachis Planckstettensibus accepto centum talentorum pretio vendidit.* Ita Stephanus. Verùm bona fide hunc Episcopum egisse, neque de violentia nobis illata novisse, zelus ipsius pro sacro nostro ordine demonstrat: ipse enim est, qui restaurationem monasterii Heidenheimensis diu jam collapsi apud summam sedem urgebat: ipse Scotos Benedictinos Ratisbonâ Eustadium evocavit: ipse monasterii Mallerstorffensis Fundationi à

Loth. II. confirmatæ subscripsit: ipse cum fratre Ernesto Comite de Hirsperg monasterium Planckstetten anno 1129. fundavit. (a) Nobis itaque justa possessione deturbatis nihil erat reliquum, quàm ut Conrado Romanorum Regi injuriam quereremur. Quare Waltho Norimbergam, ubi tum Rex Comitia celebrabat, profectus, etsi ad vincendum sibi testium authoritatem sufficere posse arbitrabatur, ipsius tamen Regis consilio transactionem cum Ludovico Oetingano fecit ea lege, ut Wessofontani pro prædio iterum sibi restituendo Planckstettensibus quadraginta talenta solverent, cætera illis Ludovicus redderet, & juri suo in illud prædium deinceps renunciaret. Ludovicus conditione acceptâ jurejurando id se præstiturum affirmavit, ac, nisi intra anni terminum id efficeret, Regiæ Majestati centum talentorum mulctam se debiturum spopondit. Acta sunt hæc, & firmata authoritate Regis, maximorúmque testium, quos inter Gebehardus Comes de Sulzbach, Poppo Comes de Andechs, Conradus & Arnoldus Comites de Dachau nominantur, anno 1142. Interea sive fato ereptus, sive avaritiâ retardatus Ludovicus, promisso suo stare aut nequiit, aut noluit. Quarto primùm pòst anno filius ejus Ludovicus publicè & seriò prædii Biberbacensis jure se abdicavit, omnémque nobis ulterioris infestationis metum abstulit. Inter postremæ hujus abdicationis testes primus est Welfo Dux, Bernardus de Weilheim, Bertholdus de Berge, Dieto de Ravenspurg.

4. Wigulæus Hundius Stemmatographiæ parte 1. f. 332. inter stirpes extinctas Seeveldianam recenset, & in ea sanctimonialem nostram Gisalam: quo loco suspectam facit Matthæi Marescalci de Biberbach fidem, quia Gisalæ maritum nominat Hoholdum, matrem Mechtildam, & lectorem ad Wessonis fontes remittit. De matris nomine non contendimus: Hoholdum Gisalæ maritum fuisse monumenta nostra disertè testantur, coæva planè, & quibus antiquitate paria ne Christophorus quidem Iselinus, author solers, & eruditus, in Lexico suo Universali producit. Eadem à Stephano Leopolder monacho descripta inveniuntur. (b) Præterea Hundius MS. quoddam Wessofontanum citat, quo prædia illa Gisalæ nunc Planckstettensis cœnobii esse dicuntur: erat autem contentio de solo Biberbacensi, quod fortè permutatione aut venditione alienatum est. Cætera verò in Bavariæ sinu pleraque circa amnem Vermium sita, ut Brunnen, Guttingen, Wolmutsache (Hoinran & Tangrebin nondum indagavi) ad Seeveldios Dynastas Boicos pertinuisse ex locorum & arcis Seeveldicæ propinquitate colligere est. Ab illis per Gisalam ad nos translata, quibus modis denuo avulsa fuerint, ignoramus.

5. Alia

5. Alia pia fæmina Tättenschvvangensis prædium suum Müllhusanum monasterio nostro obtulerat. Quo comperto mox Adalbertus Parochus, adscitis in jurgii societatem aliis sui furfuris hominibus, litem acerbam nobis movit, specie tenus solummodò formidandam, quia non tam jure subnixam, quàm accusantium vi ac multitudine & fæminæ donantis infirmitate, utpote quam facilè nimis dejici à proposito posse putabat. Obtendebat enim avarus Pastor, cùm fæmina Parochiæ sit Tättenschvvangensis, non alteri, nisi eidem Ecclesiæ, donare eam aliquid posse. Quare Waltho, qui hominis genium nec blanditiis, nec rationibus ullis pervium noverat, Waltheri Episcopi Augustani tribunal adiit, & plurimorum tam laicorum quàm Ecclesiasticorum arbitrio causam suam victoriæ securus subjecit: claráque fuit lata sententia; cùm is, qui inferiori donat ecclesiæ, superiori donâsse videatur, nec propterea majori fiat injuria, ita, qui nobiliori ecclesiæ quidquam transscribit, eum ab inferiore non posse impediri. (c)

(a) *Falckenst. P. I. Antiquit. Nordgav. fol. 130. Episcopus iste erat Gebhardus Comes de Hirschberg: præfuit ab anno 1125. usque ad 1149.* (b) *Codice D. fol. 53. & 54.* (c) *Adalbertus iste erat* tunc temporis apud Rote & apud Taidisvvanck parochianus, *ut idem Codex habet fol. 59. sed sedebat Rottæ, & communiter Adalbertus de Rote ab authoribus vocatur.*

§. II.

Vindicta divina in Adversarios Walthonis.

1. NOn est nobis animus, ea, quæ natura exigente homini obvenire possunt, in miracula vertere, & mortem viri jam emarcidi, pœnam cælitùs inflictam interpretari. Quare mortem à Ludovico seniore Oetingæ Comite, durante ipsum inter & Walthonem controversia, obitam, nisi historia nostra disertè narraret, nequidem prodidissemus. Verùm Ludovicum filium, qui, mortuo illustrissimo parente, promptus Biberbacense prædium reddidit, illaudatum præterire non potuimus. Credimus etiam, hac filii pietate quamcunque patris in reddendo illo moram ac tergiversationem facilè coram divino tribunali fuisse excusatam ac expiatam. DEUS hanc antiquissimam & illustrissimam Domum, sincerè Catholicam, ad sanctæ Ecclesiæ suæ gloriam in finem mundi felicissimam conservet.

2. Aliud de Adalberto suprà memorato sentire cogimur. Diximus, cum ob fæminæ Tättenschvvangensis donationem S. Petro factam, mota nobis lite, coram Episcopo causâ cecidisse.

Fuit hæc sententia in Adalberti corde defixus aculeus, quo vulneratus acerbiora monasterio minabatur. At verò DEUS, qui justos remunerari, injustos punire solet, quocunque placuerit tempore, paulò pòst Adalbertum è vivis sustulit, utinam actâ scelerum pœnitentiâ morte justorum! At contrarium ex vita S. Herlucæ intelligimus, quam Paulus Bernriedensis coætanens & Herlucæ familiaris scripsit. Refert enim mirabilem piæ hujus Virginis visionem capite 24. apud Bollandum ad diem 18. Aprilis fol. 554. Quam ego ex gestis Gregorii VII. ab eodem Paulo scriptis recensebo.

Beata Herluca inter socias virgines & viduas quadam die ex more sedebat, & operi manuum juxta consuetudinem suam diligenter incumbebat: cùm ecce subitò per fenestram prospiciens miserabiliter lamentari cœpit, & vociferari, dicens: væ! væ! melius homini illi erat, si natus non fuisset. Cúmque nimis attonita quædam illustris fœmina nomine Hadevviga, interrogâsset eam, quidnam vidisset, unde tantum commota fuisset; *mortuus est*, inquit, *infelix Presbyter ille de Rota, & anima ejus ab Angelis Sathanæ sublata portatur ad inferna. Vidi enim eos prætereuntes cum exultatione, & animam comitantem cum ejulatione.* In vita Herlucæ: *væ, væ, væ, quod unquam creatus est homo. Anima Adelberti Presbyteri de Rota cum magna dæmonum violentia ducitur ad supplicia.* Pergit Paulus in Gregorio: *illâ* (nimirum Hadevvigâ viduâ) *optante, hoc verum non esse: Mittatur, inquit Herluca, qui veritatem inquirat. Missus nuntius familiam lugentem invenit, & eâdem horâ comperit mortuum, quâ beata virgo spiritum ejus viderat à malignis spiritibus asportatum.* Hactenus Paulus; cujus verba citato Bollandi loco pagina 555. colum. I. inveniuntur. Visio hæc Herlucæ ostensa est, cùm Heptatici (nimirum in Epfach) trans Lycum moraretur, priusquam inde à rusticis expulsa Bernriedam migraret. *Discite justitiam moniti, & non temnere divos.*



CAPUT

CAPUT VI.

De Walthonis Sanctitate.

§. I.

De Walthonis virtutibus.

QUantæ in DEum Religionis fuerit Waltho, opera testantur, quæ ille unus ad augendam fidelium pietatem architectatus est. Nam ipse, ut suprà diximus (a), propriam S. Jacobo Apostolo capellam in templo erexit, eámque anno 1137. à Walthario Episcopo consecrari curavit: quam ego, sicut alias, quarum sola hodie nomina supersunt, ab Udalrico Moser Abbate circa annum 1282. commoditatis causâ destructam fuisse suspicor, cùm ecclesiam nostram pæne totam restauraret, altarique publico, ac S. Sebastiani cryptâ augeret. Alteram adhuc superstitem capellam ædificavit in honorem S. Michaelis Archangeli, quæ Sanctimonialibus nostris pro Ecclesia servivit, & hodiedum Missa solemnis ac Vesperæ in vigilia & festo S. Michaelis in eadem celebrantur, ex fundatione Conradi Pozzonis, de qua sequenti sæculo differemus. E regione hujus capellæ anno 1143. construxit Waltho aliam in honorem Deiparæ ad cœlos assumptæ: & illam S. Nicolai; in qua sibi tumulum elegit: utramque hanc posteriorem dedicavit Otto Frisingensis Episcopus, & historiographus celeberrimus: sicut suprà diximus. (b)

Fiduciam Walthonis in Deum abunde probant miracula, quæ vivus patravit; de quibus luculentiùs agemus §. II. sequente. Hæc eadem virtus in beato Abbate resplenduit: cùm tot adversa forti animo pertulit, & imperterritus tot adversariis obviam ivit, tanquam certus divini auxilii, & victoriæ securus. (c)

S. Regulæ observantiam & Religiosæ disciplinæ zelum loquuntur tot illustres viri ac fæminæ: adolescentes & virgines, qui sanctitatis ejus odore attracti divinas leges & cælestem vivendi normam ipso docente discere voluerunt, plerique summo sanguine domóque opulenta nati, Christum tamen honoribus & divitiis præferentes, omniáque mundi commoda & voluptates generoso contemptu calcantes. (d)

Waltho-

Walthonis humilitatem non solum ex Henrici Episcopi Ratisbonensis diplomate colligimus, de quo jam superiùs (e), sed ex eo etiam, quòd electâ sibi ad S. Nicolaum sepulturâ, non loco honorifico, sed in ipso introitu ejus capellæ voluerit sepeliri, & ingredientium pedibus conculcari.

Vigilantiam pro monasterii emolumentis & indefessum laborem indicant tot itinera non exiguis impensis suscepta, Romanum (f), Ratisbonense (g), Norimbergense (h), Augustanum (i) aliáque complura, quæ scripta non sunt.

Largitatem in pauperes laudat Chronographus noster, cùm eum appellat *plenum operibus misericordiæ*: indubium nobis est, domum eleemosynariam, de qua alibi redibit mentio, à Walthone fuisse ædificatam, institutámque.

Hospitalitas illi fuit tam copiosa, ut Episcopi quoque ad eum venire non dedignarentur, & ipse Dux Guelfo sæpiùs præsens adfuerit: quam virtutem Deus etiam miraculo comprobavit, ut §. seq. audiemus. Constantiam ejus ac patientiam in rebus adversis testantur tot impugnationes, ac lites intentatæ, magno semper animo expugnatæ.

Vixisse eum in magna abstinentia, nihílque sibi indulsisse, commissas autem oves verbo & exemplo diligentissimè pavisse Chronographus noster disertè scribit: qui si diligentiùs Abbatis tam sancti vitam, quàm paratas nobis ab eo facultates litteris mandâsset, plura de Walthone magna & mirabilia narrari possent. Verba scriptoris hæc sunt: *vixit idem venerandus & sanctus Pater in magna abstinentia cæterarúmque virtutum exercitio, & oves sibi commissas verbo & exemplo diligentissimè pavit.*

(a) *Cap. III. §. II. num. 1.* (b) *ibid. num. 4.* (c) *Vide Cap. V. §. I. & II.* (d) *Eos sequent. Cap. VII. & IX. videbimus.* (e) *Cap. IV. §. II.* (f) *ad Eugenium PP. III.* (g) *ad Henricum Ep. pro Reyspach.* (h) *ad Conradum R. pro Biberbach.* (i) *contra Adalbertum de Rote.*

§. II.

Walthonis Miracula.

AQuam à Walthone in vinum fuisse conversam Authores plures commemorant, & Hundius quidem sic (k) habet: *Beatus Baltho Abbas creatus est anno 1129. præfuit annis 26. qui aquam in vinum vertit facta cruce,*

ur, & alia plura miracula fecit. Codex verò MS. monasterii Andecensis à Radero citatus rem his verbis narrat (l): *In Bavaria partibus monasterio, quod dicitur Wessesbrunnen, S. Petro Apostolo dedicato ibidem fuit Abbas quidam Waltho nomine, qui in vita sua aquam mutavit in vinum in vitro existenti magno.* Nihil isti memorant, qua occasione vel causa memoratum miraculum Waltho perpetrârit. Verùm Raderus, loco citato ex tabulis Wessofontanis, Carolus Stengelius Commentario rerum Augustanarum, Corbinianus Khamm Hierarchiæ Augustanæ parte 1. sic fere illud enarrant. Waltho, *cùm sui regiminis tempore monasterium adeò vini penuriâ laborâsset, quòd sacerdotes minimè sacra facere possent, misit tandem ad se accersitum famulum, cum vitro amplo & albo & nodulis cæruleis affabrè ornato ad fontem pro aqua apportanda, quam ubi signo sacrosanctæ crucis signâsset, & benedixisset, mox aquam vinum factam famulus gustavit, & Presbyteris ad Missas celebrandas tradidit.* (m) Habemus itaque tres Historicos, qui in gratiam sacerdotum, ut sacrificare possent, factam aquæ metamorphosin referunt. At verò non semel, sed iterato id contigisse, ex tribus MMSS. Codicibus, quos Stephanus Leopolder circa annum 1500. scripsit, manifestè colligimus; sic enim inquit: *quodam tempore, cùm Waltho in mensa sua honorabiles haberet hospites, deficiente vino vitrum non parvæ capacitatis Cellerario porrexit, jubens, ut in eo hospitibus afferret vinum. Quo respondente, nihil superesse vini, cuidam famulo vitrum porrigens dixit: in nomine Domini affer aquam de fonte. Qua allata, cùm desuper signum sanctæ crucis fecisset, in optimum vinum conversa est. Quod convivæ cùm gustâssent, cum magno gaudio biberunt, Deòque Opt. Max. gratias magnificè egerunt.* (n) Adeóque in hospitum quoque favorem benedicenti Walthoni unda paruit & in vinum migravit. Alia à vivo patrata miracula non exstant; dubitare tamen non possumus, pluribus eum claruisse, cùm ad mortui sepulcrum tam frequens protinus supplicum accursus fuerit, quemadmodum infra narrabimus. De cætero *id vitrum*, in quo prodigium contigit, *servatur in sacrario usque in hodiernum diem inter Reliquias*, ut scribit Stephanus, & nos cum illo.

(k) *Hund. Metrop. tom. III. fol. 486. in fin.* (l) *Bavar. S. Volum. II. fol. 270.* (m) *ibidem fol. 273.* (n) *Ita Codex D. fol. 68. & alii duo huic conformes.*

§. III.

Obitus Walthonis, & gloria sepulturæ.

Annus Domini 1157. dies Decembris vigesimus septimus sancto Joanni Apostolo & Evangelistæ sacer, Walthonem terris ereptum placidâ morte ad coelos transtulit, postquam monasterio præfuisset annos

U viginti

iginti septem, & tres dies. Ita dicendum suadet attenta Chronologiæ atio; licèt Hundius, perperam informatus, aliud asserat: patebit res onsideranti. Sepultus est Waltho ex diuturna jam designatione & ultiɪa voluntate in sacello S. Nicolai, quod ipse consecrari curaverat ab)ttone Frisingensi, tertio decimo ante mortem anno, Christi 1143. Tuɪulari autem voluit ex humilitate in ipso capellæ hujus à se ædificatæ ıgressu, omnium vestigiis calcandus. Insculptum fuit marmori ejus epiɪphium, & juxta sacelli ostium parieti insertum: quod tamen, teste ,eopoldero, *ob antiquitatem & negligentiam successorum sic oblitteratum est, ut ullâ potuerit industriâ reparari.* Sacellum ipsum, ut superiùs indicavimus, estructum fuisse videtur ab Udalrico Abbate circa annum 1282. Neesse est igitur, jam antea Walthonis corpus ex eo translatum fuisse ad ɔcum honoratiorem. De hac translatione Stephanus noster scribit: *icitur hic devotus Pater in vita & post obitum multis claruisse miraculis: quapro-ter ne tam sancta Reliquia vulgi tererentur pedibus, de eo loco ejus levatum est sa-um corpus, & in sepulcro elevato retro altare omnium sanctorum honorabiliùs nditum.* Hucusque Stephanus de sepultura, & translatione, qua relaı subjicit: *in cujus sepulcri lateribus, picturis appositis ostenditur, quibus idem nctus Pater post obitum miraculis claruerit.* Utinam diem & consulem, quo æc facta sunt, scriptor nuntiâsset! Utinam saltem Henricus, Casparus, Volfgangus, Abbates cæteroquin vigilantissimi, sub quibus Stephanus ixit, curâssent servari, vel tandem in ectypo ad posteros mitti miracuɪrum tabulas in utroque sepulcri latere positas, quas author ipse vidit, ec tam citò interituras, prævidit! Verùm temporum illorum acerbiɪti potiùs condolendum, quàm Præsulibus in restauranda varia tam temoralium quàm spiritualium ruina occupatissimis irascendum.

Satis est ad Walthonis gloriam per quadringentos, & sexaginta jam ɪnos sub ipso altari ferreis perspicuísque clathris circumdatum ab omniɪs spectari & honorari sepulcrum ejus, duobus è terra pedibus exstans, ɪm imposito lapide, qui sancti Abbatis effigiem, licet sine radiis, exhiɪt. Præcipuè cùm à tot sæculis nemo Episcoporum reclamaverit, ipɪrúmque silentio approbatus fuerit sepulcri honor, imò etiam auctus ıdies, cùm circa annum 1620. quo Raderus Bavariam sanctam molieɪtur, sic ad eundem à monachis nostris scriptum legatur: *corpus ejus agno honore levatum, & in medio Ecclesiæ majoris*, ubi nunc ara Crucifixi, *tro altare omnium Sanctorum translatum est, & sepulcrum magno lapide obductum, rca quem octo magnæ candelæ adhuc* (adeóque à longo jam tempore) *haben-r, & festis singulis diebus videntur accensæ.* Mox de miraculo aquæ in viɪum mutatæ subjicit: *in cujus rei memoriam posteris recolendam vitrum adhuc, alia sacra vasa monasterii, in sacristia reservatur.*

Et

Et profectò admiratione dignissimum est, quòd vitrum istud, res tam fragilis, inter tot manus non ejusdem dexteritatis, inter tot casus adversos vel ad ipsius monasterii interitum suffecturos, in sexcentos ferme annos servari illæsum ac integrum potuerit. Ex illo in cœna Domini ad mandatum, & in festo S. Joannis Evangelistæ bibitur: imò & advenis porrigitur, præcipuè Lauinganis, qui cum summa reverentia per ordinem accedunt, & oblationem in honorem Walthonis singuli faciunt.

Sanctitatis famam auget, quòd inter alias reliquias, quarum catalogum sesquicentum annis antiquiorem habemus, sic legitur: *S. Epimachi Martyris, S. Gordiani, dens Walthonis Abbatis, reliquiæ Dorotheæ Virginis & Martyris.* Quis auderet ejus dentem inter tantorum sanctorum lipsana recensere, nisi de antiqua sancti nominis possessione certus esset?

Non erat ejus ævi consuetudo, protinus apud summam sedem pro viri cujusdam sancti canonizatione supplicare. Ex actis sanctorum Bollandianis sæpenumero discimus, contentas fuisse Ecclesias ejusmodi beatorum cultrices anniversario pro defunctis celebrando. Verùm Albertus Abbas noster majus aliquid ausus est, cùm anno Christi 1200. regiminis sui primo, constituit, ut festum S. Joannis Evangelistæ, quo Waltho è vivis decessit, inter summa haberetur: præterea jussit in ejusdem octava duodecim lectiones recitari, cùm antea tres solummodo legerentur. Insuper duos ingentes magno pretio tapetes comparavit, in quibus acu phrygiâ artificiosissimè depicta erat Apocalypsis S. Joannis, intextis versibus authore Ludovico monacho exornata. Cùm alia causa non pateat, cur Albertus S. Joanni tantos honores tribuerit, credere par est, diem Walthonis anniversarium majore S. Joannis solemnitate illum honorare voluisse.

Cæterùm Walthoni à Radero, Stengelio, Khammio, Gewoldo, Bucelino, Menardo, titulus Beati constanter tribuitur: Stephano Leopolder *venerandus, Religiosus, Deo Dilectus, Beatus*, & multis locis etiam *sanctus* nominatur. Antiquissimum Calendarium Benedicti Abbatis nostri, cui statim ab obitu inscriptus est, & 27. Decembris habet: *obiit piæ memoriæ Waltho Abbas nostræ Congregationis*; qui titulus nulli cæterorum Præsulum tributus fuit.

§. IV.

Analecta de B. Walthone

DIximus, B. Walthonem primò sepultum in introitu capellæ S. Nicolai, atque inde translatum *ad altare omnium sanctorum in medio Ecclesiæ*, quod Stephani nostri ævo non aliud fuit & adhuc est, quàm altare S. Crucis, sub quo hodiedum piissimi hujus Abbatis tumba spectatur. Eminet super hoc altare ingens crucifixi Servatoris effigies, aspectu ipso sacrum horrorem incutiens, grandibus oculis, capillo per humeros ad pectus ferè demisso, coronâ non spineâ, sed ut regiæ solent, aureâ & radiatâ redimitum caput. Crucis truncus non dedolatus & planus, ut plerumque solet, sed nodosus & asper. Antiquissimum cultum hanc iconem habuisse, traditione accepimus, & adhuc devotorum nec pietas nec munera desunt.

Bernardus Abbas centum ferè abhinc annis cùm templum ferè totùm renovaret, huic etiam iconi vetustate labem trahenti, detersa ætatis fuligine, novam formam vivis coloribus induxit, carie exesam ferro firmavit, atque hanc epigraphen vernaculo idiomate aversæ parti affixit, quam latinè sic reddimus: „Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo antiquissima hæc & sancta effigies de novo elevata & „renovata est per Reverendissimum in Christo DD. Bernardum Venerabilis Ecclesiæ & Monasterii Wessobrunnensis Vigilantissimum Abbatem. „Hæc imago pridem in hoc loco ab immemorabili tempore quievit. „Omnia ad majorem Dei gloriam. Amen.

Antiqua traditio est, Walthonem urgente vini penuriâ ad hanc crucifixi Domini effigiem confugisse, Christóque supplicâsse vitro aquâ de Wessonis Fontibus pleno super aram posito, & mox aquam in vinum fuisse conversam. Extant icones æri incisæ Crucifixi effigiem, Walthonem coram ara vitrum manu tenentem & cruce signantem exhibentes. Vitrum ipsum vase & operculo ligneo, holoserico rubro intus suffulto, ad Thassilonis usque Abbatis LV. ævum servabatur, donec anno 1712. Ægidius Praitenaicher Vicarius in Geretshausen ingentem calicem fieri curavit, elegantem sanè, argenteum, deauratum. In operculo exhibetur ara Crucifixi Wessofontana: in aræ medio vitrum: ante aram genuflexus Waltho: ex argento omnia. Ipsa calicis cupa tribus scutis tres per ambitum epigraphas continet. Primum scutum fert Thassilonis Abbatis insignia, in quorum limbo circùm legitur: *Sigillum Thassilonis Abbatis Wesso-*

Wessofontani. Extra insignia hæc est, oblati calicis tempus indicans epigraphe: *tempore Thassilonis Wessobrunnensium Abbatis LV. anno MDCCXII.*

Secundi scuti hæc est inscriptio:

Divo VValthoni
stellæ
post gloriosam miraculis vitam
cœlo insertæ,
Abbati
Wessobrunnensis Monasterii XIII.
ejus Nominis I.
zelosissimo Disciplinæ assertori,
Magno illius cœnobii Archimandritæ,
exiguum munus,
& unà se
dicat, dedicat

Ægidius Praitenaicher,
Vicarius in Geretshausen.

Tertium scutum hanc epigraphen præfert:

Qui repetunt bibulam per pocula crebra salutem,
Nil in se bibuli sæpe salutis habent.
Sanctiùs in vitro certam bibet ille salutem,
qui recolit vitrum VValtho bibendo tuum.

Infra cupam nodus manubrii in tres divisus facies exhibet primâ hoc lemma:

Hìc potâsse juvat.

Secundâ verò hoc distichum:

Hoc vitrum VValtho te consecrante stupebat,
Ut sese in verum verterit unda merum.

Tertiâ demum:

O vitrum tantis etiamnum nobile miris,
Quis volet inde suam non satiare sitim?

Hagiographi Antuerpienses, qui ultra centum jam annos sibi succedunt, in eruendis & vulgandis ad incredibilem Ecclesiæ utilitatem actis sanctorum Authore Bollando occupati, Acta Walthonis desiderant: quorum votis utinam hac scriptiuncula satisfacere possemus! Interim gratulamur illis egregium laboris sui fructum, Bullam Benedicti XIV. Pontificis, qua nuperrimè & laudati sunt, & deinceps plurimum juvabuntur. Bucelinum miror, obitum Walthonis 28. Aprilis assignantem, licèt ipse Raderum alleget, apud quem ex nostris documentis legere debuerat, Walthonem obiisse *ipso festo* S. Joannis Evangelistæ.

Maximas Bollandi asseclis debebimus gratias, si studio nostro contenti, locum inter sanctos & beatos Walthoni dandum censuerint. Quod fieri posset ad festum S. Michaelis Archangeli, cujus honori proprium sacellum ipse Waltho erexit.

Tres tomi Septembris, quos possideo, tam paucos hactenus dies continent, ut facilè ad diem 29. videre possimus Walthonem non solùm, sed & Thientonem sociósque Martyres, ac tandem etiam Diemodem, inter prætermissos saltem, ampliùs memoratam.

Fuit Waltho noster pridem sub altari sepultus. Fuerunt circa tumbam depicta miracula ab eo patrata, tempore Stephani Leopolder circa annum 1498. Asserunt & octo magnæ candelæ singulis festis circa sepulcrum accensæ anno 1600. Non video causam, cur venerationis tam antiquæ signa & luculenta vestigia protererentur. Radero Deus mercedem dabit, qui dictatæ à se iconi Walthonis pereleganti hoc ejusdem elogium subjecit:

Ter binæ fontis quondam rubuere metretæ,
Appositæ Domino cùm sitiêre dapes.
Vitrea VValthoni pariter quoque paruit unda,
Cujus ad Imperium mox liquor erubuit.
Ante tamen, pressit domini vestigia VValtho
Expresśitque sua religione Deum.
Omnia parenti parent: fluit æs, riget unda,
Stat cœlum, medio nox hebet atra die.

CA-

CAPUT VII.

§. I.

De Monachis à Walthone ad Divinum servitium instructis.

1. Cùm scriptores nostri id maximè agendum sibi duxerint, ut monasterii Benefactores posterorum memoriæ commendarent, cæteroquin de prædiis ex eorum hæreditate collatis magis, quàm virtutibus recensendis solliciti, manifestum est multa intercidisse nomina monachorum, virtute, ingenióque illustrium. Quæ cùm singula eruere è momentis nequeamus, sufficiat eos, quos possumus, suscitare, & ad posterorum memoriam commendare.

Primus quem noverimus Walthonis disciplinæ se subjecisse, fuit Norbertus Bernhardi Domini ac Dynastæ de Weilheim filius, Cathedralium Ecclesiarum Augustanæ & Frisingensis Canonicus, qui abjecta summarum dignitatum spe jugum monasticum est amplexus, atque ùt Walthoni Abbati, ita universis fratribus se probavit, ut eum vivo adhuc Walthoni jam successorem animo designarent, illóque mortuo sine hæsitatione eligerent. Quæ Norbertus jam Abbas monasterio nostro præstiterit, inferiùs referemus. Cæterùm Religionem ingresso Bernhardus pater dotis loco adjecit, monasterióque in perpetuum tradidit prædium Aulungense, quod à Pennone de Riffenstein, cui pro 8. talentis hactenus fuerat impignoratum, redemit.

2. HENRICUS & ALBRANDUS germani fratres, filii nobilis matronæ Luitkardis de Ravenstein, Nortberti exemplum secuti & Walthonis disciplinam eodem die, quo ab Ottone Frisingensi sacellum assumptæ in coelo Deiparæ dedicabatur, amplexi sunt. Mater monasterio duo prædia Niderhovense, & Walchoupetense per manum Dieterici de Rote amore filiorum donavit.

3. SIGIBOTO Nobilis du Hunsolgen à Welsone Duce Walthoni commendatus, & benevolè susceptus ad monasterium conversionis socias traxit Adelhaidem Henrici fratris sui viduam, ejusdémque filiam virginem,

nem, cujus nomen intercidit, quæ dulce Christi jugum in Parthenone Wessofontano lubentes subierunt.

4. Alius HENRICUS, alter Bernhardi de Weilheim filius, Norberti superiùs memorati frater, consentiente patre & fratribus suis sæculo apud nos renuntians prædium unum Partenkirchense, & alterum Hettiningense monasterio legitimâ donatione obtulit.

5. Hos omnes prævenerat ADELBERTUS de Rote nobilis adolescens, qui cum fratre suo Reinberto castri Rotensis domino contulit nostræ S. Petri Ecclesiæ prædia in Sliten, Ruffian, Adalbrechtsriete, & Buch. Animadvertet Lector, longè hunc Adelbertum de Rote alium esse ab illo Adalberto de Rota, de quo tanquam plebano Rotensi largior superiùs mentio facta est. Adalbertus monachus noster in antiquo Calendario obiisse legitur die 15. Cal. Julias.

6. Præter hos non solùm plures genere nobiles, sed etiam doctrina & vitæ sanctitate insignes fuisse, qui ad rem divinam, monasticam, litterariam, œconomicam in monasterio tunc peramplo, imò & gemino, procurandam expediti essent.

7. Ex istorum numero censendus est fuisse Adalbero ille, de quo Paulus Bernriedensis in vita Gregorii VII. hæc refert: (a) *Dilectus DEO & hominibus, benedicta memoria Adalbero monachus, & ipse contumelias & terrores ab adversariis Gregorii nostri propter obedientiam Decretorum ejus passus, Herlucam vidisse referebat de quodam Nicolaita, qui carnalibus desideriis inserviens Ecclesiam illam contaminaverat, quæ est in loco, qui dicitur Rota. In illa namque confinia, hoc est, in confinio Noricorum & Alamannorum, quos Lycus fluvius disterminat, non procul distabant mansiones ejusdem venerandi senis, & Beatæ Herlucæ Virginis, multúmque se invicem in Christo diligebant, quia excellentem DEI gratiam in se mutuò recognoscebant.* Nempe *cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris.* Relatio illa Adalberonis erat miserabilis interitus Adalberti Presbyteri & Parochi Rotensis, quem retulimus, cùm de vindicato cælitus Walthone sermo fuisset. (b) Wessofontanum Monachum dixi, tum quòd aliud nostri ordinis monasterium in vicino non esset, Andecensi & Ettalensi nondum condito, Sandaviensi & Siverstattensi jam pridem extinctis: tum quòd opportuna fugæ receptacula offerrent vastæ regiones & silvæ; ex parte Norica Heptatico oppositæ, ubi & lateret, & facilem, si persecutio urgeret, transitum fugitivus in Sueviam inveniret, Welfonis ibidem Schongaviæ dominantis præsidio securus: demum, unde

de ad monasterium ex intervallo aurâ secundâ se reciperet. Oportet hunc Adalberonem vel sermone vel scriptione dissolutos mores insectatum esse severiùs pro zelo suo, ac propterea curis & exilii incommodis fatigatum demum benè meritum succubuisse.

(a) *Apud Boll. 25. Maji fol. 141. col. 2. num. 166.* (b) *Superiùs Cap. V. §. II.*

§. II.

De conversis fratribus Wessofontanis.

PAulus Bernriedensis in vita S. Gregorii laudat progressum Religionis quadratæ. Fuit hæc *per Apostolicam Gregorii VII. institutionem in his regionibus inchoata & feliciter multiplicata* quatuor Religiosorum classibus, primâ videlicet attonsorum Christi servorum, secundâ fideliter illis servientium Fratrum barbatorum: tertiâ *Virginum singulari devotione* jugiter inclusarum, & quartâ aliarum virginum & viduarum regulari moderatione introitus & exitus suos custodientium. (c) Primam Sacerdotes & Clerici, alteram Fratres conversi, *barbati* etiam & *illiterati* vocati, ac religionis habitu induti conficiebant. Tertiam sanctimoniales in claustro seu solitariam, ùt Diemodis nostra, seu communem inter se vitam ducentes, ùt Wulfildis, Gisila, aliæque. Quartam virgines & viduæ modesto habitu in sæculo castè viventes, ut Hadewigis, Herluca, Juditha. Secundæ classi adscribebantur à S. Wilhelmo alii, oblatorum nomine, sæculari habitu utentes, quorum ministerio in multis uti rationabiliter S. Abbas consuevit, in his maximè, quæ in medio sæcularium, quò barbatos mittere vel monachos non licebat, peragenda videbantur: (d) Alii item, qui confraternitate gaudebant ob singularia in monasterium merita, & familiares & quasi domestici habebantur, suffragiis monachorum etiam post mortem juvandi. (e) Horum memoria fit in statutis nostris per Visitatores Provinciæ Moguntinæ relictis sub rubrica: *pro Confratribus & sororibus non religiosis.* (f) Ibi indicatur non solùm, quid pro singulis in divinis Officiis pro iis fiat, sed etiam quid ex parte ipsorum nos mutuò desideremus. Spondentur enim præter communia officia etiam peculiaria, *si aliquis talium bona sua in vita aut in morte monasterio obtulerit, aut aliàs beneficus vel multùm proficuus fuerit*, aut *recommendator*, qui nempe commendare monasterium, ejus famam tueri, commoda promovere laboraverit.

2. Plures ex horum classe inscripti inveniuntur Calendario Benedicti Abbatis, sicut pridie Idus Januarias Dietericus, quarto Nonas Februarias Kounradus, 17. Calendas Majas Helinprecht Conversus. Istos non fuisse claustrales, patet ex eo, quòd claustralibus addi consueverit hæc clausula: *nostræ congregationis*; non item quæ exteris: distinctio patet inter Conversas; non enim additur in Itta, in Hadevvica, & aliis fæminis Conversis, sed solùm iis, quæ in claustro vixerunt, uti ad 12. Calend. Jun. Merigart Conversa n. c. & ad 6. Cal. Julias Susanna Conversa nostræ Congreg.

3. Inter cæteros ejusmodi Conversos in sæculari habitu foris commorantes, & procurandis monasterii commodis intentos, facilè clarissimus fuit Werinhardus de Stauffen. Antiquum & Illustrissimum hoc genus magno labore describit Hundius, & quidem de documentis Wessofontanis: in quibus tamen Werinhardum hunc non allegat, sed filium ejus Henricum, nepotem verò Werinhardum, & Mechtildem filiam. Non vidit autem, jam ante filium Henricum commemorari ejusdem patrem Werinhardum, hunc ipsum, de quo nobis sermo. Hujus donatio pro sorore sua Richinsa ad monasterium nostrum recepta his verbis à Stephano nostro ex veteri traditionum libro recitatur: „ omnium fidelium memoriæ commendamus, quomodo Werinhardus nobilis de „ Stauffen, Ecclesiæ Wezzinsbrunnensis Advocatus, pro dilectione „ sororis suæ Richinsæ, quam ipse spirituali vitæ in eodem loco tradiderat, nec non pro redemptione animæ tam suæ, quàm parentum suorum, prædia quæ ad Hohenmos & Durchhofen justè possederat, cum „ manibus uxoris suæ & fratris sui ad altare S. Petri tradiderit cum mancipiis eisdem possessionibus attributis, fratrum ibidem DEO servientium usibus perpetuò profutura. „ Sicut in Hundio nulla Werinhardi, vel uxoris memoria, ita nec apud nos posteriorum istorum nomina.

4. Werinhardum nostrum fuisse virum timentem Deum, & Christianæ æquitatis studiosum, ex donatione tam liberali patet. Neque obscurè colligimus, eum Advocati munere paulò pòst se abdicâsse, memorem Cæsareorum mandatorum de abrogandis Subadvocatis, quibus monasteria mirè gravabantur. (g) Par enim est credere, ipsum Werinhardum fuisse majoris Principis Subadvocatum, sicut ex diplomate Friderici I. Imperatoris colligitur, Henricum Saxoniæ Ducem tunc Advocatum fuisse, cùm tamen Henricus de Stauffen eodem officio abuteretur. Atque utinam iste patris vestigia secutus aut renuntiâsset muneri, aut modestiùs illud gessisset. Querelas post istius mortem exortas, de quibus Hundius aliquid

aliquid tangit, (h) alibi fusiùs referemus. Ejusmodi negotio tempestivè se extricavit Werinhardus pater, ex Advocato factus Conversus & familiaris noster. Vix dubitem, quin, Richinsæ sororis exemplo & hortatu, mundanæ vanitatis horrorem conceperit, totúmque se Dei servitio consecrârit. Ejus memoria in sæpè nominato Benedicti Abbatis Calendario nobis commendatur die octava Calendas Apriles; id est, ipso festo Annunciationis Beatissimæ Virginis, his verbis: *Obiit Werinhardus conversus & Advocatus.* Aliorum ejusmodi Conversorum nomina jam recitavimus, alia in eodem Calendario inveniuntur: quæ à nobis adduci superfluum est, cùm acta nesciamus.

5. Unus tamen nobis relinquitur memorandus Henricus Anachoreta, de quo sollicitè inquisivit, & elegantissimè, quæ potuit, scripsit in Bavaria sancta Raderus. (i) At jam non opus est illius testimonio, postquam hoc primùm anno certissima hactenus scripsit eruditissimus quidam Canonicus Regularis Beyrbergensis. Non prodidit iste nomen suum: propterea, licèt illum noverim, coætaneum meum, in scholis monacensibus olim celeberrimum, ac sicut tunc latinæ ac græcæ, ità nunc gallicæ & italicæ linguæ peritissimum, parco tamen viri modestissimi verecundiæ. Edidit ille libellum de Icone Deiparæ Thaumaturgæ apud S. Henricum ad lacum Vermium, in eóque de sancto isto ita luculenter scripsit, ut nemo ante ipsum luculentiùs.

6. Visitur ad lacum jam dictum silvestri loco Ecclesia ab antiquo S. Henrici nomen adepta, nec aliter nisi ab ipso denominatur. Huc ille relicto sæculo profugit, solitudinem elegit, Deiparæ Filium de cruce depositum gremio gestantis effigiem sculptam detulit, sacello reposuit, ex taguriolo suo quotidie invisit, & tenerrimè coluit, imitatus in hoc, ùt ait Author, sanctum Patrem suum Benedictum, monachorum & eremitarum Patriarcham, cujus legibus sese addixerat. (†) Ibi vitam mira austeritate duxit, ac mortuus sepulturam elegit. Ligneo sacello successit lapideum, ac denique spectabilis ecclesia, quæ semper S. Henrici vocabatur. Tanta erat virtutum ejus existimatio.

7. Sepulcrum ejus succedentibus annis sic oblivioni traditum fuit, nemo ut vestigium ejus nôsset. Casus, imò divina providentia prodidit: Ut omnia consumit ætas, ità sedilia templi cum tempore tum carie exesa, tum humore putria hinc inde sic corruerant, ut reparationem flagitarent. Consultum igitur perennitati ibatur, ligno firmiori nova sedilia fabricabantur: at, plerisque jam structis, uno loco fallebat operas repetitus labor,

labor, dum, quod fecerant, per noctem denuò constructum inveniebatur. Subiit prudentiores cogitatio, latere in illo loco S. Henricum, & repertus est. Quare Everardus Præpositus, qui anno 1619. præesse Beyrbergensi Collegio cœpit, (k) æternitati sepulcri consulturus, tumbam S. Henrico erexit, quam à me non visam author meus similem ferè dicit illi, quam Raderus de S. Henrico Bauzanensi exhibet, (l) ac eam deinde accuratè, qualis est hodie, describit. Vereor, ut latino sermone germanicam descriptionem assequar.

8. Divi istud Henrici monumentum in justam altitudinem assurgit, amplum illud, & grandi lapide in cinericium colorem declinante opertum, cui procerâ viri formâ insculpta cernitur effigies, S. Henricum eremitica veste indutum exhibens: caput mitellâ tectum, & insuper jubare seu rotundo diademate cinctum in signum sanctitatis: brachia supra pectus decussata: barba, ut silvicolæ, promissa: manu dextera crucem præfert, sinistrâ corollam Marianam cum cruce dependula. Summo limbo lapidis insculptum legitur: B. HENRICUS. A dextris spectantur insignia monasterii Beurbergensis, nempe claves & glaudius, illæ Petri, iste Pauli, tanquam loci Patronorum, inscriptis supernè litteris: C. B. puto, Collegium Beyrbergense. Infimo lapidi insculpta est arbor & fiber, quibus ecclesiæ S. Henrici situs indicatur, ut arbor silvestrem locum, fiber aquaticum animal proximum lacum indicaret. In sinistro latere Everardi Præpositi scutum est, vir cum scipione infima parte crucem exhibente. Subjicitur ichnographia veteris monasterii cum aliis ædificiis, supernè positis litteris: E. B. quod interpretor: *Ecclesia*, vel *Eberhardus Beyrbergensis*. Subscriptio lapidis hæc est: *Hic cippus ab Adm. Rev. D. D. Everardo Præsule Beyrbergensi positus B. Henrici corpus ornat.* In infimo limbo inter flores, qui totum lapidem cingunt, hæ litteræ spectantur: P. H. quas interpretatur Author: *Patronus Henricus*. Quatuor sepulcri angulos circumdant paris ferè altitudinis crates ferreæ eleganter fabricatæ ad servandam à plebis injuria sepulcri integritatem.

9. Cæterùm Pius II. Pont. Max. anno 1463. multis hanc ecclesiam indulgentiis locupletavit, quæ in Bulla vocatur *Basilica juxta lacum sita Wegman vocitata, quæ ab antiquis temporibus alio nomine S. Henrici cognoscitur.* Verùm centum triginta novem annis major antiquitas huic ecclesiæ asseritur, dum in eadem Bulla dicitur *è Venerabili Patre ac Domino Friderico Augustensis Ecclesiæ Episcopo renovata*, anno nimirum Domini 1324. (m) quo præfuit Fridericus ejus nominis I. Speth de Türnegg electus anno 1307. mortuus anno 1330. Si tunc renovata tantùm fuit, ergo jam diu antè è

lapi-

lapidibus ædificata, & haud multò post S. Henrici obitum è lignea in lapideam commutata fuisse censeri potest.

10. Viventis Henrici in Deiparam spectata pietas non minùs, quàm sacræ ipsius defuncti exuviæ citò traxêre Christianam plebem, atque ita quidem, ut Henricus omnem honorem Dolorosæ Matri cessisse videretur mortuus, à qua tantos favores & solatia solitudinis acceperat vivus. Factum est ergo, ut cultus Deiparæ memoriam Henrici pæne opprimeret, nisi solo eam nomine nuncupata ab ipso Ecclesia in hodiernum diem conservaret. Hoc ipsum, & mirabilis illa sepulcri ejus revelatio (n) ex ejus miraculis superest, præter quæ aliud nullum exhibent vetera documenta. Quare & nobis jam silendum, cùm cætera omnia, quæ author meus mirabilia scribit, ad Deiparam spectent.

11. Curam Parthenii cultûs in hac Ecclesia ducentos & ampliùs abhinc annos suscepêre & adhuc exercent RR. DD. Canonici Beyrbergenses, eorúmque Reverendissimus Præpositus à Serenissimis Bavariæ Ducibus perpetuus Ecclesiæ S. Henrici sacellanus dudum appellatus est, licèt monasterium illud, dimidio milliari dissitum, ad diœcesin Frisingensem, S. Henrici verò Ecclesia ad Augustanam pertineat, ut patet ex Bulla Pii II. PP. & Parochiali Ecclesiæ Iffeldorffensi tamquam matrici filia sit subjecta. Sanctum ergo Henricum ut Conversis nostris jungerem, non me induxit persuasio, ipsum in claustro nostro aliquando vixisse; bonorum verò operum communione nobis conjunctum fuisse, indicare videbantur antiquissimo Calendario nostro inscripta hæc verba: *sexto Idus Martias*, id est, decimo die Martii, *Heinrich Conversus obiit.* Denique S. Heinricus eo jure nunc noster est, quòd ipsius Ecclesia circa cultum Marianum quidem curetur potissimè à Beyrbergensibus, circa regimen autem animarum subsit rectori Ecclesiæ Iffeldorffensis, quæ nobis à Serenissimo Alexandro Sigismundo Episcopo Augustano dudum concessa, sub moderno Serenissimo DD. Josepho Episcopo primum Pastorem Religiosum ex monasterio nostro Wessofontano accepit.

(c) *Boll. 25. Majii f. 141. col. 2. n. 108.* (d) *Trith. Chron. Hirsaug. Tom. I. f. 229.* (e) *Id. ibid. f. 296.* (f) *Collectionem hanc statutorum circa an. 1594. reliquit Joach. Puechauer noster, post Abbas S. Petri Salisb.* (g) *Vid. Diploma Friderici Imp. supra c. 4. §. 4.* (h) Stammen-Buch *P. II. fol. 301.* (i) *Bav. S. Volum. III. f. 143.* (†) *Author fol. 11. & 12.* (k) *Hund. Metr. tom. 2. f. 252.* (l) *Vid. Bav. S. Volum. II. f. 347.* (m) *Typographus ponit annum 1224.*

Verùm tunc non Fridericus, sed Sigefridus III. de Rechberg Episcopus fuit. Fridericus autem sedit ab anno 1307. usque ad 1330. Vid. Hier. Aug. P. I. Cathed. f. 235. & 257. (n) *Vide supra num. 7. hoc §.*

CAPUT VIII.

De Diemode inclusa Wessofontana.

§. I.

Diemodis inclusæ labores litterarii.

1. Virgo hæc variis bibliothecis quondam notissima, diu tamen in lucem publicam non emersit, donec clarissimus Bernardus Pezius ejus nomen & copiosa scripta produxit. (a) Eum statim secuti sunt THURINGIÆ SACRÆ Authores, licèt à Catholicis sacris alieni, candido tamen stylo omnium monasteriorum cujuscunque ordinis acta & fata enarrantes, quæ colligere magno labore sumptúque iis stetisse, nemo non qui legit, intelligit. In descriptione monasterii Gosecensis Henricum Petræum (b) allegant, *Monachis decus servatarum in germania litterarum vindicantem* his verbis: *quando assiduè sollicitèque libros ex maximè dissitis regionibus conquisiverant, conquisitos iterum descripserunt, descriptos magna cura conservârunt, & pro virili quavis occasione Bibliothecas locupletiores reddiderunt.* (c) Postea ad Gosecensem Bibliothecam progressus, & ex Pezio exteras quoque monachorum in hac re operas recensens, etiam libros commemorat, *quos Monialis Diemuda descripsit,* (d) ut adeò virgo hæc jam Saxonibus & Thuringis ferè sit notior, quàm Bojis.

2. Erit igitur operæ pretium omnia Lectori communicare, quæcunque de inclyta hac Calligrapha ubivis scripta invenimus. Scriptor quidam noster anonymus, quem ego Joannem Rosmark fuisse ex causis alibi pandendis suspicor, de Diemude in Collectaneo de viris illustribus ita scribit: „ Diemudis Sanctimonialis Virgo olim hujus monasterii nostri „ Wessoprunn devotissima: fuit enim monasterium nostrum olim du„ plex vel in duo divisum, monachorum scilicet & monialium. Locus „ monachorum fuit, ubi nunc est: monialium verò eo loco, ubi nunc „ est Ecclesia parochialis. (e) Fuit hæc Virgo arte scribendi peritissima, „ licèt

„ licèt enim nullum inveniatur composuisse opus, (f) scripsit tamen „ manu propria multa volumina charactere optimo & legibili, tam ad „ divinum cultum, quam ad Bibliothecam publicam monasterii perti- „ nentia: quæ quodam Indice à se scripto (g) in quodam Plenario notantur: nam in eodem Indice notantur sequentes libri ad divinum cultum pertinentes &c.

3. Divisionem hìc expressam in libros alios ad cultum divinum, alios ad Bibliothecam publicam pertinentes author Collectanei invenit suopte ingenio: Catalogum verò suis verbis, & clarioribus quidem interpolavit. Ego qui antiquiorem Ludovici monachi eodem ferè sæculo scriptum ob oculos habeo, eundem in gratiam antiquitatis ex Ludovico recitabo, Anonymi interpolationibus majoris claritatis gratia adjectis. Itaque sic Index in *Plenario*, qui est Evangeliorum liber, à Ludovico conscriptus sonat:

Isti sunt libri, quos scripsit, & S. Petro tradidit
Diemot ancilla Dei.
Liber Missalis cum sequentiis.
Alius Missalis, qui datus est Episcopo Trevirensi.
Missalis cum Evangeliis.
Alius Missalis cum Baptisterio integro.
Missalis cum Epistolis & Evangeliis.
Missalis sine Epistolis & Evangeliis.
Alius sine Epistolis & Evangeliis.
Officialis Liber.
Alius cum Baptisterio, qui datus est Episcopo Augustano.
Liber cum Evangeliis & Lectionibus.
Liber cum Evangeliis.
Liber cum Epistolis.
Graduale cum sequentiis.
Matutinale duo volumina.
Cæremoniarium unum.

„ Prædicta volumina (pergit Anonymus) scripsit, ùt dictum est, ad or- „ natum & utilitatem divini cultus: sequentibus verò Bibliothecam or- „ navit, de quibus tantum ea adhuc in nostra Bibliotheca habentur, quæ hìc Paragrapho signata sunt; nam reliqua aut incendio monasterii, quod, ùt fertur, bis conflagravit, (h) aut negligentiâ & ignaviâ sequentium monachorum perierunt & amissa sunt. Notantur etiam

etiam in præfato Indice libri sequentes ad Bibliothecam pertinentes:

Bibliotheca in duobus voluminibus.
Alia in tribus voluminibus, quæ data est in pretio predii ad Bisinberc.
Moralia S. Gregorii in sex voluminibus.
Gregorius ad Recharedum.
Gregorius super Ezechielem.
Homiliæ SS. Patrum in 3. voluminibus.
Origenes super vetus testamentum.
Origenes super Cantica.
Augustinus super Psalterium in 3. volum.
August. super Epistolam & Evangelium S. Joannis.
Epistolæ S. Augustini in uno volumine.
Augustinus de variis, ubi agit de sermone Domini in monte. de opere monachorum. de Agone Christi. Corona victoriæ non promittitur, nisi quis certaverit. de adorando Deo. de Professione viduitatis. de Bono conjugali. de Virginitate.
Augustinus contra definitiones.
Enchiridion.
Tripartita Historia, duo volumina.
Ecclesiastica Historia.
Epistolæ Hieronymi & Augustini: aliorumque.
Hieronymus de laude Virginitatis.
Epistolæ Hieronymi.
Quinquaginta sermones S. Augustini, in quo etiam continetur vita sancti Sylvestri. Hieronymus contra Vigilantium. Hieronymus de consolatione mortuorum. Vita S. Basilii, & S. Joannis Eleemosynarii.
Pascasius de corpore & sanguine Domini. Conflictus Landfranci contra Beringerum de sacramento Eucharistiæ.
In eodem. Passiones Martyrum Dionysii, Mauritii, Alexandri, & Stephani.
Joa. Chrysostomus de lapsu &c. unum volum.
Hieronymus de Hebraicis Quæstionibus.

Confes.

Confessionum libri S. Augustini.
Canones unum volumen.
Glossa per a. b. c. composita de ignotis nominibus.
Plenarium unum.
Liber Prophetarum.

4. Addit anonymus de suo & concludit: *Hæc sunt volumina à præfata Ancilla DEI* (i) *Diemude propria manu exarata in laudem Dei & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli patronorum hujus monasterii* Wessofontani. *Quæ autem tempore floruerit, nusquam invenire potui, cùm in omnibus voluminibus à se scriptis ex humilitate (ùt piè creditur) tam nomen proprium, quàm tempus, quo ea finierit, ponere neglexit.* Dubium hujus anonymi, quo tempore Diemodis vixerit, clarissimus Pezius ex Catalogo Abbatum Wessobrunnensium, quem à Stephano Leopolder Monacho Wessofontano descriptum, ab eóque monasterio Tegernseensi cum superiorum facultate traditum, ibidem invenerat, solvere existimavit, dum ibidem scriptum invenit, *quòd tempore Gregorii Papæ VII. claruerit inter cæteras sacras virgines Diemut Virgo & Monialis S. Petri in Wessobrunn.* Amplissimè sumendum hoc tempus est, & in sæculum usque duodecimum extendendum, in quo nondum omnino soluta erat quadratura seu quadriga illa virorum, à Gregório VII. inchoata in defensionem Ecclesiæ, sed defunctis ejus capitibus nova identidem succedebant, viri, inquam, Apostolici diversæ Religionis & ordinis, quales erant Udalricus Episcopus Passaviensis anno 1124. Theodoricus ex Abbate S. Georgii Episcopus Metensis, 1118. electus; Waltharius Ravennatensis Episcopus, 1144. defunctus; ex venerabili clero Paulus Berenriedensis, & alii multi pro disciplina Ecclesiastica & Gregorii VII. legibus viriliter decertantes, donec tandem causa justa tot fulcris firmata triumpharet.

5. Vixit magna parte sæculi 12. beata Herluca, ut infrà ex Bollando dicemus, Eptatici habitans, loco unum tantum milliare à monasterio nostro & Fonte Wessonis dissito, per annos circiter triginta sex, donec à rusticis inde pulsa Berenriedam (latiniùs Beronicam) ad Paulum se reciperet, ubi non diu supervixit, anno circiter 1142. Priorem ætatem ultra Danubium in Suevia transegerat, ubi S. Wilhelmi Hirsaugiensis Abbatis jam senis discipula fuit. Si ergò Codici illi Tegernseensi, ut Pezio & nobis certum est, adhibenda sit fides testanti, mutuas inter Diemodem nostram & Herlucam epistolas fuisse scriptas, Eptaticum à Diemode, ac Eptatico ad Diemodem scriptæ fuerint necesse est; unico enim milliario distabant; atque adeò, non vivo etiamnum Gregorio VII. sed diu pòst,

commercium epistolare habuisse, cùm Eptatici Herluca viveret, quamvis ultra Lycum, sed in ipsa ferè fluminis ripa, ideóque Diemodi vicinior. Quodsi dicas, Bernriedæ posthac versanti Herlucæ communicâsse Diemodem, ulterius extendes Calligraphæ nostræ ætatem, & 60. ferè annos ultra mortem Gregorii Papæ: accedit, quod & vicinior sit Eptaticus Fonti Wessonis, quam Lacui Vermium, cui assita est Bernrieda. Ex mutuis igitur his epistolis, & scribendarum occasione ac tempore, Diemodis ætas colligitur, quæ licèt Gregorii Papæ anno 1086. defuncti ætate nata jam, imò & Monacha esse potuerit, non tamen cum Herluca, adhuc ultra Danubium commorante, commutare epistolas. Verùm hæc de ætate Diemodis nostræ disputata jam satis.

6. Operum Diemodis manu exaratorum considerationi nonnihil dandum est. Virgo tenella & à prima ætate intra claustri muros versata, tenui, ùt ossa docent, debilique corpusculo, victu tenuiore, vigiliis emaciata, in oratione frequens, tantum nobis vastorum voluminum thesaurum reliquit, quantum vix ulla Ecclesia unius vel viri manu scriptum poterit ostentare. Clarissimus P. Bernardus Pezius Diemodis effigiem supra sepulchrum in templo nostro aspiciens quo animo fuerit, his verbis fatetur: *quam*, inquiens, cùm attentiùs contueremur, si-
„ múlque elegantissimos Diemudis Codices, quos paulo ante in Biblio-
„ theca plerosque adhuc superstites inspectavimus, ad animum referre-
„ mus, vix lachrymas ambo continuimus, ut quos ne unius quidem Vir-
„ ginis labores hactenus æquâsse vehementer puduerit. Qui animo-
„ rum nostrorum æstus multò acriùs efferbuit, dum nostri temporis
„ Monialium labores cum Diemudis aliarúmque priscarum nostri Ordinis
„ Virginum monumentis componeremus. Nempe pretiosæ nugæ nobis
„ visæ sunt illarum occupationes ad harum opera, ex quibus non ligna
„ & saxa, vestes & metalla ad paullulum temporis acciperent splendo-
„ rem, sed literaria sequentium sæculorum Respublica universáque Ec-
„ clesia egregiè proficerent.

7. Parciùs de Bibliotheca nostra Mabillonius scribit: dum ait: *In Bibliotheca non multi supersunt codices antiqui.* Addit tamen: *plerosque ante annos quingentos descripsit Diemoth sanctimonialis: quo nomine exstitit sæculo decimo apud Saxones Demoth Abbatissa Winethusinensis* (x). Fatemur, multos desiderari codices; plures autem adhuc servari gloriamur. Et quantum quidem ad libros divinis officiis servientes attinet, tametsi nonnulli ad operienda nova volumina viderimus adhibita, postquam typographia invaluit, certum tamen est, quosdam honorarii & gratitudinis causâ Episcopis,

ùt

in Treverensi & Augustano; alios aliis benefactoribus fuisse donatos; erant enim tanto in pretio, ut pro unico volumine opulentum prædium donaretur, velut patet in prædio Peissenbergensi. Et cùm copia ejusmodi sacrorum librorum nobis esset, dubitari vix potest, quin aliqua exemplo S. Wilhelmi Hirsaugiensis, ad alia monasteria exiliora & recens fundata, ad usum divini cultûs transmissa sint. Quantum verò ad reliquos, dico, quod Pezius, *plerasque adhuc superstites* esse: licet negare nolim. Principum quoque gratiæ posterioribus annis quosdam datos, non sine fructu: illud dolendum, non paucos benevolè commodatos non ampliùs ad arcam cum columba rediisse, qua super re suspirare magis licet, quàm querelas movere. Quàm verò bono usui nunc essent! quanta lux historiæ effunderetur! quantopere illustrarentur Principum stemmata, Episcoporum gesta, medii ævi Geographia! quam confunderentur heterodoxi, obtrusâ sibi antiquissima S. Scripturæ sinceritate! & necdum de ortu progressúque monasteriorum dixi. At jam tempus est de venerabilis Diemodis nostræ virtute disserere.

(a) *Tom. I. Anecd. Dissert. Isag. fol. XX. num. 37.* (b) *De monasteriis German. p. 4.* (c) *Thuring. sac. fol. 623.* (d) *ibid. fol. 624. col. 2. notâ c.* (e) *nempe à Capella S. Michaëlis ad Eccl. Parochialem pertingens.* (f) *Amœbæas cum Herluca litteras ignoravit hic scriptor.* (g) *Non ipsa, sed Ludovicus monachus Catalogum hunc scripsit.* (h) *In documentis adhuc residuis nulla uspiam incendii mentio fit, nisi unius cameræ in pistrino, initio sæc. 16.* (i) *Eumdem titulum Ludovicus monachus sæculo jam 12. Diemodi tribuerat.* (k) *Tom. 4. Vet. Analect. fol. 27.*

§. II.

Diemodis inclusæ encomia virtutum.

1\. Quamquam de genere, patriáve Diemodis nihil certi statuere liceat; quin tamen annos multos in monasterio nostro vixerit, multitudo librorum ab ipsa scriptorum dubitare non sinit; da enim virum, qui tot vasta volumina paucorum annorum labore conscribat. Quòd inclusa vixerit, tam vetus Calendarium, quam plumbea tabella in tumulo reperta testantur: fuit ergo de ordine Inclusorum, eorúmque regulas ex S. Benedicti consilio observavit, norma monasticâ & anachoreticâ severiores. Eas latinè legere licet apud Raderum, (a) germanicè apud Fortunatum Hueber. (b) Instituti austeritas in viris admirabilis

mirabilior videri debet in fœminis: quales tamen multas Bavaria nostra undecimo & sequente sæculo numeravit. In monasterio S. Emmerami S. Aurelia, in Altachensi Salome & Juditha, in Hochenwarthensi S. Richild's, in Admontensi Ven. Agnes Wolfratshausia, Diemodem nostram propositi tam austeri vel ducem vel sociam habuère. Neque enim sterilis fuit inclusarum *solitudo, sed germinavit & floruit sicut lilium*. Nam & Humbertus Viroduni antea inclusus demum cœnobiticæ vitæ se dedit, & Tulli Abbas S. Apri est factus: & Beata Rothildis ibidem inclusa, mater plurimarum ancillarum Christi postea facta est Buxeriæ, ubi multiplex deinde ex diversis mundi lateribus sancti fervoris se agmen infudit. (c) & B. Agnes Wolfratshusia ad Montes inclusa nobile deinde Hohenburgi monasterium reformavit, ac disciplinæ rigorem exemplo & doctrinâ induxit. (d)

2. Quidquid de Diemode alius dixerit, unam certè ducem eam habuère omnes sanctimoniales Wessofontanæ; non enim uspiam ante Diemodem, quæ nominetur, ullam in monasterio nostro legimus virginem vel mulierem Deo serviisse: imò vero simillimum est, Diemodis exemplo excitatas alias ad Clausuram, mitiorem licèt & ex aliarum societate tolerabiliorem, properâsse, maximè Walthone Præsule, sub quo prima de Parthenone fit mentio. De similibus sermo nobis alibi. De Diemode nobis nunc dicendum. Perpetua illa solitudo, nec liberioris auræ, nisi per fenestellam, captatio, vel ferreis veterum Anachoretarum thoracibus graviora videri Virgini adolescentulæ potuerunt. Preces plurimæ solitariis ejusmodi in singulos dies indictæ magnam sibi diei noctisque partem vindicârunt. Quidquid laboris inclusæ & scriptionibus fatigatæ incumberet, tribus tamen per hebdomadem diebus rigidum servandum erat jejunium, ac ab omni cibo abstinendum, aqua & pane exceptis: carne & vino perpetuò interdictis, cibus non alius nisi quadragesimalis, & unicus quidem: lautitias exhibebat pomum, si adesset. Focus aspera hyeme non alius, nisi candela, cujus ardore simul frigus temperaret: pro vestimento tunicam simplicem, hyeme cum sacerdotis licentia pelliceam gerere, lecto in tumuli formam elevato cubare, operimento foliis vel vimine pulvinari cannis palustribus farto cubare, jubebantur. Atque hæc omnia Diemodis non patienti solùm sed læto etiam animo tolerabat.

3. Geminum tamen illa solatium ex hac solitudine capiebat, ac primò quidem opportunitatem vacandi divini sponsi sui amoribus per altissimam contemplationem, cui materiam subministrabant sacræ Scripturæ, &

& SS. Patrum commentationes, quas dum scribebat, ipsa scribendi solertia attentionem, attentio intelligentiam pariebat, divinis haud dubiè illustrationibus adjutam: ut adeò nihil attenderet molestias & macerationes corporis, cùm animus cœlesti illustratione mulceretur. Alterum solatium fuit facultas loquendi, angustis quidem trium horarum spatiis circumscripta, à Nona videlicet Canonica usque ad Vesperas: his utebatur tum ad capiendas Abbatis sui doctrinas, ad fratrum & sororum consolationem, & in divino servitio confirmationem: tum ad exterorum quoque salutem, quorum non pauci ejus alloquio & exhortatione excitari ad pietatem cupiebant, nec sine dolore, quamquam non sine fructu, ab ipsa recedebant, cùm statutum tempus moneret.

4. Foras quoque zelum suum extendebat Diemodis, tum rogata, tum propria charitate impulsa: & quod ore non poterat, per epistolas præstabat. Exemplum unum ex Codice Tegernseensi, cujus apographum apud nos est, rem totam elucidabit. Id his verbis describitur: *Extant adhuc epistolæ suaves valdè in monasterio Beronicensi per ipsam* (Diemodem videlicet) *ad Herlucam Virginem sanctam missa, & iterum ipsius Herlucæ vice versa transmissa, quibus se mutuò recreârunt exhortationibus charitativis, in Domino exhortando se confortantes.* Quo cæli nectare redundaverint hæ epistolæ, illæ intelligent animæ, quas cœlestis sponsus introduxit in interiora cellaria sua: nobis divinare licet, non comprehendere.

5. Sæpiùs jam nominavi virum, qui in suo per Bavariam itinere, quo Benedictinas maximè antiquitates inquirebat, ad S. Quirini Tegerano Lacui assitum monasterium pervenit, ibique ex Codice decimi sexti sæculi de mutuis inter Diemodem nostram & Herlucam epistolis narratam primùm historiam invenit: (e) delatus indè Benedicto-Buram, humanissiméque exceptus, persuaderi sibi passus non est, ut ad Ettalense monasterium, ubi Placidus Abbas præstantissimus idémque eruditissimus illustre nobilium adolescentulorum Gymnasium condiderat, diverteretur; sed epistolarum Diemodis & Herlucæ desiderio Beronicam festinavit, pretiosum in illis thesaurum inventurus, nisi adversa fata, Suecorum irruptione, quævis pulcherrima possessoribus eripuissent. Itaque fortunæ imputanda est tam nobilis gemmæ amissio, quam possessam olim fuisse negare nemo, nisi impudentissimus posset.

6. Non ambiit famam vel grande nomen Diemodis nostra, quæ nec ipsis codicibus tanto à se, támque diuturno labore exaratis nomen suum uspiam seu præfixit seu subjunxit, ne annum quidem, quo scriptum

 aliquod

aliquod vel cœperit vel finiverit, quod aliis inferioris ordinis scriptoribus postea familiare fuit, atque adeò humilitas ipsius in indaganda tam præstantis Calligraphæ ætate laborem nobis facessivit. Verùm, quod ipsa declinavit, ne *secundum nomen suum*, quod humilitatem nobis significat, esset & *Laus sua*, idem maximè obtinuit, per Mabillonium ad Gallos, per Pezium ad Saxones & Thuringos, imò Germanos omnes & Italos, propagata Virginis famâ.

7. Addidit, imo pridem occupavit posterorum encomia ipse Deus, ancillæ suæ merita statim ab ipsius obitu fidelium venerationi commendans; nam inprimis quanta fuerit virtutis ejus existimatio, colligi potest ex sepultura, quam accepit in medio antiquissimi sacelli Beatissimæ Virginis, prope sepulchrum SS. Martyrum Thientonis & sociorum, tenui muro inter utrosque intercedente, cum tabula plumbea, quæ non solùm præclara Virginis merita in Bibliothecam nostram, sed etiam pietatem & pœnitentiæ professionem prædicat. Est autem tale plumbo inscriptum encomium:

III. Kal. Aprilis obiit pie memorie Diemut
inclusa, que suis manibus Bibliothecam S. Petro
hic fecit.

Cui adjecta est anno 1709. die 7. Novembris, quo ossa Virginis ex illo veteri sacello in templum S. Petri translata sunt, alia tabula, hanc epigraphen ferens: *Beata Diemut hujus loci monialis inclusa, que proprio eoque insigni charactere integram Bibliothecam conscripsit, anno 1707. 5. Aprilis in capella B. V. M. inventa, atque 1709. 7. Novemb. à Thassilone Abbate LV. huc translata est.*

8. Magnum de Diemodis sanctitate præjudicium suggerit Ludovicus monachus ejusdem sæculi scriptor & monachus, dum eam *ancillam DEI* vocat his verbis: *Isti sunt libri, quos scripsit, & S. Petro tradidit Diemot ancilla DEI.* (f) Cujus vestigia premens Anonymus in collectaneo virorum illustrium anno 1513. conscribi cœpto catalogum librorum Diemodis concludens ita scribit: *hæc sunt volumina à præfata ancilla DEI Diemode propria manu exarata &c.* Cùm ergo stylo summorum Pontificum, qui appellatur *servus DEI*, is censeatur, pro cujus beatificatione proximè agi & supplicari valeat (sicut non alio sensu modernus sanctissimus Benedictus XIV. Innocentium XI. *servum DEI* vocat.) eodem gradu tituloque dignam Diemodem jam antiquitas duobus hisce testimoniis censuit.

9. Acce-

9. Accedit, quòd circa annum Domini 1227. *Conradus Pozzo, humilis confrater S. Petri in Wezzinsprunnen* (qualem se ipse vocat) Abbate Conrado consentiente instituerit, ut singulis annis *in anniversario beatæ Diemodis &c. in capella sanctæ Mariæ V. ubi corpusculum præmissæ Diemudis est humatum, major Vigilia, & missa defunctorum in mane cum universo conventu solemniter celebretur.* Instrumentum integrum suo loco recitabitur. Interim de corpore Diemudis addere quædam liceat. Diximus suprà (g) tenui illam corpore fuisse, & nunc ex Conrado audivimus, ubi *corpusculum* ejus requieverit. Audiamus & vivum testem, qui vidit atque ita descripsit: *prope illa*, nimirum Thientonis & sociorum ossa, *inventa sunt ossa, tenui muro distincta, piæ monialis Diemut, omnibus adstantibus suavem quemdam odorem afflantia, etiam priusquam terra fuerit penitus effossa jacebant ordine naturali, prout cadavera jacere naturaliter solent.* Et paulò pòst, ubi translatio eorum describitur: *sunt hæc ossa pleraque integra: caput fermè nihil læsum: hærent fixi plurimi dentes: sunt tenera.* Ita Ephemerides Reverendissimi DD. Bedæ, hodie Abbatis, qui translationi hujus Virginis, sicut & septem Martyrum ipse interfuit, atque hæc, ut præsens vidit, ita posteritati scripta reliquit. Cæterùm in Necrologio vetustissimo ad diem tertium Calendas Apriles annuntiatur: *Obiit bonæ memoriæ Diemouth inclusa.*

Consideranda lectori relinquo, quæ apud Hagiographos Antverpienses reperio. Guilielmus Cuperus ad probandum B. Gothalmi cultum his utitur argumentis: I. honorificâ sepulturâ. II. quod à scriptore vitæ jam anno 1362. passim appelletur Beatus. III. quod VIII. cal. Aug. Vesperæ defunctorum, & postridie Missa de Requiem ad ejus tumulum dici hodiedum soleat. *Requiem* quoque cantabatur annuè pro Beato Bertholdo Abbate Garstensi, & Beato Pippino, ut videre est apud Bollandum. (h) Idem honor exhibebatur initio SS. Martyribus Hydruntinis. Demum *bonæ memoriæ* elogium in favorem quoque S. Gauzelini Tullensis Episcopi allegatur. (i) Ex his facilè intelligat Lector, quid de Diemode nostra sentiri, sperarique, faventibus superis, possit. At nos jam manum de tabula, omnia de Thientone, Walthone, Diemode nostris hactenus dicta, summæ sedis judicio humillimè subjicientes.

(a) *Volum. 3. Bav. S. fol. 117.* (b) Unsterbliche Gedächtnuß 2c. *seu Hist. Hohenwarth. f. 379.* (c) *Boll. tom. 3. sept. die 7. comment. prævio num. 44. fol. 138. col. 1.* (d) *Bucelin. German. sacra sub verbo: Hohenburg.* (e) *Pez. Tom. I. Anecd. Dissert. Isagog. fol. XX. num. 37.* (f) hoc cap. §. 1. num. 3. (g) *Ibid. num. 6.* (h) *Boll. 27. Julii fol. 470.* (i) *Idem Tom. 3. Septemb. die 7. Comment. prævii num. 44.*

CAPUT

CAPUT IX.

De Sanctimonialibus Wessofontanis.

§. I.

Venerabilis Wulfhildis, Sanctimonialis Wessofontana.

1. QUamquam nostra non esse putanda sunt majorum decora, & quæcunque non fecimus ipsi, duobus tamen modis in gloriam vertuntur posteris vel imitatione, vel ambitu gloriæ altioris & inferioris contemptu. Wulfhildis Welficæ stirpis insignis surculus, Henrici nigri Bavariæ Ducis & Wulfhildæ Ducissæ Saxoniæ ex Witekindi sanguine filia, Welfonis & Henrici Superbi soror, Henrici Leonis amita per fratrem Henricum, Friderici I. Imperatoris Matertera per Juditham sororem, uxor Rudolphi Comitis Brigantini, Rudolphi junioris mater, & per Itham ejus filiam propagatrix utriusque Augustissimæ Domus Austriacæ & Bavaricæ fuit.

2. Defuncto marito, & filio Rudolpho jam tum propias in Bavaria possessiones adepto, ad Welfonem fratrem Schongavii residentem se contulit. Dum viduitatem consortio solatur fraterno, capiendisque consiliis ad bene transigendas vitæ reliquias occupatur, Walthonis ad eam famæ pervenit de utriusque sexus per ipsum propagata disciplina. Accedente divini Numinis radio nihil morata est facultates ex locupleti matrimonio sibi relictas, nihil splendorem vestium, pretiosa cimelia, amicorum dona: Walthonem ipsa supplex adiit, ultima inter sorores suscipi flagitans, suscepta amplo palatio clausi Parthenonis angustias prætulit: atque ita majoris in mundo honoris contemptu cœlestem gloriam humili sui abjectione occupare contendit.

3. Erat ipsa Wulfildis satis pretiosa à decoribus animi & virtutibus jam in seculo spectatis: afferebat vestimenta serica, holoserica, gemmas, & margaritas, non ut illis ipsa fulgeret, sed divini cultus splendor augeretur, & ornamenta vanitatis in instrumenta religionis verterentur. Attulerat semetipsam, futura reliquis omnibus humilitatis exemplum, in afflictione solatium, penuriæ levamen, omnibus vera mater. Talem illam agnovêre etiam religiosi fratres, quibus in infirmitate fomenta, in morbis medicamenta parabat: talem & exteri sunt experti, quos consiliis

liis

liis juvit, precibus commendavit, inter discordes pacem conciliavit. Exemplum jam supra dedimus, cùm de Ottone Frisingensi Episcopo ageremus. (a) Aliud item, cùm de Ottone Wolfratshusio, & ejusdem patruo Henrico (b) Episcopo Ratisbonensi ageremus: & hunc quidem non solum placavit Wulfildis nostra Welsoni fratri, sed etiam monasterio nostro beneficum fecit.

4. Talis cùm esset Wulfildis, & quavis dote pretiosior, sicut certis argumentis vel ex solo ipsius epitaphio docebimus: Guelfo tamen, ductus sororis amore, dotis loco prædia in usum fratrum delegavit, sicut codices nostri his verbis testantur: *Noverint omnes veritatis assertores, quod Dux Welfo tum pro remedio animæ suæ, tum etiam ductus dilectione sororis suæ domine Wulfildis monasterio S. Petri tradidit predium, quod dicitur Chessing,* (c) & post pauca: *Insuper predictus Dux Welfo tradidit eidem monasterio predium cum quodam servo, & conjuge & liberis eiusdem servi Gisibero nomine, situm in loco qui dicitur Nidervend.* (d) Brevius Codex tertius hæc enarrat: *Welfo Dux dedit duo predia pro remedio animæ suæ, & specialiter ex affectu dilecte sororis sue Wulfhildis, Monialis S. Petri: scilicet Chessing & Nidervend.* (e)

5. Ne nimiùm longi simus, dictorum hactenus rationem in compendio damus, recitantes epitaphium Wulfildis (f), quod coævus Poëta Ludovicus monachus, & ipse, ùt videtur, defunctæ beneficiis affectus composuisse videtur.

Epitaphium Wulfhildis Ducissæ Bojaræ, & monialis S. Petri. *Ex Chronico Wessofontano.*

In nihil orbe vago raperis terrena propago:
Vita tibi brevis est, conditio gravis est.
In limum limus, in terram terra redimus:
Hoc ad summa redit, quod Deus indè dedit.
Si bene nôsse voles, jacet hic Altorfia proles,
Wulfhildis, veterum dulce genus procerum.
Mater honestatis sua reddit debita fatis,
Tam re quàm specie fæmina justitiæ,
Quæ sit Welsonis veteris germana, Leonis
Amita Saxonici sit Ducis & Norici.

Et quod adhuc potius, matertera Cæsaris hujus:
Ast reliquas dotes nec numerare potes.
Tantus apex humilis fueras soror hujus ovilis:
Non tibi sed nobis optima mater obis.
Quæ jam concivis justorum mortua vivis,
Sit tibi vera quies, & sine nocte dies.



Celsior ipse polo, de quo sunt omnia solo,
Sum cui stat fixum, naturâ semper id ipsum,
Colla superba teris, modicos extollere quæris.

Obiit Religiosa & devota Wulfhild Ducissa apud S. Petrum in Wessinsbrunnen VIII. Idus Maji. *Ita Codex Wessof. pag. 88. 89.*

6. Et quoniam suprà diximus, ex Wulfildis utero utramque Augustissimam Domum, Austriacam & Bavaricam in hodiernum usque diem descendere, propositâ stemmatis arbore id demonstrabimus, & qualecunque pro plurimis ab utraque collatis in nos beneficiis monumentum gratitudinis referemus.

Posteritas Venerab. Wulfildis.

Wulfildis è Welfonum stirpe, Henrici Nigri Bavariæ Ducis filia: Henrici Superbi & Welfonis Senioris soror: Henrici Leonis Bav. & Saxon. Ducis Amita: Friderici I. Ænobarbi Imp. per Juditham Sororem matertera: Rudolphi Senioris Comitis Brigantini & Pfullendorffii uxor, ex qua natus est

|

Rudolphus ultimus Brigantiæ, & Pfullendorffii Comes genuit Itham, Alberto Habspurgico, & Elisabetham Hugoni Tubingano, nuptas.

|

Itha Alberto seu Adalberto C. Habspurgico, Landgravio Alsatiæ nupta, peperit Rudolphum, C. Habspurgi, Rudolphi Imp. avum.

Rudol-

Rudolphus Com. Habsp. Landgrav. Alsatiæ, ex Agnete Godefridi Com. Hohenstauffii filia pater Alberti Prudentis.

Albertus Prudens Com. Habspurgi ex Heylwiga Kyburgi Comitissa genuit Rudolphum I. Imp.

Rudolphus I. Imp. ex Anna Comitissa Hochbergica genuit Albertum I. Imp. & Mechtildem uxorem Ludovici Severi.

Albertus I. Imp. ex Elisabetha Ducis Carinthiæ filia genuit Fridericum *Pulchrum* Ludovici *Bavari* æmulum, & Albertum *Sapientem*.

Albertus *Sapiens* ex Joanna Comitissa de Pfirdt genuit Leopoldum *Pium*, Rudolphum *Ingeniosum*, &c.

Leopoldus *Pius* ex Viride Ducissa Mediolanensi genuit Ernestum *Ferreum*, Leopoldum *Crassum* &c. Sempaci occubuit anno 1386.

Ernestus *Ferreus* ex secunda Conjuge Cymburga Masoviæ Ducissa genuit Fridericum III. Imperatorem, & Albertum *Mitem*. Obiit A. C. 1420.

Fridericus III. Imp. ex Leonora Lusitana genuit Maximilianum I. Imp. & Chunegundam uxorem Alberti *Sapientis* Bav. Ducis.

Maximilianus I. Imp. ex Maria

Mechtildis Rudolphi I. Rom. Imp. filia, uxor Ludovici *Severi*, peperit Ludovicum *Bavarum* Rom. Imp. filiásque Mechtildem & Agnetem.

Ludovicus Bavarus Rom. Imp. elect: 1314. ex Beatrice Polona pater Stephani, Agnetis Sanctimonialis Angeranæ, & plurium, obiit 1347.

Stephanus *Fibulatus* ex Elisabetha Sicula pater Stephani, Friderici & Joannis. Obiit A. C. 1377.

Joannes Dux Bavariæ ex Catharina Goritiensi pater Ernesti D. B. & Sophiæ Wenceslao Bohemiæ Regi nuptæ: item Wilhelmi. Obiit A. C. 1397.

Ernestus ex Elisabetha Mediolanensi pater Alberti III. Beatricis, & Elisabethæ, variis Principibus nuptarum. Obiit 1438.

Albertus III. *Pius* ex Anna Bruns-

Burgunda genuit Philippum I. Regem Hispaniarum, Margaretham &c.

Philippus Hispan. Rex ex Ioanna Ferdinandi *Catholici* R. Hisp. hærede unica genuit Carolum V. & Ferdinandum I. ambos Romanorum Imperatores.

Ferdinandus I. Imp. ex Anna Uladislai Hung. & Bohem. R. filia genuit Maximilianum II. Imp. Annam ux. Alberti Bav. D. & Carolum Archiducem, propagatorem stirpis.

Carolus Archidux Austriæ, Styriæ & Carinthiæ Dominus, solus propagavit stemma, susceptis ex Maria Bavara Ferdinando II. Imp. Anna Polon. Reginâ, &c.

Ferdinandus II. Imp. ex Maria Anna Bavariæ Ducissa genuit Ferdinandum III. Rom. Imp. Ob. 15. Febr. 1637.

Ferdinandus III. Imp. ex Maria Anna Hispanica genuit Ferdinandum IV. Hung. & Bohem. R. Mariam Annam, Philippi R. Hisp. uxorem, & Leopoldum Imp.

Leopoldus Rom. Imp. ex Eleonora Magdalena Philippi Wilhelmi Elect. Palatini filia suscepit Josephum I. & Carolum VI. ambos Imperatores.

vicensi pater Alberti IV. Barbaræ Sanctimonialis, Elisabethæ, Margaritæ. Ob. A. C. 1460.

Albertus IV. *Sapiens* ex Kunegunde Friderici III. Imp. filia pater Wilhelmi IV. & Ernesti Archi-Episcopi Salisburg. Sibyllæ, Sabinæ, Susannæ. Obiit 1508.

Wilhelmus IV. *Constans*, Catholicæ fidei in Bavaria conservator, ex Jacobæa Baadensi pater Alberti V. & Mechtildis Philiberto Baad. nuptæ.

Albertus V. *Magnanimus* ex Anna Maximiliani II. Imp. sorore pater Wilhelmi V. Mariæ Carolo Austriaco nuptæ, & Ernesti Electoris Coloniensis.

Wilhelmus *Religiosus* vulgo V. ex Renata Lotharinga genuit Maximilianum Electorem, & Mariam Annam Ferdinandi II. Imp. uxorem.

Maximilianus I. exauctorato Friderico Palatino, S. R. I. Elector & Archidapifer, ex Maria Anna Ferd. III. Imp. sorore pater Ferdinandi Mariæ &c.

Ferdinandus Maria Bav. Elector, ex Henrietta Adelaide pater Maximiliani Emmanuelis, Josephi Clementis Elect. & Archiepiscopi Coloniensis &c.

Jose-

Josephus I. Imp. natus 26. julii 1678. Rex Rom. 24. Jan. 1690. Imperator 5. Maji 1705. ex Wilhelmina Amalia Hannoverana pater Mariæ Amaliæ Imperatricis, &c.

Maria Amalia Josepha Anna Theresia Cordula, Cæsarum & Regum filia, nata 22. octob. 1701. desponsata Carolo Alberto Bav. Electori ac Imperatori 5. Oct. 1722. Imperatrix facta 24. Januar. 1742. coronata 8. Martii eodem anno: Mater Columbæ Maximiliani Josephi &c.

Maximilianus Emmanuel Elector, ex Maria Antonia Leopoldi Imp. filia pater Josephi Ferdinandi designati R. Hispan. Postea ex Cunegunde Theresia Polona Caroli VII. Imp. &c. Obiit 1726.

Carolus Albertus Rom. Imp. VII. natus 6. Aug. 1697. Elector 26. Febr. 1726. Rom. Imperator electus 24. Januarii 1742. coronatus 12. Febr. eod anno: ex Maria Amalia Josephi I. Rom. Imp. filia pater Maximiliani Josephi, & plurium filiarum. Quievit 20. Januarii 1745.

Maximilianus Josephus, S. R. I. Elector & Archidapifer, utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatus Dux &c. natus 28. Martii 1727. Columba olivifera, Princeps Pacis, cui Deus natos natorum & longam felicitatem! Conjux serenissima Maria Anna Augustissimi Regis Poloniæ, & Saxoniæ Electoris Filia, quæ benedicente Deo fiat sicut *vitis abundans Psalm. 127. v. 3. & videat filios filiorum, v. 4. ibid.*

Maria Antonia Walburga Augustissimi Imperatoris Caroli VII. Filia, nupta Principi Regis Poloniæ & Saxoniæ. *Fiant filii tui sicut novella olivarum. Psalm. 127. v. 4.*

Hæc est illa Austriacæ & Bavaricæ Domus per Wulfildem nostram conjunctio. Nunc verò, postquam mutuo Saxonica quoque Augusta Domus cum Bavarica nexu coaluit, aliud antiquius inter ambas vinculum per Wulfildem deprehendimus. Fuit enim Wulfildis nostra Henrici Nigri Bavariæ Ducis ex Wulfilde Saxonica matre filia: fuit Juditha Henrici Aucupis Imperatoris itidem Saxonis filia, nupta dein Arnulpho *malè MALO cognominato*, hodierni Bavarici stemmatis indubitato

propagatori. Donec illa Genealogia latius explicetur, sufficiant interim hæc, quæ de Venerabili Wulfilde ex propriis Monasterii nostri documentis eruimus, aliis scriptoribus in historiæ majus lumen adscitis (g). Cæteri, ut Raderus in Bavaria Sancta, Stengelius in Commentario rerum Augustanarum, Brunnerus, Khammus, illam ignorant. Primus ejus mentionem facit clarissimus Bern. Pez (h) ex Codice Tegernseensi primos epitaphii versus delibans. Læti ergo hanc nobis relictam Spartam accepimus, & Wulfildis egregia merita primi in lucem vulgavimus.

(a) *Cap. 3. §. 2.* (b) *Cap. 4. §. 2.* (c) *Cod. D. fol. 60.* (d) *Ibid. fol. 61.* (e) *Cod. C. pag. 88.* (f) *Eod. Cod. C. p. 88. 89.* (g) *Maximè Pistoris Rer. German. Scriptorum Tomo III. in Chron. Constant. fol. 721. &c.* (h) *Pez. Tom. I. Anecd. Dissert. Isagog. fol. XIII.*

§. II.

De cæteris Sanctimonialibus.

1. VIx triennio præfuerat Waltho, cùm vitæ ejus sanctitas, & gubernandi sagacitas plurium oculos animósque in admirationem traxit, ut felices se reputarent, qui vel ipsi eidem se crederent, vel suos ejus curæ commendarent. Ante alios vir nobilissimus Werinhardus de Stauffen, advocatus noster, sororem suam RICHINSAM claustro virginum mancipavit: & in dotis vicem per manus uxoris suæ & fratris S. Petro donavit duo prædia ad Hohenmos & Durchholsen cum mancipiis ad ea spectantibus, & donationem tredecim testibus firmavit. Richinsa, aliquot annis in Parthenone piè traductis obiisse legitur 14. Cal. Julias. (a)

2. *GISALA* de Seeveld, Genitoris Anonymi de Seeveld & Mechtildis de Oetingen filia, Hoholdo de Pappenheim nupta fuerat; eô verò fatis amisso, ex testamento prædium Biberbacense accepit, prædiis aliis jure sanguinis jam ante dotata. Mundi pertæsa ad monasterium nostrum confugit, & prædia suæ proprietatis *Bibirbach*, *Brunnen cum Heinran*, *Rinnenbach*, *Tangrebin*, *Wolnuisache*, *Guttingen S. Petro*, *nec non fratribus in Wessinsbrunn Deo militantibus* tradidit, Advocatia illorum Pappenhemiis, defuncti

functi mariti consanguineis, relicta. Quæ lites desuper ortæ sunt, eas supra retulimus: (b) interea quod Hundius scire desiderat, certum est, avunculum seu matris fratrem fuisse huic Gisalæ Ludovicum de Oetingen, ac proin matrem Gisalæ, seu Mechtildis illa seu alio nomine fuerit vocata, natam ex Comitibus de Oetingen: ut adeò hac saltem in parte Matthæo Mareschallo de Biberbach Canonico Augustano fides haberi possit & debeat. Cæterùm Gisalæ, cùm pluribus apud nos annis Deo serviisset, felix obitus contigit 7. Idus majas, seu die nono ejusdem mensis, veteri Calendario teste.

3. *ADELHEIDA* Henrici Hunsolgii uxor, conjuge consentiente & continentiæ propositum amplectente, Parthenoni nostro se ultrò inclusit. Prædium, quod ipsa proprium Landspergæ possederat, consensu Welfonis Ducis Henricus conjux, & filius Udalricus monasterio S. Petri Wessofontano delegârunt.

4. In ejusdem sortis felicitatem venit *ANONYMA*, ejusdem Henrici & Adelhaidis filia, patris & matris exemplum secuta. Donationem verò Landspergensis prædii, ut firmitatem perpetuam haberet, confirmârunt testes *Udalricus Parochianus* (seu Parochus) *de Hunsoln*, *Hiltiprandus de Morenweis*, *& miles ejus Hugo*, *Dieto senior & junior de Wala*, *Weriandus de Richilingen*, *Arnoldus de Vindingen* cum aliis multis (c).

5. MACHTILDIS de Weilheim, filia Bernardi Domini Weilheimensis, soror Norberti Monachi ac postea Abbatis, & Henrici, de quibus suprà, fratrum exemplis accensa ad Parthenonem nostrum suspiravit, & ut columba ad Cœlesti Sponsi amores evolavit: piissimus parens in dotem divo Petro & fratribus Wessofontanis prædium Forchaimense transscripsit. (d)

6. ADALHEIDA Hiltiprandi de Morenweis filia, quem paulò ante inter testes vidimus, (e) ad idem columbarium salutis avida se recepit, in cujus gratiam pater prædium Bartenkirchense monasterio nostro tradidit (f). Supersunt aliæ, quarum singulis peculiarem tractatum debemus: quamquam hæ solæ sufficiant ad docendum, quanta vis fuerit in odore famæ & exempli, quem Walthonis sanctitas omnibus afflâsset.

(a) *Cod. D. f. 48.* (b) *Cap. V. §. I. num. 2.* (c) *Cod. D. fol. 59.* (d) *Ibidem fol. 62.* (e) *Supra num. 4.* (f) *Cod. D. fol. 62.*

CA-

CAPUT X.

De devotis Virginibus extra claustrum.

§. I.

B. Herluca conversa.

1. NAta est in Suevia, non sine præsagiis futuræ pietatis: at annos pubertatis adorsa, cùm mundi vanitates sectari cœpisset, semel iterúmque morbo tentata, quorum alter altero erat pertinacior, ac nondum præsentium deliciarum pertæsa, utriusque oculi cæcitate percussa est. Altero eorum per S. Cyriacum reddito, seriò tandem resipuit, atque sancti primùm Wilhelmi Hirsaugiensis, dein Theocarii S. Georgii in Sylva Hercinia Abbatis doctrinâ ad omnem pietatem se dedit: ita, ut etiam divinis visionibus frueretur. Longum esset, imò hoc loco superfluum, omnia narrare, quæ Paulus Bernriedensis diffusè recenset. Eorum tantùm aliqua recensebo, quæ Heptatici tum fecit, tum à DEO recepit.

2. Cùm Rutberto & Hadvviga nobilissimis conjugibus, quorum eleemosynis aliquamdiu jam fota & nutrita fuerat, cùm in Heptaticum venisset, & S. Laurentii Ecclesiam intrâsset, tanta spiritûs dulcedine fuit affecta, ut nutritores suos potiùs, quàm locum deserere mallet, imò decerneret. Invitis ergo patronis remansit in loco, sancti etiam Wicterpi ibidem tumulati gratiâ: amissâ licèt omni spe, alimenti ab iis quidquam deinceps recipiendi. Non hoc pertinaciæ imputandum est: dudum enim à S. Wilhelmo illo monita fuerat, ut in quocunque loco divinam magis experiretur dulcedinem, ibidem quàm maximè se stabiliret. Mansit autem Heptatici annis plus minus triginta sex.

3. Et profectò speranti in DEO nihil defuit; quamvis enim initio cum rerum inopia conflictaretur, apparuit tamen hæsitanti S. Wicterpus, eámque consolatus dixit: *mane hîc mecum filia, & ego quidquid te offenderet, removebo.* Nec diu morata in loco, ducem, sociam & exemplar sancti propositi Doudam accepit magnæ virtutis viduam, Sigibodi Raltenbuchensis Eremitæ neptem. Huic juncta parùm jam de corporis alimento angebatur,

tur, cùm deliciis cœlestibus pasceretur. Hanc Herlucæ magistram in omnibus sequebatur, quamquam ipsa mox aliarum magistra futura: cujus disciplinæ testimonium Juditha fuit, Rutberti memorati & Hadevvigis filia, à sæculi vanitate ad Deum conversa & sanctissimè defuncta, ùt suo loco videbimus.

4. Zelus Herlucæ in omne genus hominum redundabat. Viros illustres ad cœlibem in conjugio vitam induxit, ùt Rutbertum Comitem Palatinum: puellas ad propositum castitatis, ùt Juditham ejusdem Comitis filiam: imò & sacerdotes malæ famæ ad vitæ integritatem & pœnitentiam, ùt Richardum Eptatici presbyterum: Virgines sacras ad sanctitatis fastigium excitabat, ipsa quoque mutuos ad virtutem stimulos promptè excipiens, quod docent mutuæ inter ipsam & Diemodem nostram epistolæ, de quibus suprà egimus. (a) Nam quamvis Paulus Bernriedensis Herlucam alicubi litterarum planè rudem dicat, illud de initio conversionis ejus intelligendum; vix enim fieri potuit, ut Virgo inter Dynastas & Matronas, Virginésque nobiles pluribus annis versata litterarum rudis maneret, stimulante etiam sacros libros legendi desiderio: scribendi autem facultate si caruisset, non deerant pii Sacerdotes & Religiosi, ùt Sigibotus, Adalbero monachus, Paulus Bernriedensis, qui responsa ex ejus ore suscepta chartisque mandata ad Diemodem remitterent.

5. Quibus verò visionibus Herlucam dignatus sit Deus, dictu difficile est. Christum sanguine manantem cùm vidisset, nolénsque iterum videre sic vulneratum, intellexit ex S. Wicterpo, à sacrilego sacerdote, cujus Missas ipsa attenderet, Christum has plagas accepisse. Interitum Adalberti de Rote eidem Herlucæ ostensum fuisse, jam ante diximus. Judithæ à se conversæ cælestem gloriam vidit, parémque illi futuram Agnetem Wolfratshusianam intellexit, ùt postea referemus. Nemo sanctorum illi familiarior, quàm S. Laurentius Martyr, & S. Wicterpus Episcopus. Ille quidem magnâ cælitum catervâ stipatus in Ecclesia Deiparæ, ejusdémque S. Levitæ apparuit, orantémque ibi Herlucam de Baldeberti patris sui è purgantibus flammis liberatione certiorem fecit. Idem S. Levita Herlucæ ad communionem accedenti plerumque vel apparuit, vel etiam dux ad divinum epulum fuit. Idem Sanctus in spiritu Romam perductæ Herlucæ, quidquid in eadem urbe templorum est, ostendit.

6. Tantis cùm virtutibus, exemplis, apparitionibus inclaresceret Herluca, necesse fuit, quia placebat DEO, ut eam tentatio probaret. Rusticorum furore repente Eptatico fuit expulsa: nec fugam uspiam tutiorem invenit,, quàm Beronicæ apud Paulum suum: sed nec ibidem dæmonis furorem evadens, cùm ad matutinas in Ecclesiam preces properaret, in rivulum molarem ab illo detrusa fuit. Benè igitur purgata per aquas tribulationis ad cœlestem sponsi divini thalamum transit, & honorificè in templo Beronicensi sepulta est. Dies Herlucæ emortualis communiter assignatur, qui S. Wicterpi, nempe decima octava Aprilis seu, quæ eadem decima quarta calendas Majas: non alia quidem de causa, quàm quòd Herluca, incerto alioquin die ponenda, optimè illi Sancto jungeretur, quem sanctitatis magistrum de cœlis habuerat. Eidem diei Herlucæ obitum adscribunt Rosvveidus, aliique complures apud Bollandum.

7. Sepulchrum ejus varia fata subiit. Ex Hundio scribit Godefridus Henschenius, quòd Herluca Beronicam venerit, ibidem vixerit, & moriens sepeliri voluerit, *cujus tumba adhuc conspicitur in medio Ecclesiæ.*(b) Verùm contigit, ut succedentibus annis corpus transferretur; nam Bernardus Pezius, quem Epistolarum Herlucæ & Diemodis nostræ desiderium illuc traxerat, de tumulo Herlucæ percontatus, hoc responsi à Reverendissimo Præposito Joanne accepit: *Sanctissimæ DEI ancillæ lipsana cum Fundatorum ossibus ad epistolare principis aræ cornu in Ecclesia tumulatis ita confusa esse, ut non facilè discerni queant.* Fuit tamen postea ex ejusdem Ecclesiæ Canonicis vir religiosus atque sollicitus, qui secundâ DD. Mansueti Præpositi sui voluntate novam curam Herlucæ & Fundatorum exuviis impenderet. Duas tumbas, unam ad dextrum, alteram ad sinistrum summi altaris latus, remotiùs tamen positas aggressus, invenit ambas lateritio muro septas, singulas quernâ tabulâ & desuper operculo cœmentitio tectas. Uni tumbæ inscriptæ erant hæ litteræ: O. F. alteri: O. H. nempe *Ossa Fundatorum*, & *Ossa Herlucæ* indicantes. Non jam commixta inveniebantur utrorumque inter se ossa, sed & Fundatorum & Herlucæ separata, multo tamen cœmento per tabulas ætate luxatas delapso sordidata. Vir igitur optimus ossa cum cœmento extraxit, ab adhærente calce purgavit, & lavit, ac locis quæque suis denuò reposuit, sua Herlucæ, sua Fundatorum loculo restituit: parietes deinde instaurari curavit, novas & firmiores è quercu tabulas superinduxit, iterúmque cœmento texit. Duret, longúmque ferat ævum hic labor, donec Deo ter O. M. placeat beatæ hujus Virginis Reliquias altiùs honorare, ad gloriam suam, & patriæ munimentum!

Atque

Atque hæc est moderna SS. Reliquiarum Herlucæ conditio. In Necrologio nostro *Herlucam* non invenimus: verùm 15. cal. Febr. *Helica*, & 8. Idus Majas *Heilica conversa* obiisse legitur: si alterutra ex his Herluca fuit, alteram hanc putabimus, quia *Conversam*.

8. Satis jam est Benedictino Wessofontano hæc dixisse de Herluca, quæ Wilhelmum Hirsaugiensem, & Theocarium Sanc-Georgianum magistros habuit, & familiari cum Diemode inclusa Wessofontana litterarum commercio usa est. Superest, ut utramque nobis Patronam tum prece tum imitatione conciliemus.

(a) *Suprà Cap. VIII. §. II.* (b) *Die 18. April. fol. 548. col. 2. num. 5.*

§. II.

De B. Juditha Conversa.

1. RAdero, & Adelzreittero istam Bojariæ gemmam silentio prætereuntibus, Brunnerus eam aureo suo stylo ceu annulo inclusit & illustravit. Juditha Nobilissimorum parentum Rudberti & Hadewigis filia, etsi virtutis exempla in parentibus domestica & quotidiana intueretur, tamen ùt fert consciæ nobilitatis & opulentiæ splendor, mundo magis se ostentare, quàm DEO adolescentula gestiebat. Nec tamen evasit hæc damula vel jacula orationis vel laqueos sermonis, quibus Herluca hanc prædam Christo vindicaret, qui non alio cibo meliore pascitur, quàm animarum salute. Frequens in auribus Judithæ Herluca nunc blandimentis utebatur, nunc promissis, quibus locupletior esset evasura, si immaculatam se custodiret ab hoc sæculo, & nuberet Christo: nondum tamen assensum extorsit libertatem amanti. Septuagesimæ tempus erat, quo, ut hodie omnes, ita tunc plerique Alleluja cantare desinerent. Contigit, egressis omnibus solam cum Herluca Jditham in Ecclesia remanere; cùm subitò cælestis chorus resonare, & lætam illam Paschatis tesseram Alleluja mellifluis vocibus decantare: quarum dulcore capta Juditha matrem etiam in voluptatis partem vocavit. At illa indignam se professa, filiam redire ad templum jussit, & cælesti musicâ ad satiem perfrui.

2. Hujus harmoniæ *suavitate* (verbis Brunneri loquor) *una cum Herluca perfusa illico nupturire Juditha desiit, imò sanctiùs cœpit: ita enim mentem auditus occupa-*

occupavit Hymen, ut & Herluca in omnibus parituram se spoponderit, & apud parentes antè non acquieverit, quam sacro Flammeo manibus Udalrici Bataviensis Episcopi apud Raittenbuchenses tunc latitantis obnupta Christo desponderetur; ad cujus amplexum illa statim anno admissa est. Ægra cùm decumberet, & in vicina sponda Luikardis Herluca neptis cum morte luctaretur, jocòsam litem illi Juditha intendit, quasi parùm urbanè faceret, quòd in æternitatis stadio contingere metam, prior laboraret; argumenta insuper dixit, cur sibi primas jure deposceret; quæ contubernalis ejus non infacundè refutavit. Juditha paulò pòst defuncta tumulum in Wessobrunnensi monasterio accepit, (a) *sine pompa communi cespite contecta, digna, quæ in auro cubaret. Sed triumphus, quem Herluca de cælo ostendit, sepulchri tenuitatem compensavit; cujus ea fuit majestas, ut Herluca sciscitaretur, an omnino mortalium ulli sperare paria fas esset. Juditha Agnetem nominavit, Ottonis Daningensis Comitis filiam, Admontensi cœnobio tunc clausam, eadem meritam, eadémque præmia laturam.* Verùm de hac Agnete paulò pòst plura dicemus.

3. Quantum ad sepulturam Judithæ pertinet, non videtur ea fuisse communis & ignobilis cespes, cùm cæmeterium nuperrimè conditum fuerit, Episcopi primùm, dein Pontificis authoritate erectum, atque summos infimósque in eo tumulandi prærogativâ donatum, ut in eadem Ecclesia & *infantes baptizentur, & mortui sepeliantur.* Hermanni Episcopi litteras confirmat & ampliat Innocentius II. Papa, his verbis: *Sepulturam ipsius loci omninò liberam esse decernimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi excommunicati sint, nullus obsistat.* Neque tam parca fuit Nobilium illius ævi manus, quin honorifico monumento vel epitaphio suorum memoriam posteris commendarent. Necrologio certè nostro antiquissimo inscriptæ inveniuntur *8. Cal. April. Ita* seu Juditha *conversa:* item *15. Cal. Septembris Luikard conversa:* & Judithæ mater, Rutberti uxor, *Nonis Martii Hadavvic conversa.*

(a) *Brunn. Annal. Boic. P. III. Lib. 2. col. 70.*

§. III.

B. Agnes Admontensis.

NObilissima hæc Virgo cùm in Parthenone Admontensi prima sanctitatis fundamenta jecerit, qua ratione ad Bojos, imò & Wessofontanos pertineat, curiosior quisquam interrogabit. Cur ad Bojos

jos pertineat, explicat idem Brunnerus, quia nempe *hoc quoque lilium in Bojorum agro crevit; aut enim omnes me conjectura fallunt, aut Otto hic* (de Daninga vocatus) *Wolfratshusiorum comitum sanguis fuit, quibus etiam Daninga vicus paruit.* (b) *Et verò in pervetustis tabulis donationum ejus monasterii* (Admontensis videlicet) *Ottonem Wolfratshusium Agnetem filiam cum insigni dote illic collocavisse.* (c) Agnetem nobis vendicandi causa sunt duo Henrici comites Wolfratshusani, senior quidem Episcopus Ratisbonensis, qui nobis decimas Reispacenses & Habartskirchenses, adjectis Engelmarispergensibus confirmavit: junior verò Ottonis Advocati Tegernseensis filius: de quo Necrologium nostrum: *sexto Nonas Maji Henricus Comes de Wolfratshausen obiit, qui dedit mansum ad Reistingen.* Memores ergo beneficiorum ab illustrissima hac familia acceptorum, id quidem non recoquimus, quod paulò antè de Agnetis cum Juditha gloriæ æqualitate diximus: omittere tamen non possumus, quòd eadem Agnes, Bucelino teste, ob probatæ virtutis testimonium à Friderico I. Ahenobarbo Imperatore electa sit, ut coloniæ ex Admontano monasterio ductæ ad reformandum Hohenburgense monasterium præesset, & inventas ibi virgines ad strictiorem vivendi normam reduceret: quod & feliciter tamdiu præstitit, donec ad prænuntiatam à Juditha gloriam plena meritis evolaret. (d)

(b) *Brun. loc. cit. vide Notam a. §. preced.* (c) *Hund.* Stammen-Buch *fol. 25.*
(d) *Bucel. Germ. sacra P. II. fol. 3. col. 1. Verbo:* Admont. Virginum.

§. IV.

De loco Heptatico.

NOmen hujus loci Græcæ originis est ab *heptà*, seu ἑπτὰ, quod Latinis *septem* sonat. Vocis hujus etymologiam indicavit S. Wicterpus Episcopus, cùm S. Magnus ad eum venisset, inquiens: *bene vocatur iste locus Eptaticus, quia in medio constat inter monasterium S. Afræ,* quod est Augustæ, & *Cellam suam,* sive Fauces Julias, id est, oppidum *Füssen*: nempe & hoc S. Magni monasterium, & S. Afræ Cathedralis olim Ecclesia Augustana, uterque locus septem milliaribus nostris germanicis ab Eptatico distant. Unde etiam antiquitas loci patet, cujus nomen Wicterpus non ipse excogitavit, sed jam pridem inditum reperit. Quàm frequens fuerit tam Lyci ripa, quàm omnis ager Augustanus, ejusmodi arcibus, & coloniis Gentilium Romanorum, abunde docet eruditissimus Velserus in *antiquis agri Augustani monumentis.* In Eptatico Romanos olim

castrum Noricis oppositum habuisse, nuperrimè, triennio abhinc videlicet, apertè patuit, dum vetus S. Laurentii sacellum ampliatum atque à fundamentis renovatum fuit. Jacuit sub ipsa janua profundissimè defossum saxum quadratum, in quo Romanis litteris inventa inscriptio, non integra quidem, sed cujus pars deest, & æquali saxo inscripta fuisse videtur, quod tamen reperiri non potuit. Inscriptio porrò illa sic habet:

TICLTI
VEHE
RIBMIL
GEM
SA
GISEDA

Inventa simul fuit moneta ex cupro cum sequente inscriptione. Prima parte hæ leguntur litteræ in limbo: DRUSVS CÆSAR TI AUG F. DIVS AVG. In medio cernitur facies velut Imperatoris. Altera parte hæc in limbo: TRIBVNVS POTE .... R. PONTIF. In medio. S. C.

2. Intus prope januam in pariete inventa fuêre duo vascula testacea, viridi colore tincta, utrumque cum rostro testaceo: quasi usum præbuissent urceolorum: at quartam partem majora, quàm hodie in sacris nostris adhibentur: opinio tamen est, vasa hæc S. Wicterpo sacrificanti serviisse, postea etiam abscondendis sanctorum reliquiis fuisse adhibita. Clavis item antiqua ex ferro est reperta, incertum, cui usui. Haud procul sacello versus Lycum duobus locis deprehensa sunt ex quadris lapidibus fundamenta arcis, in quæ ipse descendi: novissimè etiam alia eorundem fundamentorum pars, quà clivus vicum respicit. Ex lapidis igitur Inscriptione, ex moneta Romana, & hisce fundamentis convinci videtur, locum aliquando Romanorum fuisse: illis verò ejectis Christianæ familiæ cessisse, ex qua natus sit S. Wicterpus, cujus etiam hæreditas fuerit & religiosa quies à negotiis officii sui.

3. Sacellum ipsum, servato altari principe S. Laurentii, sub quo postremùm quieverat corpus S. Wicterpi, & arâ Beatæ Virginis, sub qua illud ab obitu Divi fuerat positum, in restauratione nupera in majorem amplitudinem fuit extentum, ut plurium ad divina venientium capax fieret: felix certè locus, in quo S. Wicterpus, dum viveret, & S. Magnus, quoties ad illum venit, sacrificârunt: in quo SS. Laurentius & Wicterpus seculo duodecimo toties apparuêre visibiles, & Beatæ Her-

lucæ

lucæ ad virtutem duces fuêre: in quo matronæ, virginêsque Dei servitio devotæ habitârunt, & dæmonis insidias vincere didicerunt: in quo per quadringentos ferè annos S. Wicterpi exuviæ sunt custoditæ, donec ad sedem ipsius Augustanam fuerint translatæ.

4. Nunc ipse hodiernus Eptatici situs est describendus. Ex parte littoris Norici supra ripam situs est vicus exiguus Hirsowa olim, hodie Hirschau vocatus: in quo Sigibotto ille Heptatici pius sacerdos, turbarum vitandarum causa, habitare elegerat, sæpiùsque Paulum Bernriedensem hospitio exceperat, quoties iste è Boica ad Herlucam transiret: quæ & ejus adventum sæpiùs præsentire solebat. (a) Exinde navi superato Lyco, statim in edito spectatur vicus Eptaticus, nunc *Ebsach*, truncato veteri nomine, appellatus. Inter vicum hunc & Ecclesiam S. Laurentii agri versus Lycum hodie interjacent olim arbusta in silvam ferè excrescentia, ita ut ex vico ad S. Laurentii sacellum prospectus intercluderetur: demum assurgens clivus sterilis Lyco flumini incumbit. Ibi arx olim stetit, cujus supersunt rudera: ibi hodie sacellum, olim arci proximum: ibi vicum versus, in valle puteus, adhuc aquis scaturiens, qui olim castri inquilinis serviebat, & adhuc in religione habetur; & tunc præsertim hinc aqua petitur, cùm noxii vermes plantis interitum minantur: fiduciam præbente S. Magni merito, cujus *combatta* seu baculus hodiedum ad exterminandas hortorum & agrorum pestes longè latéque cum luculento fructu circumfertur.

5. Fama quidem à majoribus per nepotes tradita est, & quasi in proverbium inter loci colonos versatur, castrum & sacellum S. Laurentii olim in Boico littore stetisse, Lyci verò illuvione ad Suevicum fuisse trajecta, iterúmque à Suevia reditura olim in Noricum. Vix autem, nisi iræ divinæ singulari flagello id fiet, cùm agri, inter Heptacensem vicum, & S. Laurentii sacellum siti, loco longè altiore sint, quàm Lyci fluentum: & vicus ipse, agris licèt elatior, elatiorem post se montem habeat.

6. Ex his etiam Caroli Stengelii irritus in inquirendo loco labor ex imperiti hominis narratione intelligetur. Dicebat hic, nullam S. Mariæ & S. Laurentii Ecclesiam hic exstare, itinere tamen unius horæ non longè à Lyco flumine superesse hujus tituli sacellum. Verùm id, à nostro longe diversum, Finckius in magna Bojariæ mappa propè Altenstadium, infra Schongavium tamen, collocat, ultra horæ spatium ab Heptatico, Parochiæ Niderhovensis: nec ibi sancta Maria in tituli societatem venit, sed

sed locus ipse non alio, quàm S. *Laurentii* nomine appellatur. Nostrum autem sacellum, nequidem quarta horæ parte à vico Epfacensi distat, & singuli pæne coloni é domibus suis illuc prospiciunt: & quamvis nomen à solo S. Laurentio habeat, ara tamen beatissimæ virginis, tanquam vetus S. Wicterpi sepulchrum, in honore habetur. Placuit hæc explicare, qua potui, claritate, nequis mappæ cujusdam novæ, aut exteræ historiæ authoritate moveatur ad aliud sentiendum: equidem inter Reichlingam, Hirsaugiam, & Rauchenlechspergam Eptaticus jacet: sed illa omnia in ripa Lyci Norica: Eptaticus autem & vicus, & castri rudera, & S. Laurentii sacellum in littore Suevico conspiciuntur: sicut ipse sæpius vidi, qui unicâ horâ hinc absum.

7. Ecclesia S. Laurentii, diruto castro proxima, olim primum & Parochiale templum fuisse ex eo convincitur, quod anniversariæ dedicationis ejus festum in hodiernum usque diem summa solemnitate celebretur in festo S. Ottmari Abbatis, nempe die 16. Novembris: quo etiam fit solemnis Agape, seu panum distributio copiosa in pauperes, cùm in dedicatione ipsius modernæ Parochialis Ecclesiæ in medio pagi sitæ omittatur. Nempe successu primùm temporis accrevere auctique sunt coloni, arcis ipsius possessoribus subditi, quos angustum S. Laurentii templum non ampliùs caperet. Præterea ipsum S. Wicterpi festum solemniter ad S. Laurentium annuatim celebratur divinis officiis, & operum cessatione, à quatuor pagi colonis, qui Celsissimi Episcopi & Cathedralis Augustanæ Ecclesiæ dominio subjecti sunt: verùm non die 18. Aprilis, sed decem diebus antè, nimirum octavo ejusdem mensis.

8. Si ab origine, quibus dominis Eptaticus locus paruerit, inquiramus, ex dictis patet, à primis Imperatorum post Augustum temporibus Romanorum coloniam & præsidium fuisse: iis deinde Alemannorum prævalente potentia ejectis, paruisse nobilibus dynastis, è quorum sanguine natus S. Wicterpus locum in hæreditatem acceptum legaverit Ecclesiæ suæ Augustanæ: postea successisse collegium templariorum, quod tempore Clementis Papæ V. circa annum Domini 1311. destructum fuit. *Hoc tempore* (ait Martinus Abbas S. Magni electus anno 1614) *pagus iste ad monasterium Staingadianum ord. Præmonstratensis pertinet*, (b) & ejusdem curæ adhuc subest. Hæc omnia debeo zelosissimis loci Parochis D. Michaeli Gassner, & post eum D. Eustachio Enzensperger, Canonicis Præmonstratensibus, ex eodem celeberrimo monasterio Steingadensi, quod ab annis jam ferè ducentis sacros pastores Heptatico subministrat.

(a) *Boll.* 18. *April. fol.* 556. *col.* 1. *num.* 40. (b) *Vit. & Mirac. S. Magni fol.* 90.

SÆCV-



SÆCULUM QUINTUM
WESSOFONTANUM.

Ab anno 1153. ad annum 1253.

CAPUT I.

Norbertus Abbas XIV.

§. I.

Norberti vocatio & genus.

1. NObilissimo Dynastarum Weilheimensium sanguine oriundus, patrem habuit Bernhardum, virum sanè egregium, qui stirpis suæ gloriam virtute superans haud ægrè tulit, ternas suarum prolium, spem generis, relictis opibus, valedixisse mundo, Deique servitiis ultro se mancipâsse. Norbertus natu maximus, gemino canonicatu insignis, Augustano, ut Hierarchia testatur, (a) & Fri ingensi, sicut insignia & nomen in ambitu Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis descripta hodiedum pro dunt, ambos honores cum proventibus sponte deseruit, & monachus esse sub disciplina Walthonis maluit. Ejus exemplum hoc ipso in monasterio secuti sunt Henricus frater, & Mechtildis soror, quibus non exiguo utique solatio fuit, fratrem nunc habere Abbatem. Prædia per ipsos monasterio collata in actis Walthonis recensuimus.

2. Hundius in stemmatographia Bavariæ (b) inter illustriores hujus sanguinis viros, recenset præter nostros Bernardum, Bertholdi Comitis Andecensis ministerialem anno 1143. quem eundem Norberti patrem arbitramur. Gebhardum militem de Weilheim, qui aliquot prædiis monasterium nostrum locupletavit, & superfuit 1266. Henricum Canonicum Frisingensem, & ibidem S. Viti Præpositum 1309. Henricum de

 Weil-

Weilheim Advocatum Haybacensem, qui eidem Ecclesiæ jus præsentandi super parochiam Hausensem ultro donavit, 1249. Eberhardum denique Ecclesiæ Augustanæ Canonicum 1248.

Insignia gentis erant tres arcus Iridis, cæruleus, ruber, & viridis in campo albo. Sepulturam sibi elegêre majores in monasterio Pollingano in sacello S. Ursulæ.

Potentia istorum Dynastarum ex eo colligitur, quòd nobiles quoque ministros & feudatarios habuerint, qui extincto circa annum 1331. Weilheimensium stemmate à Ludovico Bavaro Imperatore liberi sunt renuntiati, & pars eorum adhuc floret, pars ad obscuritatem decidit: lucem tamen aliquam retinuerunt Ramungi de Hugolfing, ex quibus Petrus Ramungus monachus & Prior apud nos fuit, Udalricus verò Ramungus Ducis Bavariæ consiliarius, & Dingolfingæ præfectus ævo Hundii floruit. De reliquis familiis inquirere, alienum à nostro instituto est. Ut de Norberto Abbate addam, legitur ille in Chronico Benedictoburano, antequam fieret monachus, primus traditionis cujusdam testis his verbis: *Norbertus filius Domini Bernhardi de Weilheim.* (c)

(a) *Parte I. Cathed. fol. 584.* (b) Stammenbuch *Part. I. Artic. Weilheim. f. 367.* (c) *Part. II. Instrum. 32. fol. 13.*

§. II.

Norberti Electio, Calamitates.

3. NOrbertus inter monachos sub S. Walthonis disciplina talem se Abbati fratribúsque probavit, ut maxima quævis monasterio bona prudens quisque ex ejus virtute proventura auguraretur. Quare cùm Waltho extremam sibi diem imminere cerneret, súosque cœnobitas ad concordiam charitatémque ultimo sermone exhortaretur, factum est, ut ipso adhuc vivente in vigilia vel in ipso festo nativitatis Dominicæ eligeretur, & Walthoni successor designaretur Norbertus. Ita conjicere & affirmare nos jubet chronologiæ ratio; nam Waltho decessit anno 1156. die 27. Decembris, eodémque anno electus dicitur Norbertus; qui dein præfuisse asseritur annos quatuor & octo dies, obiisséque anno 1160. in die circumcisionis Domini, id est, Calendis Januarii.

4. Por-

4. Porro singulari Numinis providentia factum esse arbitror, ut turbulentissimis temporibus Abbas daretur tam virtute ac fortitudine, quàm generis pristinæque dignitatis splendore spectabilis. Ingens enim rerum mutatio ipso anno, quo regimen adiit, Bavariam afflixerat, Ducúmque authoritatem minuerat; nam Fridericus Ænobarbus Imperator Henrico Leoni Saxoniæ Duci Bojaricum quidem principatum restituerat, contra verò Marchionatum Austriæ, qui eò usque ad Bavariam pertinuit, ab eadem avulsit, & peculiarem Ducatum fecit. Accisis ita Ducum nostrorum opibus, necesse fuit, minui quoque subditorum fortunas ac libertatem, à quibus pendenda multa in subsidium principum variis de hinc bellis & litibus involutorum, donec major serenitas allucesceret.

5. Præterea anno 1157. sub finem Martii, quo tempore divinæ Passionis mysteria ab Ecclesia colebantur, tam densa nix cœlo decidit, frigusque prorsus insolitum terram aerémque constrinxit, ut magna hominum multitudo contractis ex frigoris vehementia morbis contabefacta perierit. Extremum frigus excepit extrema siccitas ac solis æstus, qui maximam veris & æstatis partem perduravit. Calendis verò Julii horrenda grando agrorum fructus pessumdedit, ventorúmque tantus furor invaluit, ut non solùm segetes consumeret, arborésque stirpitus evelleret, sed etiam ædificia multa, & castrorum munimenta humi prosterneret, ac variis in Ecclesiis turres cum campanis dejectas confringeret. Verùm inter tantas calamitates nec Deus, nec animus Norbertum deseruit, sed amaris dulcia miscuit; ad quæ jam referenda accingimur (d).

(d) *Codex D. f. 70.*

§. III.

Favor Pontificis Romani.

6. Videns temporum iniquitatem Norbertus, primum sibi rebúsque monasterii robur à Petra apostolica petendum putavit. Quare primis statim regiminis sui exordiis confirmationem omnium bonorum, & Pontificiam protectionem ab Adriano Quarto ejus nominis Papa petivit & obtinuit, mense quarto, postquam cœnobii gubernationem accepit, nam Chronologus noster Bullam anno 1157. datam annotat. Ejus tenorem adjicio (e):

Adrianus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Nortberto Abbati S. Petri in Wezzinsbrunnen, ejúsque fratribus salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quoties à viris Ecclesiasticis Apostolicæ protectionis præsidium imploratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium vota debita charitate complere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & ipsum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, & omnia bona ipsius, quæ impræsentiarum justè, & legitimè possidet, vel in futurum, Deo propitio, rationabiliter poterit adipisci, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat personas vestras, seu prædictum monasterium, vel bona ejus temerè perturbare, aut quibuslibet vexare molestiis. Siquis autem hæc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani septimo Calendas Apriles. Est ergo hæc Bulla Romæ scripta vigesima sextâ Martii, postridie Annuntiationis Deiparæ, feria tertiâ hebdomadæ sanctæ, cùm Pascha celebraretur die 31. Martii.

(e) *Cod. D. f. 70.*

§. IV.

Lites compositæ.

7. QUantis controversiis agitata fuerit Gisilæ de Seeveld monialis nostræ hæreditas, ad satiem sub regimine S. Walthonis audivimus. Plena tandem quies Norberti temporibus est reservata. Nam Ludovicus, Ludovici Comitis de Oettingen filius, extincto patre, qui tantas nobis lites intenderat, divino haud dubie instinctu Biberbacensi prædio sponte se abdicavit, omnémque metum ac suspicionem ulterioris infestationis, ac exactionis penitus sustulit. Abdicationis hujus testis gravissimus fuit ipse Dux Guelfo, Henrici Leonis patruus, ac Superbi frater: Bernardus de Weilheim, Norberti Abbatis pater: Bernardus junior, Abbatis frater ac Weilheimensis Dominii hæres: Egino de Musse: Bertholdus de Perge: Dieto de Raverspurg, Guelfonis minister, aliique octo. Qua ratione succedentibus annis prædium istud à monasterio dimissum vel avulsum fuerit, nondum mihi compertum est.

8. Aliam controversiam Norberto motam ex monumentis Staingadensibus eruimus. Dux Guelfo tradiderat monasterio prædium quoddam in Moreaweis, acceptâ à nobis pecuniâ decem talentorum: cujus traditionis testes fuerant Hermannus & Henricus, germani fratres de

Ramungen, Weilheimensis Dynastæ ministri, aliique plures (f). Interea Hildeprandus quidam Guelfonis minister dictum prædium ab ipso Duce jure beneficii se accepisse asseverabat, quamvis Guelfo id negaret, ac toto capite abnueret. Igitur Dux prædium Hildeprandi unguibus ereptum cœnobio asseruit. Pupugit Hildeprandum Ducis sententia, atque ita exacerbavit, ut cùm in ipsum Ducem non auderet, omne calumniarum genus in Norbertum, ejúsque monachos, ubicunque posset, tum ipse, tum per amicos suos effunderet, per summum nefas se à nobis possessione sua dejectum conquestus. Norbertus Abbas, jurium quidem monasterii studiosissimus, amantior tamen quietis ac famæ, cujus odore bono hactenus monasterium floruerat, de remedio cogitandum esse censuit, malens aliquid facultatum, quàm boni nominis perdere. Hildeprandum summa humanitate cum ejusdem amicis vocavit Schongavium, ubi præsente Duce lis componeretur. Ibi audiente Guelfone Nortbertus pro quieta prædii possessione Hildeprando sex talenta se persoluturum spopondit, si cederet. Non ausus est resistere, Ducem reveritus, & petitionis æquitatem perspiciens, homo alioqui pervicax, juri suo cuicunque renunciavit. Dux igitur ipse, vel cœnobii misertus vel erroris sui memor, tria pro nobis talenta persolvit; tria reliqua Norbertus dedit: atque ita controversiam omnem extinxit. Testes rei gestæ adstiterunt Hermannus de Ramungen, Dieto de Ravenspurg, Hildeprandus de Morenweis, alius à litigatore ac monasterii fautor, utpote qui Adelhaidam filiam in cœnobio nostro habebat monialem: & Conradus Zunde de Langenriet cum aliis tribus.

9. Quòd Conradus de Lützilstein Episcopus Augustanus tempore Walthonis jam anno 1154. prædium Marchdorffense monasterio nostro sua authoritate confirmaverit, superius me commemorâsse arbitror. Verùm ratione decimarum vel ex illo prædio reddendarum, vel jam antè ad nos pertinentium, orta est quarto post anno controversia. Quare Norbertus Augustam se contulit litis arbitrum Conradum Episcopum imploravit, qui favorabilem pro nobis sententiam tulit, monasterióque securitatem restituit, testibus Hezilone Abbate S. Udalrici, Nortberto Abbate Wessebrunnensi, Sigefrido Ecclesiæ Cathedralis Præposito: Hermanno Plebano, Pertholdo Cellerario, Rudigero, Friderico, VVernhero Diaconis, anno salutis 1158 (g).

(f) *Cod. D. fol. 71.* (g) *Idem Codex D. fol. 72.*

§. V.

Prædia monasterio acquisita.

Quatuor præcipua in monasterio nostro officia Walchonis tempore fuerant vel antiquitus jam reperta, vel recens instituta. Primum gerebat Præpositus, alterum Cellerarius, tertium Camerarius, quartum Eleemosynarius. Hujus postremi munus erat, providere pauperibus, quorum sustentationi jam ante à Walchone Abbate constructa erat domus propria, quam eleemosynariam vocabant. In ea tum qui transibant pauperes tam vitæ subsidia, quàm viæ capiebant: tum alii perpetuò alebantur, & ex Christi ac S. Petri facultatibus sustentati, Deo in simplicitate cordis serviebant. Ne autem credas, sordidam mendicabulorum stationem fuisse hanc domum, testantur Chronica nostra, nobiles quoque viros in domo hac eleemosynaria extremos vitæ dies transigere exoptasse; eos præcipuè, qui disciplinæ quidem rigorem inter monachos ferre non audebant, in familiam tamen nostram suscepti ad felicem obitum piis exercitiis & divinorum officiorum frequentatione suaviter se componere cupiebant.

11. Inter eos homo liber Bertholdus, & filius ejusdem Rudbertus prædium quoddam apud Wolfgrueb cum omnibus ad id pertinentibus, vel deinceps adnascituris, ad usum domûs eleemosynariæ perpetuò transscripserunt ac tradiderunt, ea lege, ut uterque deinceps in eadem domo sustentaretur. Et pactum istud ac traditionem confirmárunt testes, Gozbertus de Schlitten ex familia S. Petri, credo à servitiis Abbatis, vel alius monasterii minister: Ludovicus Nasili, Otto magnus, aliique multi.

12. Bertholdi ac Rutberti exemplum secutus est alius liber homo de Wolfgrueb, prædiúmque *Golgelberg* appellatum, quod in eadem villa hæreditario jure possederat, eo pacto tradidit, ut ejusdem usus pertineret ad domum eleemosynariam, ipséque in eadem usque ad vitæ suæ terminum sustentaretur. Res tota iterum confirmata testibus, Udalrico de Bellinschwang, Henrico de Grute, Weriando de Richilingen, Wichardo & Bernardo de Schalinschwang. Hæc de Domo eleemosynaria sub Norberto Abbate, quam non dubito à proximis quoque ejusdem successoribus cultam fuisse & conservatam, donec temporum iniquitas eandem sustulit, aut pauperum multitudo aliud iisdem succurrendi consilium suggessit. Cæterùm Grutenses Nobiles, sicut & Richilingenses sæpius deinceps occurrent.

§. VI.

§. VI.

Obitus Norberti.

13. CHronicon nostrum Norberti decessum his verbis exprimit: *Anno Domini 1160. obiit venerabilis & nobilis Dominus Nortbertus Abbas S. Petri in Wessinsbrunnen in die circumcisionis Domini.* Verùm ut supra (h) insinuavimus, scribendus est annus 1161. nisi unicum præcedentis anni diem pro integro anno computatum fuisse permittamus. Ejusmodi contentiones chronologicæ cùm in singulorum ferè Abbatum annis recensendis occurrant, consultò deinceps à nobis omittentur, nisi ipsa Præsulum acta aliud suaserint. Cæterùm in vetustissimo Benedicti Abbatis Calendario, cui plerorumque ferè Abbatum nomina sunt inscripta, Norbertus non invenitur. Neque sepulturæ locus ullibi indicatur. Crediderim tamen, eundem in ecclesia potiùs Wessofontana aut aliquo ejusdem sacello sepultum, quàm in capellam S. Ursulæ Pollinganam deportatum, gentis suæ tumulos auxisse: quippe qui post amplissimas dignitates claustrum elegerit, generis splendori renuntiârit, Walthoni magistro & Abbati suo ut amore conjunctissimus fuit, ita & sepulcro sociari maluerit, quàm inter marmorea majorum suorum monumenta nomen suum celebrari. Et fortasse Walthonis exemplo, qui sub omnium pedibus sepeliri voluit, ipse tumulum suum omnino nesciri optavit.

14. Cæterùm Norbertus propagandæ Religionis zelum satis ostendit, dum vivus adhuc ex Hirsaugiensi cœnobio ad servandum disciplinæ rigorem monachos S. Wilhelmi, celeberrimi tunc archimandritæ, doctrinis imbutos vocavit. Credo enim, nullius id authoritate fieri potuisse, nisi Norberti, cùm neque Cæsar bellis implicitus id negotii sibi sumeret, neque Dux novus Henricus Leo in componendis Bojariæ primùm recuperatæ rebus occupatus, neque Conradus Episcopus, multis pro Cathedrali ecclesia sua curis impeditus. Neque opinari fas puto, intra quadriennii spatium à Walthonis morte dilapsum, ita defluere disciplinam potuisse, ut Norberto mortuo ipsi monachi neminem inter se pedo dignum invenerint, ut accersendus esset alienigena cum colonia peregrina: nisi fortè ipsorum humilitas dignitatem declinare, aliúmque ad religionis vigorem conservandum postulare persuaserit.

(h) *Seculi IV. Cap. VI. §. III.*

CAPUT

CAPUT II.

Lantoldus Abbas XV.

§. I.

Lantoldi vocatio.

1. SCribitur hujus Abbatis nomen etiam Lupoldus, & plerumque Luitoldus aut Luitboldus: verùm nos Lantoldum appellare maluimus, quia ipse se talem in æreo monumento voluit nominari, ut infra (a) videbimus. De quo Abbate tametsi chronica nostra altissimè sileant, qui genus, unde domo fuerit, adeóque nullum nobis dubium relinquere videantur, quin apud Wessonis fontes per solemnia religionis vota se Deo consecrarit, cedendum tamen est hac in parte authoritati magni Trithemii, credendúmque, Lantoldum ex monasterio Hirsaugiensi fuisse ad Boios vocatum. Nam ille in chronico Hirsaugiensi de monachis ad S. Wilhelmi disciplinam formatis, atque ad exteras Abbatias vocatis disserens ita scribit (b): *Ad monasterium verò in Besselbrunn Augustensis Diœcesis Lupoldus Abbas cum sex monachis de isto cœnobio Hirsaugiensi missus est, vir tam in eruditione scripturarum illustris, quàm experientia rerum commendabilis; moribus nihilo minus & vitæ merito valde reverendus, qui monasterium sibi commissum ad observantiam regulæ summa cum diligentia restituit, & in temporalium provisione notabiliter satis ampliavit.* Hæc Trithemius. Neque indecorum nobis videri debet alia ex provincia petitum nobis Abbatem; nam neque is aliunde S. Regulæ observantiam didicit, nisi ex institutione S. Wilhelmi (c), qui nobili in Bavaria genere natus (sunt, qui Schyrensium stirpe velint) adolescens â parentibus Deo oblatus, inque monasterio S. Emmerami educatus, ac demum ibidem professus, sub S. Ramvoldi Abbatis disciplina crevit in virum sanctitate ac sapientia maximum. Inde, cùm monasterii sui Priorem ageret, solemni legatione Hirsaugiam petitus, multisque precibus obtentus ac pervictus celeberrimam illam Reformationem exorsus est, eámque in filios ac nepotes propagavit, ex quibus nos Lantoldum non tam ut externum subsidium, quàm fructum ex arbore Bavara nobis debitum, ac à Suevia nobis restitutum accepimus.

2. Annales nostri Lantoldum præfuisse narrant (d) *tempore totius tribulationis* (e), *laboris & persecutionis*, credo, ob atrocissimum schisma, quod inter Alexandrum III. Pontificem, & Fridericum I. Imperatorem exor-

exortum est, ac per viginti ferè annos Ecclesiam, Imperiúmque miserabiliter perturbavit. Interim Lantoldum tum Norberti decedentis suasu, tum propriæ virtutis merito à monachis fuisse electum arbitror, nec diu post obitum decessoris inauguratum 1161. Monachorum porrò nomina, quos authore Trithemio senos ex Hirsaugia secum adduxisse dicitur, ignota sunt. Lantoldus regimen aggressus cedere quidem temporibus debuit, sed non succubuit: cœnobii enim detrimenta fortunæ vi inflicta commodis non exiguis compensavit.

(a) *Hujus Cap. §. III. num. 9.* (b) *Chron. Hirsaug. fol. 274.* (c) *Trithem. ibid. fol. 220.* (d) *Cod. D. fol. 73.* (e) *Cod. C. fol. 101.*

§. II.

Bona monasterio acquisita.

3. PRæteritis iis prædiis, quæ Lantoldus variis colonis pro annuo censu locavit, illi nunc laudabuntur, qui spontanea liberalitate monasterio augmentum dederunt. Engilramus de Hohenstein, strenuus miles, ac olim Engelberti marchionis Crayburgensis minister, monasterio nostro per manus filiorum suorum delegavit ac tradidit mansum in Udulboldingen, perpetuis temporibus monachorum usui serviturum. Testes delegationis erant Hertandus & filius ejus Wolfherus: Gotescalcus, & alii octo (f).

4. Otto verò Ducis Guelfonis minister, gemina donatione de monasterio nostro benè meritus est, licèt eam suis conditionibus circumscripserit. Nam inprimis S. Petro tradidit prædium in Nidernhoven per manum sororis suæ, quæ tam proprio, quàm fratris nomine omni juri, quod in illud prædium utrique competebat, legitimè renuntiavit. Interim tamen acceperunt à Lantoldo Abbate curtem quandam forestensem, quæ *Lupi* dicebatur, per modum concambii, quâ fruerentur ad dies vitæ, nisi citiùs illam Deo inspirante monasterio restituerent. Rem gestam testimonio suo roborârunt Henricus parochus de Jesenwang, Conradus, Henricus, Wernerus de *Grun*, Conradus de *Wilbungried*, Conradus Man, aliique multi de familia.

5. Præterea idem Otto quatuor S. Petro mancipia donavit, nempe filium & filiam, aliúmque marem ac fœminam: quorum duos postremos, facta traditione, ad dies vitæ in obsequio suo futuros recepit, si non antea servituti fratrum eos remitteret. Inter testes primus erat Henrici Advocati nostri præpositus, & præter eum alii undecim.

6. Vir Nobilis Walchunus de Stainbach, animæ suæ parentúmque defunctorum subsidium præstiturus, monasterio nostro prædium, quod habebat in Pfaffenhoven, tradidit, idémque mox iterum à Lantoldo Abbate beneficii loco recepit, in usus suos, donec viveret, convertendum; à morte verò ipsius ad S. Petri Ecclésiam reversurum: interea jussus est annuatim denarium monasterio solvere in accepti beneficii testimonium. Testes intererant Adalbertus de *Ludenhusen*, Fridericus de *Issingen*, Henricus & Wernerus fratres germani de *Grate*, Geroldus & Sifridus Ducis Guelfonis villici, Udalricus caprarius, aliique septem.

7. Walchuni exemplum æmulatus est frater ejus Hartnidus de Stainbach, pari nobilitate ac pietate insignis. Is aliud prædium suum, quod in Pfaffenhoven possederat, monasterio donavit in remedium animæ tam suæ, quàm parentum ac propinquorum, præcipuè fratris sui Hartmanni, cujus eâdem die celebrabantur exequiæ, corpúsque in cœnobio nostro terræ mandabatur. Donationem Hartnidus fecit per manum Walchuni fratris, testibus iisdem, qui hujus donationi ante memoratæ adfuerant. Hartnidus porrò, auspicato bonæ mortis omine, diem supremam obiit pridie S. Barbaræ Virginis & Martyris, sicut antiquissimum nostrum Necrologium testatur.

8. Liberaliorem se exhibuit vir Nobilis Udalricus de *Antorff*. Amiserat ille, nescio, an legitimo bello, an ex insidiis, alienâ occisos perfidiâ fratres, & interfectorum cadavera apud Wessonis fontes sepulcro mandaverat. Motus igitur fraterna pietate, eodem die, quo eorum manes placaverat, ad majus defunctorum solatium parentúmque suorum adjumentum, ut plures eis apud Deum suffragatores conciliaret, duo nobis prædia donavit, alterum in Maruta, in Haga alterum, solo sibi Advocati jure in eadem prædia reservato. Testes fuêre Udalricus, Bernardus, Arnoldus de Antorff, aliique tum Suevi, tum Bavari. Atque his quidèm donationibus auctas viderat Lantoldus monasterii facultates externas: nunc ad interiorem cœnobii statum convertamur.

(f) *Codex D. fol. 74. ubi & cætera hîc recensita inveniuntur.*

§. III.

§. III.

Monasterii status interior.

9. DUbitari non potest, quin disciplina monastica sub Lantoldo non modo nihil antiqui vigoris amiserit, sed etiam incrementa sumpserit, legibus præsertim Hirsaugiensibus omnia ad sanctissimam vivendi normam redigentibus. Neque scriptas solùm habebant S. Wilhelmi constitutiones Wessofontani, verùm etiam in ipso Lantoldo ac sex ejusdem sociis, egregio virorum delectu, viva earundem exempla præ oculis habebant. Accessit Lantoldi insignis zelus pro splendore domûs DEI; licèt enim Ecclesiam à Walthone acceperit quatuor novis ornatam sacellis, ad amplius tamen illius decus ac munimentum roboream templi januam in duas se valvas pandentem construxit, eámque fusis ære cardinibus solidavit. In medio ærea S. Petri imago effulgebat, & coram ea genuflexus Lantoldus, cujus ex ore hæc verba æreis fusa litteris ad S. Apostolum dirigebantur: *Sancte Petre.* Hic præterea versus in ære legebatur, sed divisus, ideóque perperam à descriptore collectus; sic enim legendus erat:

Lantoldi memores sint omnes ista legentes.

10. Superest, ut Parthenónem quoque Wessofontanum paululum inspiciamus. Tantum abest, ut is ex iniquitate temporum quidpiam detrimenti ceperit, ut potiùs numero & pietate auctum existimem. Audivimus, plures illustres virgines ac viduas in eundem à S. Walthone susceptas; neque omnia earundem nomina per litteras ad nos pervenêre: pleræque earum, nisi validè fallar, sub Lantoldo adhuc supererant: aliarum quoque accessu auctum fuisse sacrum gynæcéum necesse est. Illud expeditione Henrici Advocati facilè colligitur, qui à Lantoldo Abbate & conventu Wessofontano curtem in Paringen sive Pergen (qui vicus est hodie Landspergensis præturæ) sibi concedi postulavit eo pacto, ut duodecim sorores monachas cum duobus sacerdotibus ex monasterio nostro evocatas ibi deinceps aleret, omnem domûs suæ decimam novæ coloniæ adjecturus. Cautum tamen est, ut si intra biennium operi meditato coronidem non imponeret, curtis ipsa ad usum fratrum sine contradictione reverteretur. (g) Actum est negotium coram testibus Die-

terico de *Rieden*, Sigibothone *Krugio*, Conrado de *Grute*, Sigefrido de *Meglingen*, Adalberto Dapifero, aliisque duobus. An propositum suum executus fuerit Henricus, incertum est; dum enim Stephanus noster scribit: *& ita factum est*: obscurum relinquitur, an hoc de instituto novo monasterio sit intelligendum, an verò de prædio re infecta ad cœnobium nostrum reverso. Quidquid id est, satis luculenter colligitur, numerosum fuisse parthenónem, ex quo duodecim moniales postulavit Henricus, non utique illum evacuaturus, sed plures inquilinas relicturus, quàm educturus. Quodsi dimidiam partem petivit, saltem viginti quatuor moniales fuisse colliges, numerum utique satis spectabilem, si temporum illorum acerbitatem consideres. Majora incrementa parthenius iste cœtus accepit sub Sigibaldo Abbate XVIII. de quo plura inferiùs.

II. Præter disciplinæ vigorem studia quoque litterarum egregiè promovit Lantoldus, sancti nimirum Wilhelmi consuetudinem æmulatus, qui teste Trithemio maximam litterarum curam habuit, ac propterea octo scriptores constituit in rescribendis SS. voluminibus & SS. Patrum libris perpetuò occupatos: hos libros distribuit monachis suis ad aliorum cœnobiorum regimina evocatis, tanta liberalitate, ut pauci admodum codices Hirsaugiæ remanerent. Lantoldus igitur, si post sexagesimum à S. Wilhelmi obitu annum volumina, quæ afferret, non habuit, certè inter comites suos monachos unum alterúmve adduxisse credendus est, qui calami elegantiâ scribendique arte floreret. Existimarem, si Chronologia pateretur, Ludovicum monachum inter eos unum & fortè principem fuisse. Certè Wulfhildis nostra sub Norberto & Lantoldo superstes esse facilè potuit, & longiùs etiam, ut Ludovicus iste Epitaphium ejus concinnâsse potuerit. A Lantoldi hujus tempore fluxisse credo consuetudinem, discrimen faciendi inter fratres litteratos & illiteratos seu barbatos, cujus vestigium sub Conrado Abbate vigesimo adhuc videbimus.

(g) *Codex D. fol. 74. Contigit hoc 1163.*



§. IV.

§. IV.

Lantoldi obitus.

14. LAntoldi è vivis excessus in Chronico vetere his verbis describitur; *Anno Domini 1165. obiit venerandus Dominus & Pater Luitoldus Abbas in Wessinsbrunnen in Vigilia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.* Si Stephanus noster, ex cujus Chronico hæc decerpsimus, ex coævis Lantoldo documentis verba ista exscripsit, argumento sunt, eo jam tempore cultam celebratámque apud nos fuisse Conceptionem Deiparæ. Hoc porro, quod attulimus, totum Abbatis hujus funebre elogium est, quin de loco sepulturæ aliqua fiat mentio. Præfuit quinque annis ferè integris, die septima Decembris extinctus. Scribitur alicubi, sex annis tenuisse clavum: verùm eum annorum numerum nec præcedentium, nec subsequentium Abbatum Chronotaxis patitur. Cæterùm varietas nominis, cùm Lantoldum seipse in templi valvis, Chronologus noster Luitoldum, Trithemius Lupoldum appellârit, neminem turbabit, nisi qui propria seu locorum seu hominum Teutonicorum nomina, contra omnem historicorum consuetudinem, ad unius ejusdémque libellæ voluerit examen vocare.

CAPUT III.

De Conrado I. & Udalrico I. Abbatibus.

§. I.

Conradus I. Abbas XVI.

DOcumento fuit hic Abbas hominibus, quàm fragili cuncta mortalia nitantur pede; vix enim adeptus Præsulis dignitatem, eandem unà cum vita, mortis imperio posuit. Decrescente anno, 1165. suffectus in Lantoldi locum, crescere in eximias spes videbatur: verùm renascente anno 1166. priusquam aliquid decerneret, decrevit in tumulum, quadragesimo post electionem die circa festum S.

Antonii Abbatis, quod agitur 17. Januarii communi omnium luctu extinctus. Habebamus quidem jam antea Præsules microbios & parùm diuturnos, Hattonem biennio, Adalbertum anno tantùm unico imperantem; at verò Conradus iste quadraginta dierum, jejunandi, non gubernandi tempus invenisse visus, præsagio cuidam fuit, octo etiam dierum Antistitem Fontibus imminere, Udalricum nempe secundum, anno 1260. electum, & septimanâ vix elapsâ defunctum. Verùm nos jam ad Udalricum I. convertimur.

§. II.

Udalricus I. Abbas XVII.

Alleviata monasterii paupertas.

1. Difficillimum præsulatûs sui exordium Udalricus invenit. Nam cùm Principum auxilio nudum esset cœnobium, quibus bello implicitis non vacabat Ecclesiarum tutelam attendere, & præterea diuturna terræ sterilitas, sævities grandinum, pecorum lues facultates nostras vehementer afflixisset, Udalricus cœnobium pene ad incitas redactum, & magna æris alieni mole gravatum deprehendit. Plurima vidit à decessoribus suis non decocta quidem, sed per temporum iniquitatem vel alienata vel oppignorata. Jam tunc Welfonis Ducis ministeriales Henricus & Hermannus de *Ramungen* duas curtes Peckstettenses in pignore tredecim marcarum à nobis acceperant. Henricus Advocatus tres curtes Weilenses pro mutuo triginta talentorum ære per aliquot jam annos possidebat. Stozzardus, civis Schongaviensis, duas magni pretii cruces aureas, & cappam, vestimenti Ecclesiastici genus, pro viginti talentis impignoratas asservabat. Nobili fœminæ Cunigundæ de Erringen marcæ decem, aliæ decem *Udalrico* sacerdoti *Sandaviensi*, totidémque Luitoldo de *Mantichingen*, nullo quidem pignore, sed accepta datáque fide debebantur. Tam erat intricata rei familiaris ratio, ut qui nos hoc Labyrintho extricaret, Ariadnæo filo, & plusquam humano ferè ingenio indigeret.

2. Collatis igitur Abbas & Fratres consiliis in eam descendêre sententiam, ut ex duobus malis minus eligendum, unâque grandi summâ mutuò

mutuò acceptâ tam diversis debitis occurrendum esse censuerint, velut Alexander, nodum tam implexum uno ictu dissoluturi. Verùm erit fortassè, qui remedium sic excogitatum ipso vulnere pestilentiùs judicet, si conditiones attendat, quibus æs istud alienum susceptum est. Udalricus vir tum opibus propriis locuples, tum officio potens erat, in quo nostri fiduciam suam reponebant; commissam enim illi sciebant summæ Augustanæ sedis œconomicam curam. Ab illo accepêre centum marcas examinati argenti, præsente Advocato Henrico, aliisque testibus multis: quas ille eo pacto mutuas dedit, ut ipsi & uxori ejus Machtildi quotannis à monasterio plaustra decem (a) onerata vino, in domo propria Augustæ, & quidem ad festum S. Andreæ persolverentur: ex qua conditione patet, quantos proventus illa ætate protulerint vineæ nostræ, cùm tanta copia in censum annuum offerri potuerit. Præterea impignoravimus Udalrico prædia nostra Perghoven, Marbach, Plintenzell, quorum fructus in ipsius usum cederent, siqua annorum sterilitas, aliáve calamitas vinum nobis adimeret, creditori pendendum. Quodsi verò fruges etiam prædiorum sæva grandine perderentur, ut ne frumentum quidem pro vino posset recipere creditor, promisimus, in locum illorum fructuum decem argenti libras nos ad idem S. Andreæ festum persoluturos. Si denique neque vinum, neque ex prædiis frumentum, nec pro frumento pecunia dicto die fuerit persoluta, jam ex tunc liberam prædiorum possessionem, omniúmque ex iis fructuum perceptionem, donec viveret, Udalrico concessimus. Præterea conventum est, ut si ipse Udalricus è vivis decederet, septem vini plaustra monasterio permanerent salva; tria tantummodò uxori superstiti mitterentur: contrà verò, si prior ipsa obierit, tria nobis plaustra remanerent, septem reliqua ad superviventem Udalricum devenerentur. Postremò pacti fuimus, ut si nos factæ conventionis aliquando pœnituerit, totam commodati nobis argenti summam in Nativitate S. Joannis Baptistæ numeratâ pecuniâ solveremus, atque ita omnes præmissæ conventiones in irritum revocarentur. In hac conventione comprehensum non fuit aliud quoddam prædium, cellæ nomine nuncupatum, quod Udalricus & uxor ejus, datâ nobis summâ quadraginta talentorum Augustanæ monetæ, utendum acceperant, eo pacto ut ipse in testimonium jurisdictionis nostræ sex denarios pro censu annuatim persolveret: post ipsius verò, & uxoris mortem prædium ipsum cum universis mobilibus ibidem repertis in monasterii potestatem reverteretur.

3. Rebus ita compositis, acceptáque pecuniâ, ad extinguenda debita, redimendáque pignora Udalricus Abbas processit. Primùm Henrico Advocato in redemptionem Wilensis prædii triginta, in redemptionem

nem verò prædii Aulungensis octo marcas persolvit, utpote cùm pro eodem jam dudum alias octo solvissemus. Quatuor eidem Advocato marcas dedit Abbas, ut Fratribus in gerendo hoc negotio procedendi libertatem permitteret, nec ipse se unquam immisceret. De residuo argento quadraginta & octo marcæ, tam ad redimendam Ecclesiæ nostræ fidem, quàm ad recuperanda pignora singulis creditoribus sunt persolutæ; decem verò postremæ ad coëmendum pro monasterio frumentum expensæ. Atque ita jam ferè nemini eramus debitores, nisi soli Udalrico, sedis Augustanæ œconomo.

4. Eodem ferè tempore Udalricus aliorum quoque fores pulsavit, & misericordiæ subsidia petiit. Documento est epistola ejus, quam initio ferè regiminis ad cœnobii Tegernseensis conventum dedit. Eam Pezius (b) recitat hîs verbîs conceptam:

„ Sanctissimis in Christo Patribus, Dominis & fratribus Decano, „ Præposito & universo Tegrinsensis Ecclesiæ Capitulo, V. Wescinbrunnensium Fratrum DEI gratia, minister humilis, cum toto grege S. Petri devotas orationes cum obsequio. Universitatem vestram, Deus „ scit, ita pleno mentis affectu colimus, sicut quibus plenariè debito „ Fratrum charitatis astricti sumus, quorum pax, & gaudium tam in „ spiritalibus, tam in temporalibus nostra sunt, & esse debent in Domino. Tribulationem, qua manus Domini tetigit nos, scitis jam & audistis, quam in spiritu contriti cordis & humiliati, beatæ, in vobis „ habitanti illi, quæ nunquam excidit, charitati conquerimur. Hoc igitur à vobis omnibus in subsidio ruinarum domûs nostræ flagitamus, ut „ quoniam Ecclesia grandis fidelium, DEO jubente, convenire debebit „ apud vos, collectam nobis petere concedatis, & ipsi ad eam promovendam nos misericorditer adjuvetis, ut Pater misericordiarum DEus „ centuplicato vobis fructu & hic & in futuro restituat, & nos fideliter „ in perpetuum mereri debeamus.

Nullus dubito, quin inde etiam inopiæ levamen Conradus acceperit, tanquam ab illis, qui, ùt aliàs diximus, (c) monasterio nostro post illatam ab Hungaris vastitatem, vel fraternitate nobiscum conjuncti fuerant, vel etiam S. Ordinis apud Fontes nostros denuo restaurandi sive adjutores sive authores fuêre.

(a) *Codex habet*: decem carradas. (b) *Tom. 6. Anecd. P. 2. fol. 21. col. 1. num. XLIV.* (c) *Sec. III. Cap. I. §. IV. sub Præposito sexto.*

§. III.

§. III.

Gravis in Udalricum Abbatem persecutio.

5. Udalricus iste œconomus, cujus nomen auspicatum nobis videri debuit, gravissimæ calamitatis occasio fuit; nam dum illius ope temporaneas difficultates paululum alleviavimus, in damna spiritualia devoluti sumus. Nuperrimè Conradus de Lyzlstein Episcopus Augustanus Welfonis (a) assecla, in bello, quod inter Ducem hunc, & Palatinum Tubinganum exarserat, profligato multisque cædibus afflicto Welfone, rerum humanarum turbarúmque pertæsus, dignitate se abdicârat, & in S. Udalrici cœnobio Augustæ monachum induerat. (b) Viduatæ Ecclesiæ de Pastore provisuri Canonici postulârunt Hartvvicum de Lierheim ejusdem monasterii Priorem, qui plures jam annos à Conrado decessore administrator adhibitus, cathedrali collegio dexteritatem prudentiámque suam præclarè probaverat. (c) Is clavo admotus non jam occidentem, sed orientem solem adoravit, non adulatione, non animi levitate, sed Ecclesiæ suæ studio, cujus opes Imperatorum Ducúmque dissidiis admodum viderat imminutas. Non igitur jam Welfonis nuperrimè devicti, sed Friderici Cæsaris partem, familiámque coluit: & hic aculeus in oculo Welfonis fuit. Speraverat iste, Dux alioquin æquissimus, & fortissimus, meritóque Germaniæ Achilles appellatus, speraverat, inquam, extinctâ Schvvabeckianorum Comitum stirpe, qui eò usque Augustanæ Ecclesiæ fuerant Advocati, in eorum officium se successurum. (d) Verùm Hartvvicus Duces Sueviæ elegit Advocatos, è quorum sanguine Fridericus Imperator descendit; qui, cùm iniquo esset in Welfones animo, haud dubiè neglectis propinguis suis Hartvvico fuerat irasciturus. Welfo igitur repulsæ impatiens occultare iracundiam suam non ita poterat, quin aliorum oculos animósque feriret; præcipuè cùm jactatis hincinde querimoniis Hartvvicum ejusque asseclas schismatici Cæsaris partibus favere causaretur contra Pontificem, cui ipse cum omni familia pro avito Religionis studio semper fuisset addictissimus.

6. Mirum non est, perculsos fuisse quorundam animos, cùm servandæ in summam sedem pietatis leges audirent ab Episcopo violatas. Non deerant, qui crimini ducerent ac reformidarent, quamcunque cum Hartvvico societatem inire. Et planè Udalrico Abbati nostro pessimè vertit, quòd Episcopale ærarium, ùt obtendebatur, in rei domesticæ subsidium

 nuper

nuper vocâsset; cùm tamen Udalricus ille, creditor noster, non tam Episcopo, quàm Ecclesiæ, vel Capitulo Augustano serviret, tamquam *Augustensis sedis* (domûs, seu summæ ædis) *Villicus major* ac œconomus. Quidquid id est, fuêre duo ex monachis nostris, Carolus & Henricus, sive Welfonis instinctu, quod verosimillimum, sive intempestivo scrupulo incitati, qui non tam verâ ducti pœnitentiâ, quàm eandem in Abbatis invidiam & Welfonis gratiam simulantes, Romam currerent, veniam à summo Pontifice petituri criminis, quod Abbatem schismatico Episcopo adhærentem essent secuti. Ut simulatam fuisse eorum pœnitentiam suspicari audeam, argumento mihi est Welfonis epistola, quam secum isti ad Pontificem detulerunt. Ab illo itaque absoluti, domúmque remissi geminum diploma reportavêre, quorum primo ipsi ad monasterium recipi, altero Abbas in perpetuum excludi jubebatur: operæ pretium est utramque Bullam apponere.

Bulla prima

pro receptione Caroli & Henrici.

ALexander Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Capitulo S. Petri in Wessinsbrunn salutem & Apostolicam benedictionem. Ex relatione Henrici & Caroli fratrum vestrorum, & ex litteris dilecti filii, nobilis viri, Ducis Welfonis, manifestè nobis innotuit, quòd iidem fratres vestri ei, qui apud vos Abbatis locum tenebat, adhærere minimè dubitaverunt, cùm idem Abbas schismaticus sit, & schismaticam foveat pravitatem. Unde quia præfati monachi, sicut ex eorum confessione & ex litteris præfati Ducis accepimus, recesserunt ab ipso, & ad devotionem nostram & unitatem Catholicam redierunt, nos eos, ad nos sicut videtur, prompta devotione conversos, paterna charitate recepimus, ipsosque secundum morem Ecclesiæ absolvi fecimus, & absolutos cum gratia ad ecclesiam vestram duximus remittendos. Mandamus itaque discretioni vestræ atque præcipimus, quatenus prædictos Monachos sicut absolutos recipiatis, & faciatis absolutos haberi, quia dignum est & conveniens, ut à DEI fidelibus sicut absoluti debeant recipi, quos Apostolica sedes judicat absolutos. Datum Anagniæ secundo Calendas Octobris.

Bulla

Bulla secunda
pro exclusione Udalrici Abbatis.

Alexander Episcopus, servus servorum DEI. Dilectis filiis Capitulo S. Petri in Wessinsbrunn salutem & Apostolicam benedictionem. Retulerunt nobis Henricus & Carolus Monachi vestri, quod cùm quondam Abbas vester pro suis excessibus per vos ejectus fuisset, postmodum vos ab obedientia sua, spontanea voluntate prorsus absolvit; sed Augustensis Episcopus, qui Schismaticus est, ei administrationem monasterii restituere modis omnibus elaborat. Quoniam igitur, cùm idem Abbas Schismaticus sit, sicut dicitur, & Schismaticam foveat pravitatem, sustinere nolumus, nec debemus, ut ad monasterium, præsertim per Schismaticum, revertatur: per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus si idem Abbas Schismaticus est, & vos absolvit ab obedientia sua, ipsum ulterius sicut Abbatem recipere nullatenus præsumatis. Datum Anagniæ secundo Calendas Octobris.

Ex altera hac Bulla apparet, jam ante adornatam coram Pontifice accusationem, exagitatum vel à suis vel à Guelfone fuisse Abbatem, ut ad tempus Augustam se reciperet Episcopi opem imploraturus, atque ita per qualemcunque absentiam monachos absolvisse ab obedientia videretur: aut certè si verè absolvit, id non de toto conventu, sed de dyscolis solùm intelligendum est, quorum importunitas extorquere Abbati vel invito iniquam absolutionem potuit, quam ego nil aliud reputandam arbitror, nisi calumniam impactam Abbati tunc quidem calamitoso, cæteroquin optimo, ut reliqua ejus acta monstrabunt.

7. Interea dum Henricus & Carolus par nobile fratrum, ultro citróque profecti revertuntur in patriam, & Abbatis condemnatio solis ferè accusatoribus æqua, plerisque cæteris miserabilis ac justo asperior nec nisi *subreptitiè* obtenta videtur: dum nonnulli patris optimi monasterióque saluberrimè consulentis causam defendere, aut excusare parati in medium prodeunt, ipsam sententiæ executionem eò usque protrahi contigit, donec plurimis ipsius innocentia magis magisque patesceret, utpote qui non cum Episcopo, sed solo ipsius Ecclesiæ œconomo negotium habuisset, non voluntate, sed necessitate adactus. Non est dubium, re ad Episcopum, nondum planè Schismatis convictum, delatâ, cujus fama & authoritas eâdem Bullâ gravissimè vulnerabatur, ipsum quoque Ab-

batis causam, quem innocentem noverat, sibi tuendam suscepisse: unde Pontifex veriora edoctus mitigare utique & laxare sententiam fuerit permotus. Certè ipse Guelfo Dux noster, paulo pòst conciliatus Cæsari, Tusciam ab eodem donatam accepit, ipsiusque authoritate contra Hugonem Tubinganum defensus fuit, sicut apud Adelzreitterum, novissimum Bojariæ Historiographum, benevolus Lector inveniet. (e) Udalricus noster Abbatis dignitatem nunquam deposuit, monasterium multis bonis cumulavit, ipsum denique Guelfonem sibi & Ecclesiæ nostræ beneficum habuit, in sextum usque annum feliciter præfuit, nec nisi morte compulsus è loco in tumulum decessit. Ita omnis turbo, in Abbatem excitatus, veritatis luce dispulsus evanuit, & acerba vexatio, quæ perditum ire Udalricum credebatur, in monasterii commodum versa adeò nobis pœnitenda non fuit, ut etiam exoptanda fuisse videatur.

8. Hæc, quæ de persecutione in Udalricum I. Abbatem excitata domitáque hucusque dixi, nullibi in Chronicis nostris hoc loco ac tempore relata inveniuntur, sed in omnibus manuscriptis tribuuntur Alexandro non tertio, qui ab anno 1160. usque ad annum 1181. præfuit, sed Alexandro quarto, qui sedit ab anno 1254. usque ad annum 1261. Non miretur Lector, hæc à me Alexandro tertio fuisse adscripta, cùm quarto adscribi non possint sine errore gravissimo. Nam in primis in priore Bulla superiùs relata expressè nominatur Guelfo Dux: atqui sub Alexandro IV. diu jam apud Bavaros extincta erat Guelfonum stirps & memoria, cùm ab anno 1180. jam præessent Bavariæ Duces gentis Wittelspachiæ, ac sub dicto Pontifice quartus ejusdem sanguinis Ludovicus severus ab anno 1253. Bojis præsideret usque ad annum 1294. Quomodo igitur Guelfo Pontifici post centum ferè annos electo scribere potuit? Præterea Augustanæ Ecclesiæ præfuit sub Alexandro IV. Hartmannus ab anno 1252. ad annum usque 1286. Episcopus laudatissimus, nulla unquam ab ullo Historicorum Schismatis cujusdem suspicione notatus. Quomodo ergo Schismaticus iste Schismaticum Abbatem defendere potuit? Denique eodem anno, quo Alexander IV. sedere cœpit, electus est apud nos Abbas Otto, & præfuit sex annis, de quo nihil legitur, quod Schismatis illi labem aspergeret: licèt tunc inter Episcopos Albertum Frisingensem ac Ottonem Passaviensem ex una, ac Henricum Bavariæ inferioris Ducem ex altera parte res fuissent admodum turbatæ: sed nihil hæc ad superiorem Bavariam, triennalis tamen sacrorum interdictio conciliatis cum Duce Episcopis anno 1255. penitus fuit sublata. Omnia ergo, quæ dixi de Udalrico I. Abbate, meliùs Alexandri III. Papæ, Hartvvici Episcopi Augustani, Guelfonis Ducis, Friderici Barbarossæ tempo-

temporibus congruunt. Atque ita mecum sentiet, quisquis ætatis illius Chronologiam ac historiam accuratius examinârit.

(a) *Hierarch. Aug. P. I. f. 222.* (b) *Ibid. f. 220.* (c) *Ibid. f. 223.* (d) *Ibid. f. 224.* (e) *P. I. Annal. Lib. 22. Col. 18. & 29.*

§. IV.

Emolumenta monasterio acquisita, aliáque negotia.

9. DOna fidelium monasterio nostro collata possunt esse argumento, tam Abbatis famam per memoratos turbines stetisse inconcussam, quàm regularem disciplinam egregiè floruisse; hoc enim odore trahi benefactorum liberalitas solet, & cœlestis benedictio conciliari, quæ certè dilabitur & fugit, ubi virtus & debita summæ sedi devotio incipit exulare. Primus igitur memoratur Egilolfus de *Iginspach*, homo liber, qui super altare S. Petri Deo & fratribus solemnem donationem fecit unius mansi in Iginspach, testibus Henrico advocato, Adalberto de Ludenhusen, Henrico & Friderico de Issingen, & aliis quatuor.

10. Henricus de Menzingen, nobilis vir, prædium suum, quod in eodem pago habebat, in manum Altumi, liberi hominis, consignavit, post mortem suam trahendum ad altare S. Petri. Ipse Henricus, cùm hac ratione animæ suæ de æternitatis solatio providisset, ad castra, sacrámque militiam profectus est, ac in prælio cæsus occubuit. Cujus morte compertâ Altumus, uti rogatus fuerat, prædium solemniter super S. Petri altare obtulit pro anima tam Henrici, quàm parentum & propinquorum ejus. Testes aderant Henricus advocatus, Bertholdus Comes de *Tirol*, Dietericus & Sibotho *Cruge* cum aliis tribus.

11. Wizimannus quidam, spectabilis vir de *Prideriching*, pro remedio animæ suæ curtem unam in Mahelberg Deo & fratribus ad altare S. Petri festiva donatione tradidit coram testibus Goteschalco de *Perga*; Adalberto advocati nostri pincerna; Adalberto *Musal*; Conrado & Henrico fratribus de *Grate* cum aliis tribus. Animadverte, Lector, Henrici de Stauffen Advocati nostri potentiam ac magnificentiam, qui proprium pincernam similésque ministros more Principum habuit: sed mirari desines, cùm audieris, tantopere illum, & maximè de monasterii nostri facultatibus, locupletatum.

 12. Ru-

12. Rudolphus liber homo de *Thale* duo in eodem loco amœna & pinguia prata, pratis nostris contermina, tradidit usui fratrum, ecclesiæ Wessobrunnensi in perpetuum profutura. Testes donationis fuerunt Bertholdus de *Trauting*, Luitoldus de *Thale*, Conradus *Mann*, Luithalmus & Geroldus Hagestalt cum aliis quatuor.

13. Fœminarum quoque liberalitas Udalrico Abbati non defuit. Nam Matrona nobilis Gerbirga de *Westendorff* per manum Godefridi Comitis de *Ramesperg* (f) tradidit, ac S. Petro mancipavit militem quemdam Adalberonem, & sorores ejus cum uno manso in Westendorff, sic tamen pacta, ut prædictus miles, quoad viveret, manso illo frueretur, post ejus verò excessum ad Ecclesiæ nostræ possessionem mansus reverteretur. Actum coram testibus Conrado & Ruperto de *Mettinsried*, Tatone de *Lodern*, Adalberto de *Rotenbach*, & aliis quinque.

14. Denique & ipse Dux Welfo, ex irato jam in liberalem mutatus, suam Udalrico Abbati benevolentiam & munificentiam ostendit. Nam Udalrici de *Pfetten* ministri sui sororium, cujus nomen non proditur, cum dimidio manso in Nidernhofen S. Petro & fratribus in perpetuum tradidit, sic tamen, ut primùm post illius sororii mortem plena possessio ad monasterium perveniret. Henricus & Hermannus de *Ramungen*, Marquardus de *Pyrckland*, & alii tres adstitere traditioni testes.

15. Albero filius Arnoldi de *Vindingen* beneficium Schwabhusanum, quod ex paterna hæreditate possederat, Udalrico Abbati totum resignavit: qui illud ipsum Henrico de *Grute*, ministeriali Wessofontano, tradidit ea conditione possidendum, ut, etiamsi Henricus filios fortasse relinqueret, tamen post ipsius obitum S. Petro & fratribus protinus restitueretur. Ad evitandam omnem fraudem, vitandúmque fallendæ conventionis periculum Henricus datâ loco juramenti manu in Abbatis manum solemniter fidem promisit anno 1170. præsentibus de conventu quibusdam fratribus, & testibus aliis per aurem tractis, quorum hæc sunt nomina: Ortolphus de *Praitensee*, Engelbertus de *Frucines*, Hartmannus *Suzel*, Henricus de *Schwabhausen* & frater ejus: ex monachis verò Luitoldus, & Udalricus, cognomento *Cecus*.

16. Præterea prædium Penninriedense Abbas Udalricus Sigibottoni de *Tattenhofen* eo pacto concessit, ut ille, quoad viveret, usu fructuum potiretur, & armentum vaccarum in loco constitueret: post ejus verò exce-

cessum ille cum rebus omnibus ibidem repertis ad Ecclesiam S. Petri reverteretur. Ita conventum est coram testibus Henrico de *Greut*, Udalrico de *Erphtingen*, & aliis tribus.

17. Prædium quoque in Leibines, quod Lantoldus Abbas Conrado Henrici Advocati Præposito ad dies vitæ concesserat, ejusdem Præpositi morte jam liberatum Udalricus Abbas in monasterii proprietatem recepit. Ex quibus omnibus satis manifestum est, quàm liberaliter Deus piissimo huic, & solertissimo Abbati difficillima regiminis sui exordia & persecutiones cœlesti benedictione compensârit. *Nemo speravit in Domino, & confusus est* (g).

(f) *Godefridus iste cum Henrico patre, Bertholdo fratre, & Irmengarde sorore fundavit Imperiale monasterium Ursinense nostri Ord. Hierarch. Aug. P. III. Regulari fol 363.* (g) *Omnia hæc prodit Codex D. à fol. 80.*

§. V.

Obitus Udalrici Primi.

SEquens elogium Chronologus noster Abbati optimè merito tribuit: *Anno Domini 1172. obiit venerandus Pater & Abbas Udalricus primus, in die Circumcisionis Domini, & plura bona obtinuit monasterio in absolvendis prædiis & vitalitiis, ex sterilitate annorum subtractis.* Hæc Stephanus. Præfuit verò Udalricus annis sex ferme integris, utpote anno 1166. mense Januario electus. Videtur septimo ante obitum die resignâsse, vivúsque cum fratrum consensu Sigibaldum sibi successorem designâsse, certè exoptâsse; nam iste anno 1200. secundo Januarii in octava S. Stephani decessit, postquam 28. annos, & octo dies præfuisset: ergo jam 1171. in festo S. Stephani electus fuit, quo die Udalricus adhuc erat in vivis. Electionum verò sic festinatarum, quarum exempla jam plura vidimus, non reor aliam fuisse causam, quàm ut monasterii commodo consuleretur & quieti, ne scilicet in vacuam sedem potestate Imperatoria, quod non raro tunc accidit, invitis monachis, alienigena posset Abbas intrudi.



CA-

CAPUT IV.

Sigibaldus Abbas XVIII.

ABbatum omnium post S. Walthonem facilè præstantissimus capessivit, ut paulò ante dictum est, sacros fasces anno Domini 1171. in festo S. Stephani protomartyris, eósque felicissimè gessit summa suâ gloriâ & monasterii emolumento per annos octo & viginti. Cujus præclara gesta in certa capita digeremus.

§. I.

Fidelium donationes, ac imprimis Guelfonis Ducis.

1. PRimus inter benefactores, quorum liberalitatem expertus est Sigibaldus, fuit Dux Guelfo. Habebat ille inter ministeriales suos Marquardum de *Pyrckland*, cui ad dies vitæ beneficii loco possidendas concesserat duas curtes in *Pirschwald*. Defunctus est Marquardus sine hærede legitimo, qui in bona succederet: ad Ducem igitur vacuata possessore prædia redierunt. Opportuna Sigibaldo & fratribus visa est hæc occasio, Guelfoni supplicandi, ut pro eximia sua in cælites pietate ambas curtes S. Petro transferiberet, ideò maximè utiles futuras, quòd sitæ essent in medio prædiorum jam ante ad monasterium pertinentium. Nec difficiles Ducis aures Sigibaldus invenit. Nam accedente etiam Henrici Leonis voluntate, ita Deo & S. Petro tradere memoratas curtes consensit, ut ipse eas usque ad vitæ suæ terminum possideret, post illius excessum in proprietate monasterii, tanquam perpetuum liberalitatis suæ mnemosynon, nostræque erga ipsius manes gratitudinis excitamentum futuras.

2. Anno 1175. Guelfo Dux, magnificentiæ suæ spectaculum editurus ad celebrandam secum Pentecostes festivitatem, Principum Imperii, Nobilium Vasallorum, & ministerialium splendidam multitudinem invitavit in locum, qui Gunzile, seu, ut moderni historici interpretantur, *Concio legionum* antiquitùs dicebatur. In comitatu Möringano haud longè Augustâ Vindelicorum quidam fuisse situm autumant, campum propatulum & amplum, in quo sub dio ingenti hominum turbæ parari convivium posset. Alii in ipsa civitate Augusta situm fuisse hunc locum affirmant.

mant. Mihi suspicionem facit author Hierarchiæ, qui *Gunzilach seu Heptaticus* unum eundémque fuisse locum videtur innuere. At verò Heptaticus non est alius, nisi hodiernus Sueviæ pagus Epfach, medio fere inter Schongaviam & Landspergam itinere ad Lycum situs; olim S. Wicterpi patrimonium, & Episcopi facti à turba refugium, S. Herlucæ incolatu celebris, pluriúmque illustrium fœminarum sanctitate inclytus: &, ut paulo post videbimus, Sigibaldi etiam tempore frequentatus: neque incommodus Guelfoni Pentecosten celebraturo, qui ab arce sua Schongaviensi horulæ fere spatio huc defluere secundo Lyco poterat (a).

3. Verùm quiscunque fuerit locus ille, eò delatus Dux, præsente Magnatum copiâ, solemnem prædiorum Pirschwaldensium donationem fecit, eámque gravissimis testibus firmavit: quos, olim animis tam discordes, ad unum confluxisse festum, & invitante quidem Guelfone, quivis mirabitur, qui Germaniæ historiam vel extremis labris gustavit. Eorum nomina à Chronographis nostris hoc ordine recensentur. Hugo Comes de *Tübingen*, & filius ejus Rudolphus. Ottocarus Marchio Styriæ. Otto Comes Palatinus de *Wittelspach*. Dietboldus Marchio, frater Bertholdi Marchionis de *Vohburg*. Egino Comes de *Vainga*. Egino Comes de *Ura*. Perchtoldus Comes de *Lewenstein*. Henricus Comes de *Ramisperg*. Perchtoldus Marchio *Istriæ*. Conradus Dux *Dachoviensis*. Henricus Comes de *Pleiga*. Henricus de *Stauffen* Advocatus noster. Pillungus de *Tettenried*. Udalricus de *Seeveld*. Udalscalcus de *Iffeldorff*. Bernardus de *Weilheim*. Otto de *Aschering*. Aderant testes utriusque Ducis ministeriales, aliique permulti numero triginta duo.

4. Crederes, tanta donatione recreatum Sigibaldum nihil aliud, nisi quas quantásque gratias pro beneficio ageret, cogitâsse. At illius animum major pro monasterii commodo sollicitudo effodit. Egit gratias pro summa sua facundia copiosissimas. At qua erat in Deum ipsúmque Ducem confidentiâ, opportunam protinus occasionem quæsivit, donationis securitati ac perpetuitati consulendi. Considerabat enim, *mundum esse in maligno positum*, neque humanæ fidei magnas inædificari arces posse; non immeritò metuens, ne, si Guelfo ad obitum usque suum prædia illa possideret: quilibet legitimorum ejus hæredum materiam sibi opportunam putaret, in suum jus vendicandi, quod à justi possessoris excessu relictum videbatur. Alió igitur loco, quem historicus noster non prodit, bonam horam alloquendi Ducem aucupatus, profunda non minùs animi demissione, quàm eximio germanóque candore rogavit, dignaretur

Guelfo duas curtes Pirschwaldenses, sicut eas liberaliter delegaverat, ita jam nunc monasterio liberè possidendas transmittere, accepto in earum vicem quinque talentorum pretio, aliisque duabus curtibus in Pekstetten: super quibus scilicet Abbas nullam ex parte hæredum à Ducis obitu quæstionem orituram noverat. Annuit æquissimus ac mitissimus Dux: suscepit quinque talenta cum curtibus nominatis, ad dies vitæ possidendis, & post ipsius obitum in jus Ecclesiæ nostræ transituris. Hujus pactionis testes adhibiti sunt ex ministerialibus Guelfonis Ortholfus de *Peyssenberg*, Dieto de *Ravenspurg*, Bertholdus de *Furt*, & Werinherus ejusdem filius. Præterea Fridericus de *Waldburg* cum Henrico fratre, & Henricus *Gaysser*. Viri Nobiles Pillungus de *Tettenried*, & Udalricus de *Antorff*. Insuper Henricus comes de *Rumisperg*, ac ejusdem ministeriales Conradus de *Ledern*, & Rudigerus de *Pforzheim*. Accesserunt ministeriales Ecclesiæ Augustanæ Albericus de *Thalheven*, Gerboldus de *Secke*, & Udalricus de *Hopfen*. Atque ita lætus ad suos Sigibaldus reversus est, & cum fratribus suis jucundissimo nuncio recreatis largissimas Deo gratias reddidit.

(a) *De hoc loco sæpius egimus, præcipuè Sec. IV. Cap. X. §. IV.*

§. II.

Donatio Comitis Wolfratshusani.

5. ILlustrissima fuit Wolfratshusianorum Comitum prosapia, quippe ex Comitum Andecensium radice descendens, vario deinceps nexu cum Schyrensi & Wittelspachia stirpe, sicut jam antè, conjunctâ. Henricus comes de Wolfratshusen, Ottonis tertii frater, secundi filius, primi nepos, majorum suorum exemplo, qui ordinem S. Benedicti singulari prosequebantur amore, Wessofontanis favendi peculiarem habebat causam, & quasi hæreditariam, sicut alibi diximus (b).

6. Opportunam illi præstandæ beneficentiæ occasionem præbuit vicinia villæ Raistingensis. Habebat in ea mansum, quem Luitoldo de Hurlach, Ecclesiæ Augustanæ ministeriali, in vitalitium concesserat, acceptis ad ipso jam antea duodecim argenti marcis. Hunc mansum Comes religiosus tradidit ad altare S. Petri Fratribus Wessobrunnensis cœnobii post fata sua serviturum. Paulò post è vivis excessit Henricus: Luitoldus mansum à se possessum jam reddere monasterio tenebatur, nec recusabat: duodecim tantùm marcarum, Comiti olim datarum, jacturam

ram dolebat. Sigibaldus igitur Abbas querimoniæ pensans æquitatem, Luitoldo mansum illum in beneficium censuale ad dies vitæ concessit, ea conditione, ut Luitoldus singulis annis quinquaginta nummos, ad festum verò S. Andreæ, quo tunc temporis Ecclesiæ nostræ dedicatio celebrabatur, sexaginta nummos monasterio in censum daret, quo semel omisso simul & beneficium esset amissurus: post obitum verò illius nemo filiorum sibi mansum vendicare præsumeret, sed ille integer ad monasterium reverteretur.

(b) *Vid. Sec. IV. Cap. X. §. III. de B. Agnete Wolfratshusia.*

§. III.

Donatio Luitoldi de Hunsoln.

§. HUnsolgiorum familiam inter nobilissimas olim fuisse, diversis constat monimentis. Ex eadem S. Walcho Sigibothonem inter monachos, Adelhaidem verò Henrici de Hunsoln uxorem unà cum filia inter Sanctimoniales Wessofontanas adscripserat. In majorum igitur suorum memoriam ac animæ suæ solatium Nobilis Clericus Luitoldus de Hunsoln, cujus parentes Henricum & Adelhaidem, antè memoratos, fuisse meritò suspicamur, prædium quoddam in Hunsolgen S. Petro solemni delegatione donavit. Fratrem is habebat Hessonem, eundémque rerum suarum advocatum: per hujus manum Luitoldus prædictum prædium tradidit in manus viri nobilis Ottonis de Iglingen, ut ipse illud legitima donatione Ecclesiæ nostræ consignaret. Res gesta est magna solemnitate, virorúmque illustrissimorum ac numerosæ plebis præsentia in Epfach seu *Eptatico*, cujus loci celebritas jam superius insinuata majus ex hoc actu argumentum accipit. Nam definito consilio illuc indicta est dies, qua Luitoldus factâ populi concione Ottonem de Igling rei gerendæ admonuit, jamque & Fratres Wessobrunnenses S. Petri Apostolorum Principis Reliquias eò deportaverant. Otto igitur prædictum prædium publicè S. Petro donavit, defendendúmque ac monasterio conservandum commendavit Henrico de Stauffen Advocato nostro. Eadem donatio solemniter à nostris recepta, ac testibus confirmata est, quorum præcipui Marchio Dominus Bertholdus de *Andechs*, Henricus de *Stauffen*, Udalscalcus pater, & Bertholdus filius de *Isseldorff*, Bernardus de *Weilheim*, Hartnidus de *Stainbach*, Henricus & Bertholdus de *Fagen*; quibus alii novem obscurioris nominis accesserunt. Videtur planè ex hoc ipso summorum testium conventu celeberrimus Eptatici locus fuisse, magnis-

que festivitatibus & consiliis agitandis opportunus; qui tamen, teste Martino Abbate Faucensi, postea Templariis Equitibus traditus, iisque extinctis varios passus dominos, ad pagi vilitatem decidit, demum toparchiæ nomine sub tutela Bojariæ Principum monasterio Staingadensi subjectus, sub cujus cura tam temporali, quàm spirituali hodiedum conquiescit.

§. IV.

Donationes aliæ variorum.

7. ANno 1181. sub Friderico Barbarossa Henricus Comes de Tirol pro remedio animæ suæ, fratrisque sui Bertholdi donavit S. Petro liberaliter vineam territorii Rufiani in loco, qui *sub dosso* vocabatur, eámque sine omni censu possidendam tradidit: pro censu verò seu pensione inde solvenda designavit aliam suam vineam in propinquo sitam, ex qua census ille penderetur, ut nos omni onere liberaret. Donationem firmaverunt testes nobiles ac ingenui Hezil, Henricus, Albertus: præterea, Henricus & Marquardus ex ministerio Comitis. Hac donatione non contentus Henricus Comes alium adjecit agrum prope castrum proprio nomine *Tirol* appellatum, eúmque iterum omni censu liberum voluit, alio ejusdem territorii fundo in ejus locum substituto, ut nobis omni molestia exemptis ipse Comes ex proprio onus allevaret.

8. Witilo liber homo, & uxor ejus Hilta S. Petro, ejúsque Fratribus Wessofontanis delegaverant dimidiam hubam in Prunnen pro remedio animarum suarum, parentum & propinquorum. Eodem porrò tempore alius æquè pius ac religiosus vir, nomine Rudolphus, & uxor ejus Pertha, situm in eadem Prunnensi villa dimidium mansum habebant: institerunt igitur apud Sigibaldum, ut dimidia illa huba, à Witilone donata, beneficii loco ipsis concederetur ea conditione, ut ipsi prædium suum S. Petro delegarent, & hoc, sicut hubam prædictam, beneficii loco acciperent: utraque verò, tam huba, quàm prædium post ipsorum excessum in proprietatem Fratrum reverterentur.

9. Herimannus de Prandenberg homo nobilis, Hierosolymam profecturus, ut Deum sibi propitium redderet, animæque suæ de salubri remedio provideret, tradidit ad altare S. Petri prædium Prandenbergense fratribus perpetuò fruendum, si de itinere suscepto non esset reversurus, vel post reditum suum nullos liberos suscepturus. Abiit Hermannus,

nus, & in via seu contracto morbo, seu itineris labore fractus decessit quarto die Maji, in festo S. Floriani Martyris.

10. Sigifridus de Schongau, minister Henrici Leonis Bavariæ Ducis, hubam unam in Nidernhoven ad altare S. Petri obtulit, in perpetuum utilitatibus fratrum servituram. Mansum istum seu hubam Sigibaldus in beneficium concessit Sibottoni *Voloni*. Verùm, nescio qua de causa, Sigifridus donator concessioni huic reclamavit, timens fortasse, ne malè consultum esset monasterio. Quare ne benefactor offenderetur, & alter spe sua frustratus contristaretur, Sibottoni promissus est alius mansus in Obenanc, & prædium à Sigifrido donatum ad monasterium rediit.

11. Alius ejusdem Ducis Henrici minister, Henricus de Selewe, cùm gravi detineretur infirmitate, nec procul abesse excessum suum adverteret, consulturus animæ suæ saluti, suæque in divum Petrum ac cœnobium nostrum devotionis monumentum relicturus, Henricum & Conradum filios suos ad monasterium misit, ac per eorum manus ad altare sancti Apostolorum Principis in alimoniam fratrum Deo servientium pro se parentibúsque defunctis tradidit hubam unam in Raistingen coram copiosis testibus, eodem die, quo Ebersriedense prædium magna nobis solemnitate tradebatur, ut mox narrabimus.

12. Decesserat è vivis vir & genere & opibus potens Gebhardus de Chuzinghoven, & quam pridem sibi elegerat vivus, sepulturam mortuus in monasterio nostro acceperat, spectabili nobilium numero assistente. Principes exequiarum erant filii ejusdem Hilteprandus, Gebhardus, & Henricus. Et posteriores quidem duo, natu minores, Deo & S. Petro pro anima patris sui, omniúmque majorum ac propinquorum prædium in Eberhersried solemniter tradiderunt, fratribus Wessofontanis perpetuò servitturum. Fratrum juniorum pietatem æmulatus est natu maximus Hilteprandus, qui & ipse prædium suum in Hettenhausen eodem die, quo pater tumulo inferebatur, in ejusdem animæ solatium, & omnium de familia defunctorum S. Petro donavit.

13. Memoratu digna est alia conventio eodem tempore inita, qua prædicti fratres germani petierunt, nósque obligatos esse voluerunt, ut ubicunque terrarum in orbe Romano, id est, intra Imperii limites, quisquam illorum trium vitâ defungeretur, nostro, si opus fuerit, studio ac labore ad monasterium sepeliendi deferrentur. Assensimus eorum piæ petitioni, & plenam eisdem germanis fraternitatem, meritorum nempe

 com-

communionem & Christianæ charitatis obsequia, vivis mortuisque addiximus, ac fideliter conventis pactisque nos staturos promisimus.

14. His omnibus annecti meretur Henricus quidam de Menzingen, liberali ortus genere claráque familiâ. Is singulari ductus religione semetipsum lege tributaria S. Petro, & Ecclesiæ Wessofontanæ tradidit, votóque obligavit, per singulos annos in festo S. Petri quinque nummos persolvendi. Similes sui ipsius traditiones & annuas redemptiones ea tempestate tum in Germania, tum aliis regnis fuisse usitatas colligimus exemplo Waltheri de Birbach, ex equite Nobilissimo conversi Cisterciensis, & B. Marini, Fratris S. Petri Damiani, qui tali pacto Deiparæ Virgini se mancipâsse leguntur. Ludovicus item Bavariæ Dux filium Ludovicum S. Leonardo in Inckhofen Thaumaturgo devovit, séque ipsum huic Divo mancipem fecit, ac annuatim redemit certâ pecuniæ summâ ad aram illius persolutâ. (c)

(c) *Anno 1403. Tract. de S. Leonardo Auth. Martino Abb. Fürstenfeld. edit. Monachii 1659.*

§. V.

Donationes factæ pro filiabus Nobilium in Parthenonem Wessofontanum susceptis.

15. NUmerosum fuisse monialium nostrarum claustrum, jam supra monstravimus. Et sanè Sigibaldo Abbate majora sumpsit incrementa, non sine magno monasterii commodo. Adalbertus vir nobilis de Mammendorff filiam suam, cujus nomen non consignatum est posteris, S. Petro in Monialem consecraverat. Tactus ergo religione, ut & DEO obsequium & animæ suæ auxilium præstaret, pro se majoribúsque suis prædium in Prandenberg fratribus Wessofontanis donavit. Donationem confirmârunt testes amplissimi Bertholdus Comes de Andechs, ejusdémque filii duo, Poppo, & Bertholdus, cum aliis multis.

16. Nobilis jam dudum, & copiosa erat Horpachiorum gens, hodiéque floret in Bavaria, inter Equestres sacri Romani Imperii familias. Apud Hundium donationes quædam per Horpachios cœnobiis factæ inveniun-

veniuntur, aliáque de illis monimenta (d). Quantum ad nos attinet, Werinhardus de Horpach cum Bertha uxore sua, ac filiis Conrado & Udalrico curtem unam cum omnibus ad se pertinentibus in Marchilchofen (e) S. Petro donavit in redemptionem animæ suæ ac suorum omnium, præcipuè in gratiam dilectæ filiæ suæ Gertrudis, quæ apud Wessonis fontes S. Religionis habitum susceperat, & devotam in monialium nostrarum clausura vitam agebat. Traditionis hujus testes erant plurimi peregrinis plerique nominibus: ex quo colligimus, Horpachiorum gentem non in vicinia nostra, sed potiùs in inferiore Bavaria, & diœcesi Ratisbonensi vel Passaviensi sedem habuisse. Recensentur in tabulis Gertrudis fratres Kunrad & Ulrich de Horpach: testésque alii copiosi.

17. Liberaliorem sese nobis, sanctóque Petro addictiorem exhibuit mulier illustrissima Gertrudis de Liechtenstein, Henrici Comitis de Tirol ministerialis, quæ non solùm geminas filias Irmengarden & Willibirgam Christo Domino in Parthenone nostro sponsas obtulit, sed splendidam quoque dotem monasterio adjecit. Tradidit enim S. Petro curtem admodum nobis utilem ac frugiferam in superiore Lannen (f) integrè, sicut ipsa hæreditario jure possederat, monasterio possidendam: id est, tradidit vineam, pratum, tantúmque agri, quantum triduo arari potest. Donatio hæc facta est authoritate & consensu ipsius Henrici Comitis, & quidem per ipsiusmet manum ad altare S. Apostolorum Principis oblata, qui etiam è vestigio totius curtis Advocatiam ac defensionem in se suscepit. Et ne difficultas ulla desuper oriretur, annuit etiam Gertrudæ maritus, Conradus de Liechtenstein, ejúsque filii Rudolfus, Conradus, Wezilo, Rulandus, Ortolfus. Ex quo videas veterum in superos pietatem, ita unanimem, nec proprii lucri vel detrimenti memorem, sed gaudentem obsequium præstare DEO, & beatæ æternitati providere.

(d) Stammen-Buch *P. I. fol. 239. 339. 352. &c.* (e) *Cod. D. fol. 100.* (f) *olim* Lounon.



§. VI.

§. VI.

Romanorum Pontificum in Sigibaldum favores.

18. Videns Sigibaldus, variis per hominum quorumdam seu vim, seu fraudulentiam periculis bona Ecclesiastica subjacere, ut quantum piorum fidelium liberalitas afferat, tantum improborum invidia vel avaritia suffurari contendat, Pontificio favore defendendum esse cœnobium suum judicavit. Recordabatur Pontificiæ bonitatis, quam Innocentius II. S. Walthoni exhibuerat: neque reformidabat Alexandro III. supplicare, parémque benevolentiam petere, licèt non ignoraret, quanta severitate idem Pontifex decessorem suum Udalricum Abbatem fulminâsset. Verùm sive jam aliunde nôsset placatum Pontificem, seu propria virtute, conscientiæque securitate, ùt potuit, ac cœlesti præsidio, ùt debuit, fretus, supplices Romam litteras dedit, & haud difficulter obtinuit insignem Bullam, Innocentianæ, quæ S. Walthoni data est, per omnia ferè similem, nisi quòd in hac plura Ecclesiæ nostræ bona commemorentur. Quare omissa Bullæ integra serie, eam partem solummodo ponimus, qua Pontifex bona confirmata recenset: „duas videli„cet partes omnis tam minoris quàm majoris decimæ in Rispach, sicut „à diebus bonæ memoriæ Wolfgangi Ratisbonensis Episcopi Ecclesia ve„stra tenuisse cognoscitur: cum decima in Birsenvvalda, & Ecclesia „Baptismali in ipso monasterii domate constituta, quam in manu & cura „Abbatis & Fratrum ejusdem loci, sicut usque nunc fuisse dignoscitur, „stare decernimus. Decimas in Tadinesvvanc, Tatinhoven, Mülhu„sen, Buccineshoven, Pflugdorff, singulas cum suis appendiciis. De„cimas in Phetine, Kaltenberg, Geltendorff, Pözinhusen, Gerenshu„sen, Ramesavve, Perge, Isenbrechtiscella, Hoancella, Morenvvis, „Albrechtishoven, Reinbertishoven, cum suis appendiciis. Decimam „Perghoven cum suis appendiciis: decimam Menzingen, decimam Rai„stingen, & duas partes decimæ Novalium in Mosse. De præfatis „Ecclesiis, quæ in fundo monasterii sitæ sunt, sicut in generalibus Con„ciliis statutum est, præsentationes substituendorum sacerdotum Abba„tis & Fratrum esse debere sancimus. Aschelesvvanc (g), Penzingen, „Biberbach, Rota, Liebrechtisried, Wolemutes; Gezines cum omni„bus veteribus & novis mansis, qui justa & legitima ad Ecclesiam ve„stram donatione venerunt. Post Bullam & sigillum subscriptus est Pontifex & plures Cardinales, ut sequitur: „Ego Alexander Catho-

„licæ

„ licæ Ecclesiæ Episcopus: Ego Hubaldus Ostiensis Episcopus: Ego „ Theodinus Portuensis, & S. Rufinæ Episcopus: Ego Beneredus Prænestinensis Episcopus: Ego Hugo Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis: Ego Matthæus Presbyter Cardinalis titulo S. Marcelli: Ego „ Gratianus Diaconus Cardinalis titulo SS. Cosmæ & Damiani: Ego „ Matthias S. Mariæ novæ Diaconus Cardinalis.„ Subscriptio demum sic clauditur: „ Datum Signiæ per manum Alberti sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, decimo quarto Calendas „ Octobris, indictione duodecima, Incarnationis Dominicæ millesimo „ centesimo septuagesimo nono, Pontificatûs verò Domini Alexandri „ Papæ tertii anno vigesimo.

19. Sub S. Walthonis regimine jam intelleximus, parochiam Reispacensem in Diœcesi Ratisbonensi sitam monasterio ab ipsis ferè Thassilonis temporibus traditam, à S. Wolfgango, Henrico, Hartvvico Episcopis fuisse nobis assertam, à Pontificibus Innocentio II. sicut nunc ab Alexandro III. confirmatam. Verùm locorum longinquitas effecit, ut labente tempore quieta quoque possessio laberetur, variis concussa turbinibus, quorumcunque demum fraude vel potentia. Ac quamdiu quidem Alexander III. vixit, sine turbatione illam possedimus: verùm ubi iste oculos in mortem clausit, pluresque successerunt unius tantùm vel paucorum annorum Pontifices, æmulis liberior aura nos infestandi adspiravit, dum nobis non æquè prompta occasio res nostras defendendi suppetebat. Nam ab Alexandri tertii morte vix decem elapsis annis jam quintum Roma videbat Pontificem Cœlestinum III. Itaque cuicunque per litteras supplicâsset Abbas, vel impeditum gravioribus negotiis, præsertim ob schisma, quod tunc maximè inter Pontifices & Cæsarem invaluerat, vel jam mortuum missi Abbatis nuncii Papam inveniebant. Sigibaldus ergo tum popularium inimicorum insolentiâ commotus, tum denique certum negotio finem facturus, ad Cœlestinum Papam ipse profectus est Romam, nullas viarum molestias, nullas æris expensas moratus. Auditus & exauditus est ab illo pro sua reverentia & humilitate. Verùm quam Pontifex aperuerat favoris venam, æmuli penitus obstruxerunt. Nam corrupta fuit ipsa Bulla, quam adhuc originariam habemus, & funditus erasa sunt tam parochiæ quàm diœcesis nomina: proditur tamen in fine, quænam hæc fuerit; nam disertè *assensus Ratisbonensis Episcopi* requiritur. In apographo etiam annus Domini cum anno Pontificatûs non convenit. Quare non solùm *curam animarum & tertiam decimarum partem* non obtinuimus, sed cum tempore reliquas quoque duas amisimus. Juvat tamen Bullam utcunque corruptam recitare.

 Cœlestinus

„ *Cælestinus Episcopus servus servorum Dei*

„ Dilectis Filiis Abbati & Capitulo in Wessinsbrun salutem & Apostoli-„ cam Benedictionem. Cùm tu, fili Abbas, in nostra esses præsentia „ constitutus, humili nobis relatione monstrâsti, quòd (h) monasterium „ tuum quandam Ecclesiam (*Rispach dictam possideat in Ratisbonensi*) diœce-„ si, de qua duæ partes decimæ ad præbendam fratrum tuorum perti-„ nent, tertia debetur Clerico, qui nunc in eadem Ecclesia noscitur in-„ stitutus: ac nobis humiliter supplicâsti, ut mortuo Clerico, qui nunc „ in eadem deservit Ecclesia, illam tertiam partem, & curam anima-„ rum ipsius Ecclesiæ ad sustentationem tuam & fratrum tuorum vobis „ concedere deberemus: maximè, cùm occasione Clericorum in illis „ duabus partibus sustineatis annis singulis non modicam læsionem. Nos „ igitur vestris justis postulationibus annuentes, si cum assensu venera-„ bilis fratris nostri Ratisbonensis Episcopi, in cujus diœcesi prædicta con-„ sistit Ecclesia, id fieri poterit, eandem partem decimæ & curam animarum „ ad sustentationem vestram authoritate præsentium duximus conceden-„ dam. Datum Laterani septimo Calendas Decembris, Pontificatûs „ nostri anno quarto, Dominicæ verò Incarnationis millesimo centesi-„ mo nonagesimo tertio. „ Ulteriùs hac de causa disceptare, jam ope-ræ pretium non videmus: parochia à S. Wolfgango ante septingentos, agri verò à Thassilone Fundatore ante mille annos nobis traditi, nunc à monasterio nostro penitus avulsi cernuntur, & deplorantur.

(g) *Achselswanc cessit Diessensibus pro Issingen, alia pro aliis, ut hodie pauca super-sint, plura ignorentur.* (h) *Quæ dein parenthesi clauduntur, erasa sunt.*

§. VII.

Favores Regii.

20. HAud multum Sigibaldo cum Friderico Ænobarbo Imperatore ne-gotii fuit, quem diris pridem devotum ac Pontifici infestum no-verat. Coactus tamen inimicorum acerbitate Henricum Ro-manorum Regem, Imperatoris filium, in auxilium vocavit, ac mona-sterio præsidium ab eo flagitavit. Exauthoratus jam erat anno 1180. Henri-cus Leo Bavariæ Dux, eique suffectus ab Imperatore Otto Magnus, Comes Wittelspachius: cui post triennium fatis erepto Ludovicus filius succes-sit pæne adolescens. Causæ, cur neglecto Henrico Stauffio, Sigibaldus Ludovicum Bavariæ Ducem habere advocatum voluerit, intelliguntur

ex

ex iis, quæ in Walthone diximus, ubi de favoribus Imperatorum agebatur; (1) & amplius patebunt ex tractatibus, & controversiis, quas tum ante, tum post Henrici advocati obitum suscepimus. Henricus igitur Rex, cùm Augustæ Vindelicorum moraretur, diploma edidit, quo villæ Panzinganæ Advocatiam Ludovico Duci tamdiu gerendam commendavit, quamdiu Regi & Abbati placuisset. Editum est anno 1183. quem Indictio indicat. En ipsum diploma.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus

„ Universis Imperii fidelibus, quibus hæ litteræ ostensæ fuerint, gratiam suam & omne bonum. Significandum duximus Universitati vestræ, quod nos de fide & honestate dilecti consanguinei nostri Ludovici Ducis Bavariæ præsumentes, ad petitionem Abbatis de Wessisbrunnen, commisimus ei villam Panzingen & ejus Advocatiam fideliter defendendam & procurandam, ipsiúsque procurationem ac defensionem habendam, quò dum nostræ, & Abbatis dictæ Ecclesiæ placuerit voluntati. Statuentes & firmiter præcipientes, ut nullus sit, qui contra hanc commissionem nostram venire audeat, vel ausu temerario impedire. Ad hujus etiam facti nostri perennem memoriam præsens scriptum sigillo nostro jussimus insigniri. Datum apud Augustam sexto Idus Octobris, Indictione prima.

21. Sub S. Walthone satis intelleximus, quantis illi laboribus curisque steterit, prædium Biberbacense, contra Ludovici Comitis Oettingani injurias defendendum. Jam eamdem prædam Ludovici quoque posteri captabant, nec obscuris argumentis cupiditatem suam prodebant. Sigibaldus ergo, viciniorem Biberbaco defensorem quærere cupiens, denuo à Rege obtinuit, ut is prædictum prædium Hermanni Lupi præsidio commendaret. Quis iste Hermannus fuerit, nondum comperi: virum potentem, & monasterio amicum fuisse crediderim, cui tutò committi posse facultates nostras existimaverit Sigibaldus. Regium diploma tale est.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus.

„ Fideli suo Hermanno Lupo gratiam suam & omne bonum. Mandamus tibi & firmiter præcipimus, ut allodium in Biberbach, quod monasterium in Wessinsbrunnen multo jam tempore in quieta habuit possessione, ad opus præfati monasterii nostra authoritate protegas & defendas, nec sustineas in allodio illo aliquam jam prædicto monasterio

„ inferri injuriam. Si verò Comes Ludovicus sive alius quicunque in-
„ vadere præsumpserit, tu illud usque ad reditum nostrum in nostra con-
„ serves protectione.

Credidit Sigibaldus, accitis ejusmodi potentioribus Advocatis monasterio esse consultum, expertus nempe, quàm liberè possessiones nostras velut suas tractaret, sibique vendicare videretur Henricus Stauffius: quámque difficilis ad Imperatores esset accessus & impedita facultas contra ejusmodi Advocatos movendi querimoniam. Audiit, quantas ærumnas alia quædam monasteria ab Advocatis passa essent: sensit ipse, quàm benevolo in Ecclesiasticos animo fuisset Otto Magnus, & nunc esset Ludovicus ejus filius. Ut nihil aliud dicam, Catholicæ Religionis vigorem per universam Bavariam à sectariorum toxico conservatum, & cum eo tot Ecclesias ac cœnobia, Serenissimæ huic domui debemus.

(i) *Sæc. IV. Cap. IV. §. IV.*

§. VIII.

Variæ negotiationes, & tractatus.

22. PAulo post, quàm Sigibaldus in Abbatem electus est, supplicem se stitit Henricus, parochus Geretshusanus. Pözenhusii & Pergæ cura ei demandata fuisse videtur, quarum Ecclesiarum decimæ ad monasterium nostrum pertinent. Non difficilis in ejus preces Sigibaldus concessit ei tertiam decimationis partem ex omnibus rebus, quæ ad Ecclesiam Pözenhusanam pertinebant, usque ad vitæ terminum percipiendam. De Ecclesia verò Pergensi addixit eidem sacerdoti duas decimæ partes, ac molendinum quoddam Geretshusii situm cum tribus agris. Erant hæc utique supra id, quod pro congrua presbyteri sustentatione dari vel postulari posset. Quare ne aliquis successorum Henrici sibi quidpiam de his vendicare posse, sacerdos ipse mancipem se Abbati fecit, memoratásque decimas certa pecuniæ summâ beneficii loco accepit. Et necessaria planè erat cautela hæc; (k) jam enim B. Walthonis tempore Henricus iste mansum unum & dimidium cum molendino acceperat: sed quoniam convictus fuerat pluribus annis censum non dedisse, publico judicio accepta perdiderat. Adfuêre negotio tam gravi testes, quotquot ferè fuerant in vicinia sacerdotes: Conradus sacerdos de Sandau, qui locus jam tunc ex Virginum cœnobio solum parochiæ nomen retinebat: Rapot,

Rapotto sacerdos de Stoffen: Sigifridus Decanus de Rotta, postea Episcopus Augustanus: Conradus sacerdos de Apfeldorff: Conradus sacerdos de Hagenheim: Conradus sacerdos de Thueningen: Magnus sacerdos de Reihlingen, & alii quinque sacerdotes. Ex laicis verò nobiliores aderant Conradus, Wernerus, & Henricus de Greutt, ministeriales Wessofontani, Weriandus de Reichlingen; & plures alii. Animadvertendum tamen, Pergensis Ecclesiæ redditus adeò tenues semper fuisse, ut sacerdos ibidem sustentari nunquam potuerit, sed necesse sit in hanc diem, ut illius cura alteri sacerdoti vicino, beneficiato vel parocho, à monasterio commendetur. Talis erat tunc temporis Pözenhusanus iste, tales postea etiam Issingani, talis hodie beneficiatus Landspergensis.

23. Aliud negotium in Tiroli peregit Gerungus vineis nostris præpositus. Accepit iste à Gisilberto quodam campum in *Lauizaro*, eique pro illo concessit alium campum in *Rudindil.* Permutatio hæc peracta est anno 1175. præsente *Gerungo* Præposito, & *Joanne* ejus advocato. Chartam scripsit *Albertus in vice Hecil Cancellarii.*

(k) *Codex D. fol. 86. & Codex C. fol. 116.*

§. IX.

Controversiæ, ac lites monasterio motæ, quas Sigibaldus Abbas laboriosè, & feliciter sustulit.

24. Mulier quædam Itta nomine prædium quoddam in Arnoldesrit à monasterio nostro acceperat, ad terminum vitæ suæ possidendum. Verùm inquieta & rixosa mulier tot controversias continuò excitabat, ut concessionis suæ Sigibaldum pœniteret. Ut igitur jurgiis tandem se expediret Abbas, præsertim cum fœmina gerendis, ex quibus ne victoria quidem honorifica reportatur; præsente pecunia, quæ facilè muliebres oculos fascinat, eam induxit, ut sponte loco cederet, & conventionem antea factam rescindi pateretur. Acta sunt hæc Augustæ Vindelicorum prope Collegium Canonicorum S. Mauritii, atque eodem protinus loco Conradus de Attingen, Werneri filius, prædictum prædium, conferente Abbate, pro numerato ære pacificè possidendum suscepit, ea conditione adjectâ, ut singulis annis metretam frumenti pro tributo nobis persolveret. Testes fuêre *Huduntus* de Choro S.

Mauritii Canonicus, plurésque alii Attingenses: ex ministerialibus Wessofontanis Henricus & Wernerus de Greutt, Gozmar de *Cruciberch*: unde patet antiquitas nominis, propter martyres nostros, huic monti inditi, nempe à cruce in illorum memoriam hic defixa.

25. Difficilior nobis cum Henrico de Stauffen, veterano jam advocato nostro controversia fuit. Timidè agendum cum homine potente, & salvâ illius reverentiâ, urgendum erat monasterii jus; atque ideò quoque cautiùs tractandum negotium, quòd advocato huic per temporum iniquitatem aut essemus, aut aliquando fuissemus obnoxii. Ob superiorum annorum sterilitatem in arcto quondam positi, neminem habebamus, à quo propinquiùs peteremus auxilium, nisi eundem Henricum. Ab eo quatuordecim argenti talenta accepimus, & in pignus eidem concessimus curtem unam in Wile, quoad viveret, possidendam; ad monasterium tamen reversuram, quàm primùm, redemptis antea reliquis prædiis, quæ fuerant impignorata, opes nobis sufficerent ad redimendum quoque prædium Wilense. Alioquin si non ante Henrici mortem redimeretur, cautum esse voluimus, ut post illius fata nullus hæredum reposcendæ à nobis pecuniæ haberet potestatem, sed prædium liberè & gratis omnino ad monasterii possessionem rediret.

26. Liberaliter hoc indultum fuit Henrico, ùt, cùm ultimum pignus fuisset Wilense prædium, illius redemptionem cæterorum postremam esse pateremur, atque hoc ipso diuturniorem ipsi possessionem daremus; nobis verò difficiliorem redderemus solutionem. Indultum fuit tamen, ut videlicet quoad cætera prædia nostra, quæ ille quocunque titulo videbatur possidere, mitiorem eum ac in vota monasterii proniorem redderemus. Capiebat ille fructum ex prædiis diversis, quæ seu pignoris nomine, seu aliis titulis pro temporum ratione à nobis acceperat: nominatim in Pergen, Scheffolting, Talmutsried, Gezines, Avelunges. Pro his prædiis cavebatur, ut nisi Wessofontani illa priùs redimerent, aut eadem Henricus ultrò pro Dei amore sancto Petro restitueret, certè post Henrici mortem sine ulla contentione monasterii propria agnoscerentur, atque ad ejus dominium reverterentur. His pactis admodum contentus Henricus sponte se nobis liberalem exhibuit, & quidquid in descensu saltûs regalis, qui tunc Scharniza dicebatur, proprium possidebat, præcipuè in loco Litun, illud omne monasterio tradidit, post mortem suam liberè possidendum. Hæc omnia pro monasterii securitate facta & actitata sunt Landspergæ anno Domini 1176. Friderici Imperatoris vigesimo quinto, Indictione decima quarta: octavo Idus Aprilis. Testes

stes gestæ rei aderant Burchardus de Diessen, Otto de Iglingen, Gebehardus & filii ejus de Kuzinghoven, cum pluribus aliis.

27. Pacificè hæc, licèt timidè cautéque acta, in annum usque decimum sextum vim habuêre & securitatem: cùm repentinus turbo omnia poenè subvertit. Anno supra millesimum centesimum nonagesimo secundo grandævus noster Advocatus Henricus de Stauffen diem supremam obiit, ejúsque exequiæ solemnissimè celebrabantur, ut, quanta apud omnes authoritate vir iste fuerit, admireris. Adfuêre funeri Udalschalcus Episcopus Augustanus, & Henricus Episcopus Curiensis: præterea Ludovicus Bavariæ Dux, qui nuperrimè egressus adolescentiam, Wormatiæ ab Augusto armis & militiæ insignibus fuerat accinctus. Accessit virorum nobilium multitudo magna, nec minor ecclesiasticorum frequentia. Sigibaldus Abbas, quem Henrici mors non immeritò sollicitum reddiderat, utpote quacum & suas agi fortunas noverat, ad easdem sese exequias, ne Advocato tam diuturno ingratus videretur, cum quibusdam monachis contulit, tantorum testium præsentiâ & authoritate in monasterii emolumentum usurus. Rebus itaque divinis ad pacandos defuncti manes peractis, in ipso Principum conventu Sigibaldus querimoniam movit super prædiis, quæ Henricus sive potentiâ sibi ad fruendum vendicaverat, sive pollicitationibus à religioso coetu acquisierat. Erant verò hæc nominatim: Curtis una in Talmutsried, una in Wile, una in Pözenhusen cum molendino; curtes duæ in Heinrichshoven, una in Avelunges, una in Westendorff: prædium in Perge, mansus integer cum dimidio in Gezines. Quantumcumque Abbas causæ suæ æquitatem Principibus ostenderet, obtinere tamen sententiam non valebat. Reliquerat enim viduam Henricus, filium quoque Bernhardum seu Werinhardum, & Mechtildem filiam. Non æquè his facta & relata superiùs transactio ac mutua conventio placebat, sicut illa Sigibaldo commoda videbatur. Videbant isti, magnam sibi hæreditatis portionem, potentiæque fulcimentum decedere, si uno eodémque tempore tot prædiis exuerentur. Quare quibus potuêre argumentis causam sic implicuêre, ut tum quidem Principes decidere nihil potuerint.

28. Ne tamen Abbatis & fratrum precibus nihil dedisse viderentur, prorogavêre causæ discussionem, & communi consilio diem statuêre, quo in Issingen conveniretur, designatis ad dirimendam controversiam arbitris, testibúsque. Verùm sive fortior interea contra Abbatem Werinardi pars evaserit, sive Principum absentia judicii vim hebetaverit, irritus denuo conventus etiam Issinganus fuit, & utrinque suspensis adhuc sen-

sententiis & re infecta discessum. Non tamen animo cadebat Abbas, sed & attentiùs vigilabat in monasterii causam, & fortiùs instabat ad finiendam controversiam, dum ferrum caleret, cudendum esse arbitratus; ac tandem effecit, ut celebrandus alio die conventus Landspergam convocaretur.

29. Itaque, cum ab Henrici funere trigesimus jam dies effluxisset, eidémque postrema pro more parentalia fuissent impensa, magna Nobilium turba Landspergam convenit. Metuebant alii Sigibaldo, Werinhardi potentiam & amicorum ejus vim attendentes: alii benè sperare jussum ad suscipiendas eum conditiones, ac remittendum juris sui rigorem inducebant. Non deerant, ut minimè dubito, causæ nostræ fautores, viciniores præsertim, quos Sigibaldi humanitas pridem cœnobio amicos fecerat: quorum in numero fuisse credo Seefeldios, Antorfios, Hunsolgios, Greuteros: temporis tamen angustiæ, quo aliud opportunius sperari vix poterat, effecerunt, ut Sigibaldus amicorum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium suasu, monachorúmque suorum consilio, quos negotii socios assumpserat, tempori cederet, & perendinare aliquid, quàm perdere totum mallet. Decertatum est equidem acriter Stauffenses inter ac Wessobrunnenses, nihilque minus Sigibaldus facturus, quàm vel latum unguem de jure suo cessurus videbatur; imò constantiâ suâ effecit, ut & vidua & filius palam juri suo vel cuicunque prætensioni renuntiarent, adjecta tamen conditione, ut prædictorum quædam prædiorum ipsis ad dies vitæ concederentur. Consensit Sigibaldus ea lege, ut in agnitionem dominii nostri pro singulis prædiis annuatim trium denariorum censum persolverent. De cætero, exceptis tantùm Pergensi & Auelungensi prædiis, ne justo rigidior videretur, reliqua omnia superiùs enumerata Stauffiis sub memorata annui census conditione ad dies vitæ ita transmisit, ut nullus hæredum quidquam desuper post eorum fata controversiæ movere præsumeret, sed ad monasterium liberè cuncta reverterentur.

30. Faciliorem se Abbati & monasterio præbuit Mechtildis Henrici filia, Werinhardi soror. Factum id credo amicorum nostrorum suasu & instinctu, eorum præcipuè, quos supra nominavi. Nam & ipsa Udalricum de Antorff virum nobilem, quem inter primos testes legimus, elegit negotii sui administrum. Eo docente, & Mechtildis vicem gerente, geminam illa renuntiationem fecit, & eodem quidem die, quo priùs narrata gerebantur, iisdem cunctis audientibus, qui causæ huic interfuerant. Inprimis enim abdicavit se omnibus prædiis, quæ matri & Werin-

rinhardo fratri ad dies vitæ à Wessofontanis nominatim erant concessa. Præterea renuntiavit universim omnibus, quæ pater defunctus à monasterio seu justè seu injustè possederat, promisitque, nullum se unquam monasterio negotium propterea creaturam. Quid Mechtildem ad renuntiationem tam piam ac generosam permoverit, nescio. Arbitror, illam seu locupletibus jam nuptiis aut earum spe munitam, vel magnæ suæ materteræ, Richinsæ Stauffiæ, memoriâ fuisse inductam, quæ avi Werinhardi soror monasticum apud nos sub S. Walthone institutum amplexa, vel adhuc superstes erat, vel placido post se virtutum odore relicto neptem ad exhibendam monasterio humanitatem permoverit (l). Hundius in Genealogia Bavariæ Stauffiorum genus usque ad suam perducit ætatem; at simul vaticinium refert de stirpis illius interitu, quæ suo tempore Ehrenfelsiorum nomine florebat. Quod vaticinium an adimpletum sit (ab aulico enim prolatum erat in tres simul stirpes) dicere non possum. Lubens autem prolixam hanc controversiam, amplissimis testibus definitam & ipse finio.

(l) *Hundii* Stammenbuch *P. II. f. 301. & 307.*

§. X.
Obitus Sigibaldi Abbatis.

31. Postquam Sigibaldus octo dies supra annos viginti octo monasterium laboriosissimè ac sapientissimè gubernâsset, ad capienda vigilantiæ suæ præmia evocatus est anno Christi post millesimnm centesimum nonagesimo nono, in octava S. Stephani Protomartyris, in cujus natali festo fuerat electus. Cui Stephanus Leopolder hoc nectit elogium, vel potiùs à majoribus acceptum recitat: *hic plura bona in prædiis ampliandis obtinuit ecclesia Dei, sicut verus pastor, & zelator Religionis.* Ejus sepulcrum hoc epitaphio fuit insignitum, quod ex codice Tegernseensi per Pezium edito exhibemus (m).

„Filum, quod Lachesis bene traxerat, Atropos occat,
„Projice Clotho colum, vetat ire soror tua fusum.
„Anno milleno, bis centeno, minus uno,
„Heu locus orbatus celebris celebri patre plangit.
„Jane, secunda dies tua *Sibaldum* tulit orbi.
„Doctus erat, largúsque datum duplicando talentum

„Distribuit, reliquis, non sibi quippe vivens.
„Unde sui memores effecit quosque merendo.
„Ut præstetur ei locus æternæ requiei,
„Pro pietate Dei, devotè, qui præis, ora.

Inter maximos certè monasterii nostri Antistetes Sigibaldus fuit, tam regiminis diuturnitate, quàm laborum mole ac multitudine: summis acceptus & infimis, omnium provocabat liberalitatem: res adversas magno pectore vel perfringebat, vel pro sua prudentia ac lenitate sic moderabatur, ut pacem cum bono nomine & monasterii utilitate tueretur. Parthenonem Wessofontanum nobilissimis Virginibus auctum sollicitè fovebat & custodiebat: Monasticam disciplinam vigili oculo conservabat, & hostem virtutis otiositatem propagato inter suos litterarum studio profligabat. Qui temporis sui gesta mandaret posteris, monachum designavit scriptorem, cujus Chronicon ab anno 1195. usque ad annum 1227. continuatum habemus. Ludovicum, qui cæteris esset exemplo, favore perpetuo fovit, & ad plurima scribenda animavit. Nullas itinerum molestias refugit, Romam quoque profectus, ut jura monasterii vindicaret. Per omnia se dignissimum præstitit præclaris illis elogiis, quibus eum Chronologus noster, & Ludovicus monachus exornavit.

(m) *Tom. VI. Anecd. P. II. f. 50. col. II. num. LXXVI.*

CAPUT V.
De Alberto Abbate XIX.

§. I.

Alberti zelus pro cultu divino.

1. ANno MCC. electus est Albertus in Abbatem & Pastorem animarum, vir plenus bonis operibus. Ita Stephanus noster. Quo sanguine natus fuerit, non memoratur. Monachum fuisse Wessofontanum, & loci ornandi, singulari zelo accensum, ex eo colligitur, quòd primo statim regiminis anno statuerit exequi, quorum desiderio diu ante tacitus ardebat.

Cele-

Celebre jam erat beati Walthonis nomen, ejúsque sanctitas effusis in miseros beneficiis magis indies clarescebat. Erant in omnium oculis, & memoriâ ferè hesternâ suscepti ab illo in monasterii commodum labores, & præsentes fructus, quos in disciplina religiosa, doctrina, facultatibúsque reliquerat, licèt aliquando sauciati, à successoribus tamen studiosè reparati. Quare cùm Abbas Waltho in ipso S. Joannis Evangelistæ festo obierit, neque festum ipsi Walthoni proprium fas esset celebrare, nisi magno labore ab Apostolica sede facultas obtineretur, ipsam S. Joannis festivitatem Albertus Abbas, quo celebriorem Walthonis anniversarium faceret, primo sui regiminis anno & deinceps celeberrimum esse jussit, sicut alias summas solemnitates. Præterea constituit, ut in octava S. Joannis, quo die eatenus tres solùm lectiones recitabantur, jam duodecim dicerentur: ipsúmque festum S. Joannis ante portam latinam pari, qua alia Apostolorum festa, solemnitate celebraretur. Hanc porro circa divina officia disponendi licentiam pro suis monasteriis Abbates illis temporibus sibi competere judicabant: sicut & S. Odilo Cluniacensis anniversariam omnium fideliùm defunctorum commemorationem primus in monasteriis sibi subjectis instituit.

2. Quantum sanctos colendi studium in Alberto fuerit, testantur præcipuè duo tapetes, sive vela, parietibus templi in ornamentum destinata, picturæ mirabilis ac variæ texturæ: in quorum uno visiones apocalypticæ S. Joannis exhibebantur, multis, ut apparet, imaginibus expressæ, subjectísque versibus à Ludovico Monacho explicatæ. Texturam verò ac picturam perfecit, ut subscriptum suo loco nomen indicat, Sibotto Chenich de Hohemos, qui num cœnobii nostri monachus fuerit, vel aliunde accitus artifex, nondum comperimus. Stephanus Leopolder, monachus & presbyter Wessofontanus, qui Chronicon nostrum circa annum 1490. scribere cœpit, dum hos versus refert, oculatum se testem prodit superstitum suo etiamnum tempore horum tapetum, seu velorum; ait enim: *ùt videre licet, cùm ipsa in Ecclesia pendeant* (a). Cùm hodie nihil eorum supersit, suspicari licet, ea vel antiquitate detrita duobus his posterioribus sæculis periisse, vel per cœnobii egestatem, quæ magna sæpius fuit, alienata fuisse, vel in pignus cessisse, numquam ampliùs redempta. Versus tamen illi ob venerandam antiquitatem & authoris solertiam digni essent hîc recenseri: verùm, cùm ad alia properemus, alio fortasse loco, si vacaverit, referentur.

3. Immaculatæ quoque Conceptionis cultum Alberti studio vel promotum fuisse, vel jam antea apud Wessonis fontes floruisse, ex eo mani-

nifestum est, quòd Abbas iste præceperit, ut ob cumulatos festorum labores in festo Conceptionis Deiparæ, sicut etiam in Octava S. Joannis Evangelistæ, Præpositus ad montes largiore cibo ac vino fratres recrearet: idem mandavit Cellerario in festo S. Joannis ante portam latinam. Præpositus ille ad montes non alius fuisse videtur, quàm Gerungus, vineis Athesinis in Tироli præfectus, de quo sub Sigibaldo Abbate.

4. Sacellum etiam aliquod, aut altare Alberto procurante fuisse consecratum, colligo ex recensione quarundam reliquiarum sub ejusdem regimine conditarum cum hac epigraphe: *Hîc recondita sunt reliquiæ S. Petri Apostoli, Cyriaci Diaconi & Martyris, Severæ Virginis, Ursulæ, unius Innocentis, Theodori M. Pancratii M. Antonini M. Ottonis, Lazari, quem Dominus suscitavit, & aliorum multorum.* Has Reliquias suspicor conditas fuisse in altari illo veteris sacrarii, quod ante annos ferè triginta ex arenario saxo, similibus fultum columnis visebatur, conditum à Bernardo Abbate, superposita Deiparæ Virginis filium brachio bajulantis effigie, ac SS. Lazari & Marthæ, Ignatii atque Xaverii statuis exornatum. Destructo sublatóque lapide sacro cum columnis suis ara superior cum memoratorum Divorum imaginibus translata est ab aquilone ad meridiem, hodiernum nempe sacrarium.

(a) *Cod. D. fol. 117.*

§. II.

Jura Monasterii à Pontificibus & Episcopis defensa & roborata.

5. DEbuit & Alberti virtus rebus adversis probari, & variis vexari litibus; verùm eo ipso fieri clarior, quo feliciùs de omnibus triumphavit. Habebat monasterium nostrum jus decimandi in prædio quodam Menzingano, ab Episcopis Frisingensibus concessum, & multorum annorum possessione firmatum: ac fortasse illud ab Ottone Magno, Historiographo & Episcopo celeberrimo, accepimus, de cujus in nos favore testantur acta B. Walthonis. Repentè insurrexit homo militaris, Eberhardus de Schwabingen, decimásque nostras sibi vendicare contendit, utpote opportunas sibi, qui jam antea plurium prædiorum decimas in eodem vico possidebat.

Alber-

Albertus Abbas querimoniam movit apud Ottonem ejus nominis secundum, Episcopum Frisingensem. Suscepit Otto causam nostram, & coram plurimis discussam approbans, jus nobis decimarum suprà memoratarum confirmavit sequentibus litteris:

Otto Dei gratiâ Frisingensis Episcopus secundus feliciter. Amen.

„ NOtum sit omnibus tam futuris, quàm præsentibus, quòd, cùm cœnobium Wessinsbrunen legitimè & quietè possideret quandam curiam in Menzzingen, decimas verò ejusdem curiæ à nobis & ab antecessoribus nostris multo tempore sine lite possedisset, Eberhardus miles de Schwabingen cœpit Abbatem ejusdem loci impetere, asserens, decimas ejusdem curiæ ad se pertinere. Quæ contentio pro voluntate & arbitrio nostro taliter sopita est, quòd dictus Eberhardus renuntiavit omni juri, quod se in decimationibus ejusdem curiæ profitebatur habere, & Dominus Abbas solus obtineat omnes decimationes, quæ dantur de agricultura, quæ antiquitus inserta est ipsi curiæ. Nec Dominus Eberhardus, vel aliquis in posterum de successione sua habebit potestatem, de his aliquid repetendi, vel querimoniam contra præfatum cœnobium super his ampliùs movendi, nec quisquam alius. De reliquis verò agris ad culturam curiæ non pertinentibus sive sint insertæ ipsi curiæ, sive aliàs excolantur, memoratus Eberhardus decimationem pro parte sua accipiet. Hujus rei testes sunt Chunradus majoris Ecclesiæ Decanus: Henricus Præpositus S. Andreæ: Ulricus Præpositus S. Viti: Chunradus Præpositus de Moseburch: Tagino Præpositus de Schliersee: Pabo Præpositus de Isene: Ulricus Vicedominus Ducis: &c. &c." Factum est hoc anno Domini 1212. Mense Junio 15. die Calendas Julii. Testes hîc omissos alibi fortasse dabimus.

6. Præterea turbas Alberto concitaverunt alii quoque viri equestres ac militares, pro illorum nempe temporum acerbitate, quibus vis pro jure valebat. Et imprimis miles quidam de Dilingen in monasterii possessiones hostiliter irruens gravia nobis damna & injurias irrogavit.

Alter Miles de Fronehoven fratris sui adjutus auxilio boves & pecudes per violentiam abripuerunt, & desuper compellati abrepta restituere recusârunt. Albertus Abbas utramque injuriam Honorio III. Pontifici

 tifici

tifici conqueftus, duabus ab illo litteris commendatus fuit Ecclefiafticis defenforibus, qui monafterii caufam tuerentur.

Bulla Honorii Papæ tertii contra quemdam Militem & invaforem de Dilingen. 1217.

„ HOnorius Epifcopus fervus fervorum Dei. Dilectis filiis Præpofito „ S. Georgii, & H. Archidiacono, & Cuftodi Auguftenfi falutem „ & Apoftolicam benedictionem. Dilecti filii Abbas & Conventus Wef„ finsbrunnenfis nobis conquerendo monftraverunt, quod G. miles de „ Dilingen Auguftanæ Diœcefis in quasdam poffeffiones eorum hoftiliter „ irruens, eis damna & injurias irrogavit. Ideóque difcretioni veftræ „ per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus partibus convocatis au„ diatis caufam, & appellatione remotâ fine debito terminetis, facien„ tes, quod decreveritis, per cenfuram ecclefiafticam firmiter obferva„ ri. Teftes autem qui fuerint nominati, fi fe gratiâ, odio, vel timore „ fubtraxerint, per cenfuram eamdem appellatione ceffante cogetis ve„ ritati teftimonium perhibere. Quodfi non omnes his exequendis po„ tueritis intereffe, duo veftrûm nihilominus exequantur. Datum Vi„ terbii decimo Calendas Junii Pontificatûs noftri anno quarto.

Aliâ fimili Epiftolâ idem Pontifex nos commendavit Præpofito, Cuftodi, & Scholaftico Auguftanis, ut jus noftrum tuerentur contra milites de Fronehoven. Data eft hæc Alatri feptimo Idus Maii Pontificatûs Honorii III. anno fexto, nempe biennio poft priorem.

7. Non fatis erat Honorio monafterium noftrum contra violentorum hominum injurias defendere, & defendendos commendare, fed egregiâ etiam prærogativâ voluit nos cumulare. Parochiam enim civitatis Landfpergenfis, quæ antiquitus Phetine dicebatur, & magnam partem ad Dominos de Pfetten pertinebat, decimis tamen & jure præfentationis ad nos fpectantibus, pleniùs attribuit cœnobio noftro. Audiamus ipfam Pontificis Bullam, qua imprimis omnia monafterii bona confirmantur, & præcipuè Parochiæ adminiftratio tribuitur, anno falutis poft millefimum ducentefimum decimo nono.

Honorius Epifcopus fervus fervorum Dei.

„ DIlectis filiis Abbati & Conventui in Weffinsbrunnen fancti Petri fa„ lutem & Apoftolicam benedictionem. Sacrofancta Romana Eccle-

fia

„ fit devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs dili-
„ gere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos
„ tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapro-
„ pter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati personas
„ vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omni-
„ bus bonis tam ecclesiasticis, quàm mundanis, quæ impræsentiarum
„ rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Do-
„ mino, poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipi-
„ mus. Specialiter autem Ecclesiam Phettine, quam canonicè & quie-
„ tè possidetis, post decessum Clerici ad usum monasterii vestri, salvo
„ jure Diœcesani, vobis & per vos imposterum authoritate Apostolica
„ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli er-
„ go hominum omnino liceat hanc paginam nostræ protectionis & con-
„ firmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem
„ hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & bea-
„ torum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum
„ Alatri decimo tertio Calendas Junii, Pontificatûs nostri anno sexto.

8. Requiret fortasse curiosus lector, cur Bullæ primùm recitatæ locis tam diversis ac peregrinis, & non potiùs in ipsa urbe Roma fuerint expeditæ. Solebant Pontifices, & adhuc quandoque solent æstivandi gratiâ in aliis ditionis suæ civitatibus calidiore anno sedem figere. Inter illas Viterbium est, hodiedum celebre, ubi in Ecclesia Cathedrali quatuor Romanorum Pontificum corpora requiescunt. Inde data est prima Bulla anno 1217. Alatrum, unde alteræ duæ Bullæ emanaverunt, italica Campaniæ civitas est, Pontifici immediatè subjecta, duorúmque Cardinalium Hugonis & Godefridi Natalibus gloriosa.

9. De reliquo primum Parochi Landspergensis nomen invenimus sub Conrado Abbate, proximo Alberti successore. Fuit is Conradus Pozzo, Presbyter & Monachus nostræ congregationis, vir litteratus & scriptor eximius, qui Ecclesiam pariter Landspergensem, & Pyrgensem procúravit: de eo inferiùs uberior redibit loquendi materies.

§. III.

Obitus Alberti Abbatis.

10. POstquam Albertus unum & viginti ferè annos monasterio nostro utilissimè præfuit, defensis generosè monasterii bonis, confirmatis privilegiis, depulsis invasoribus, acquisitâ pleno cum jure

L.

Landſpergenſi Parochia, aucto Immaculatæ Virginis, & ſanctorum cultu, templo aris & SS. Reliquiis locupletato; plenus meritis diem ſupremum obiit anno ſalutis poſt milleſimum ducenteſimum vigeſimo, tertio Calendas Auguſti, id eſt, trigeſimo Julii. Ereptus eſt, velut juſtus Loth, communi patriæ, Germaniæque incendio, quo graviſſimis bellis omnia turbabantur.

11. Raderus in Bavaria ſancta (a) & Mauſolæum S. Emmerami nuperrimè editum (b) Abbatem Anonymum collaudant, qui à Ludovico Bavariæ Duce, Ottonis Magni filio, Ratisbonam fuerit accitus, incuriâ famuli orto per noctem incendio combuſtus, inter cineres inventus cum lipſanotheca ad pectus & ferrea catena circa lumbos, in cathedrali dein Eccleſia ſepultus & prodigiis clarus. Non ducitur laudi à criticis, arripere ſuæque civitati vel Religioni vendicare, quod ab aliis derelictum inveneris. Fas tamen eſt, ejuſmodi ignotos ſanctos in lucem, quantum valeas, proferre, ubi momenta ſunt, quæ fidem aliquam opinioni concilient. Mauſolæum hunc Abbatem circa annum ſæculi Chriſtiani 13. vigeſimum collocat, & Raderus in margine eidem addit: *circiter annum CIↃCCXX.* Certum eſt eodem anno præfuiſſe Bavariæ Ludovicum, & obiiſſe Albertum Abbatem noſtrum. Alberti deceſſor Sigibaldus Reyſpacenſis Parochiæ jura vindicare conatus actum egit. Elapſæ ſunt è manibus noſtris decimæ illæ à Thaſſilone Fundatore conceſſæ, ab Epiſcopis Ratisbonenſibus confirmatæ & auctæ. Non potuit Albertus noſter illas negligere: tentanda via erat, qua recuperarentur, vel tandem aliis commutarentur. Ludovicus poterat quibuscunque conditionibus initis afflicto monaſterio opem ferre, & rem cum Epiſcopo Ratisbonenſi tractare. Negotii hujus causâ evocatus Abbas Ratisbonam venit, ubi frequenter verſabatur Ludovicus, caſtro Abbacenſi nuperrimè reſtaurato, ac palatio Kelhemii ſibi electo: ab utroque loco brevis ſecundo Danubio Ratisbonam via. Ibi Dux decimas Reyſpacenſes in ſuam poteſtatem recepiſſe, alias in ſuperiore Bavaria monaſterio noſtro propiores conceſſiſſe videtur: ibi Abbas noſter incendio periiſſe. Certè nec tumulus ejus, nec epitaphium in monaſterio noſtro cernitur: ſolus obitûs dies memoratur. Ludovicus autem monachus noſter mortem ejus incendio extincti, catenâque lumbos armati his verſibus deplorat:

Libri quis ſcriptor ſit, ſit memor ô bone Lector;
Orphanus & modicus transſcripſit eum Ludowicus
Tempore mæroris, planctûs, magnique doloris.

Cauſa

Causa fuit luctûs, *Pater in cineres resolutus.*
Quod fecit pensa JESU, factúmque repensa.

Decimæ Landspergenses pleræque hodie ad Serenissimos Bavariæ Duces spectant. Eodem Ludovico Duce Parochiam Landspergensem cum decimis accepimus, ab Honorio tertio confirmatam, ut suprà ostensum. Hæc interea opinionis fundamenta proposuisse liceat, nec indebitam claritatem à viro sancto affectantibus, nec tamen Anonymo nomen repertum non restituere volentibus. Raderus insignem hunc virum pulcherrimo Iconismo & eleganti epigrammate ornavit in Bavaria sancta, (c) quod apponimus.

Omnia tempus edax absumit, & omnia delet;
Abstulit hoc nomen, *cœnobiarche*, *tuum.*
Nulla tamen potuit tua facta *abolere vetustas,*
Quamvis post cineres prodita facta tuos.
Viventis latuit virtus velata cucullo:
Non timet Autolici condita gemma picem. (d)
Postquam flamma vorax corpus nudavit *amictu,*
Nescia virtutis prodidit *exuvias.*

(a) *Volum. I. fol. 254. ex Cæsarii Apum lib. XI. Cap. XVI.* (b) *Editum anno 1752. fol. 297.* (c) *Vol. I. f. 255.* (d) *Autolicus Mercurii filius, fur insignis, de quo Ovidius:* Nascitur Autolicus furtum ingeniosus ad omne. *Et Martial. l. 8. Epig. 56.* Non fuit Autolici tam piceata manus.

CAPUT VI.

Conradus II. Abbas XX.

§. I.

Conradi Natales.

1. ANtiqua stirpe Nobilium de Menchingen oriundus fuit Conradus, intérque majores suos censuit Henricum Menchinger, qui anno millesimo octogesimo quarto Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonicus, millesimo verò & centesimo, ejus Decanus

canus evasit. In antiquo instrumento, quo lis aliqua Landspergæ decisa refertur, ad annum 1192. inter testes nominantur Reinhardus de Menchingen, & Henricus filius ejus, qui factus est Canonicus & Archidiaconus Augustanus. Non longè à vero aberraverit, qui Reinhardum Conradi nostri patrem, & Henricum fratrem dixerit. Cæterùm familia hæc etiam Mentechingen & Mantichingen scripta invenitur, possidebatque pagum Merchingen, corrupto hodie nomine, quem Finckius in Tabula Bavariæ Chorographica Maximiliano Emmanueli Electori dedicata expressè Menchingen vocat. Ecclesia Merchingensis ab ipsis Menchinganis nobilibus donata primùm fuit Episcopis Augustanis: dende, pago ipso à Ludovico Bavaro ad Ettalensis Monasterii dominium translato, ab Henrico Episcopo Augustano incorporata est eidem cœnobio anno 1341. In diplomate Cæsareo locus iste vocatur Menichingen, in litteris Henrici Menchinen. Hæc de Conradi natalibus dicta sunto. (a)

(a) *Vid. Hund. metrop. verbo:* Ettal. *fol. 303. & Hier. Aug. P. 1. Cath. in Decanis fol. 544.*

§. II.

Favores Pontificii.

2. INcidit Conradus in acerbissima tempora, quibus res Bavariæ miserrimè turbabantur. Optimè tamen, cautissiméque se gessit Conradus noster, & cùm regni ac sacerdotii dividiæ arderent gravissimæ, ipse sibi & Pontificum & Principum favorem conciliare non ignorabat. Sicut Albertus decessor faventem rebus suis Honorium III. habuit, ita Conradus iste Gregorium IX. Hic etenim Pontifex Parochiam Rottensem à Sigefrido Episcopo anno hujus sæculi vigesimo sexto nobis incorporatam proximo statim anno clementissimè confirmavit, sequente Bullâ:

Gregorius Episcopus, servus servorum DEI.

„ Dilectis filiis Abbati & Conventui in Wessinsbrunnen salutem & „ Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur, quod justum est „ & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id „ per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea- „ propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato

„ con-

„ concurrentes assensu, Ecclesiam in Rott, quam Venerabilis frater no-
„ ster Augustensis Episcopus, Capituli sui accedente consensu, mona-
„ sterio vestro pia liberalitate donavit, prout in litteris confectis exinde
„ dicitur plenius contineri, vobis & per vos eidem monasterio authori-
„ tate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio commu-
„ nimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ con-
„ firmationis infringere, vel ei ausu contrario contraire. Siquis autem
„ hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, &
„ beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Da-
„ tum Laterani undecimo Calendas Junii, Pontificatûs nostri anno (b)
„ primo.

3. Idem Pontifex in singularem sedis Apostolicæ protectionem suscepit monasterium nostrum, & privilegio generali omnium bonorum nostrorum securitati atque indemnitati consuluit. Bullæ Pontificiæ tenorem atteximus, iis solùm omissis ad levandum lectoris tædium, quæ huic cum priore Bulla communia sunt.

Personas vestras & monasterium in Wessinsbrunnen, in quo divino mancipati estis obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum præstante Domino justis modis poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, possessiones & alia bona vestra, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, & eidem monasterio per nos Apostolica authoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Post consuetam in contemptores comminationem finitur Bulla: *Datum Laterani 2. Idus Aprilis, Pontificatûs nostri anno duodecimo.*

4. Cùm nihilominus homines quidam militares diversis modis monasterio molesti esse non reformidarent, neque Pontificis minas, tanquam procul fulminantis, metuerent, viciniores facultatum nostrarum vindices Papa constituit, misso ad Abbatem Benedictoburanum, Præpositos Staingadensem & Pollingensem hujus tenoris diplomate, quod cùm aliis superius recitatis simile sit, peculiaria tantùm extrahimus:

Gregorius Episcopus, servus servorum DEI,

Dilectis filiis Abbati de Buren, de Staingaden & de Pollingen Ecclesiarum Præpositis Augustensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Præsentium vobis authoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis monasterii de Wessinsbrunnen Ordinis S. Benedicti Augustensis Diœcesis aliena inveneritis illicitè vel

 distracta,

distracta, ad jus & proprietatem ejus legitimè revocetis, contradictores verò per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Et post pauca concludit: *Datum Laterani Idibus Aprilis, Pontificatûs nostri anno duodecimo.*

5. Non territi vibrato in alios Pontificis fulmine, nec sibi pariametuentes viri duo equestres Conradus & Henricus Spannagel, fratres ut sanguine, ita sævitiâ germani, aliique nonnulli Diœcesis Augustanæ, in armenta monasterii rapaces injicere manus, & abigere pecora ausi sunt. Inermis Abbas ad Pontificis denuò tutelam confugit, obtinuitque sequentem Bullam, qua Gregorius Abbati Benedictoburano, Præpositis Diessensi & Pollingano demandat monasterii nostri defensionem. Communibus omissis peculiaria tantùm recitamus.

Dilecti filii Abbas & Conventus de Wessinsbrunn nobis conquerendo monstraverunt, quòd Conradus & Henricus fratres, dicti Spannagel milites, & quidam alii Augustensis diœcesis ipsos equis, bobus, & rebus aliis contra justitiam spoliaverint. Ideòque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, & cætera jam superiùs recitata.

Clausula est: *Datum Laterani* (c) *Idus Aprilis, Pontificatûs nostri anno duodecimo.*

(b) *Anno 1227. quo electus fuerat.* (c) *nempe 1239. non hîc* Idibus, *sed* Idus *legendum puto, præfixo tamen binario, ut Bulla hæc data sit eodem die, quo prior, nempe num. 3. posita.*

§. III.

Favor Episcopi Augustani.

6. QUàm faventem sibi Conradus Abbas Romanum Pontificem habuit, tam beneficum & liberalem invenit Sigebertum Episcopum Augustanum. Erat is ex illustri Rechbergiorum familia, à Corbiniano Kamm egregiè laudata (d), electus in Antistitem anno sæculi hujus octavo: quem vel ideo Abbati nostro favisse crediderim, quòd ipse ab extinctis Conradi nostri majoribus Ecclesiam Meuchingensem acceperit. Et monasterio quidem nostro jam pridem addictus fuerat, cùm sub Abbate Sigibaldo Sigefridus ipse Rottæ Parochus & Decanus fuisse videatur,

tur, recensitus alicubi inter testes hoc titulo: Sigefridus Decanus de Rotta; id apparet ex ipsa Parochiæ incorporatione, in cujus litteris laudat perpetuam apud nos hospitalitatem. Eundem aliàs ordini Benedictino multa præstitisse beneficia, testatur historia Augustana (c). Tandem post præclara in Diœcesin suam merita profecturus in Palæstinam, ut sui memoriam apud nos relinqueret perennem, Parochiam Rottensem pleno jure monasterio incorporavit, ac deinde anno 1227. ipso in itinere Brundusii Apuliæ civitate, navim jam conscensurus, spiritum DEO reddidit, & ad feliciorem Jerusalem in cœlos abiit. Diploma, vi cujus Rottensis Ecclesia monasterio plenè incorporatur, apponere erit operæ pretium:

„ *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.*

„ Ego Seifridus, Dei gratiâ Augustensis Ecclesiæ Episcopus. Cùm ex „ officio pastoralis dignitatis nostræ, cunctis Ecclesiis nostræ diœcesis „ maximè tamen religiosis, ac religiosam vitam ducentibus in petitio„ nibus idoneis nobis porrectis benefacere, atque propensiùs providere „ teneamur; volumus, sicut debemus, ut his providens & abundans „ adhibeatur cautela, quæ benè ac rationabiliter à nobis geruntur, ne „ vel processu temporum, vel vitio fragilis memoriæ rationabiliter à no„ bis gesta in irritum deducantur, aut alia quacunque causâ dissolvi va„ leant. Cujus rei gratiâ notum fieri cupimus omnibus ac singulis Chri„ sti fidelibus, ad quos præsens devenerit pagina, tam futuris quàm præ„ sentibus; cùm cœnobium in Wessinsbrunnen, bonæ ac laudabilis fa„ mæ, propter honestam & assiduam hospitalitatem, quæ ibidem ab „ antiquo viguit, & ejusdem monasterii reædificationem magnum susti„ nuisset rerum defectum, nec ejus inopiæ quispiam subveniret: quòd „ nos piè in Domino, ob dilectionem dilecti fratris nostri Cunradi ibi„ dem Abbatis & Conventûs, defectui ejus compatientes, Ecclesiam in „ Rotte, cùm ipsa vacare cœpisset, ad abundantiorem sustentationem „ necessariorum, cum Jus Patronatûs ejusdem Ecclesiæ ad ipsum spe„ ctet cœnobium, de communi consilio, & assensu Capituli nostri, ple„ no jure dedimus, & concessimus eidem monasterio perpetualiter pos„ sidendam & utendam: salvo tamen jure Diœcesani, & Archi-Diaco„ ni, qui pro tempore fuerint. Ut autem ista donatio firma & immu„ tabilis esse debeat, & à nullo nostrorum successorum, seu aliorum „ latratu malignantium impugnari valeat, præsentem paginam sigillo „ nostro & Capituli nostri communitam conscribi fecimus, eidem cœ„ nobio in testimonium indulgentes. Hujus rei testes sunt Goteboldus

„ Abbas in Nerenshaim. Bertoldus Præpositus in Nerbrechtingen. (f)
„ Albertus Custos. Hainricus de Mendechingen Archidiaconus. Her-
„ mannus Scholasticus. Ulricus Cellerarius. Ulricus Plebanus. Ulricus
„ de Sueningen. Ulricus Vicedominus. Hainricus Huchingus Archi-
„ diaconus. Ulricus Oblaicus. Gebehardus de Salurne Diaconus. Sibotto
„ de Sevelde. Cunradus de Mülehusen. Sifridus de Inningen. Magi-
„ ster Wernherus, omnes Canonici Augustenses, & alii quamplures ad
„ hoc specialiter vocati, tam Clerici, quàm Laici. Acta sunt hæc anno
„ Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, indi-
„ ctione decimâ quartâ, quarto Idus Novembris, regnante Romano-
„ rum Imperatore Friderico, & filio ejus Henrico Romanorum Rege
„ gloriosissimo.

7. In hoc diplomate benè observanda est monasterii nostri commendatio à *bona & laudabili fama*, honestáque & assidua *hospitalitate*, quam in eo ab antiquo viguisse Episcopus testatur. Præterea notandum discrimen in diplomate Waltharii Episcopi ad B. Walthonem dato; in illo enim Episcopus Abbatem appellat filium: *dilecte fili*, *Waltho Abba*. In hoc autem Sigefridus vocat Abbatem fratrem: *ob petitionem dilecti fratris nostri Cunradi ibidem Abbatis*. Deinde monasterii nostri egestatem tum assiduæ hospitalitati tum ædificiorum instaurationi Episcopus imputat, unde colligo, Albertum vel Conradum, aut utrumque Abbatem, structuras quasdam fuisse molitos, quæ tamen chartis non sunt mandatæ. Denique significat Episcopus, jus Patronatûs in Ecclesiam Rottensem jam antea ad monasterium nostrum spectâsse. Ex quo colligas, ipsum illum Adalbertum de Rote, Walthonis nostri Florentium, si à nobis fuit præsentatus, cætera sua crimina etiam ingratitudinis dedecore cumulâsse.

(d) *Hier. Aug. P. I. Cathed. pag. 235.* (e) *Ibid. fol. 236.* (f) *Lege* Herprechtingen: *olim Præpositura in Würtenbergia.*

§. IV.

Favores Cæsarei.

8. QUemadmodum Fridericus primus Imperator, cognomento Ænobarbus, tum S. Walthonis precibus, tum Wulfildis monialis nostræ materteræ suæ, amore permotus propitium se ac liberalem exhi-

exhibuit, ita Fridericus II. conatus est suum nobis favorem supplicante Conrado ostendere. Servamus insigne diploma, in quo significat, ad præstandam nobis gratiam se fuisse permotum, quòd Ecclesia nostra à parentibus suis, majoribus nempe vel propinquis, fuerit fundata & dotata. Permittit igitur omnibus optimatibus aulæ suæ cunctísque ministris suis liberam facultatem, quidquid vellent prædiorum aut redditUum suorum monasterio nostro donare, liberè prorsus donandi ac transscribendi. Præterea hortatur omnes Principes ac Nobiles, ut, siquid prædiorum antiquitus ad monasterium pertinentium quoquo titulo possiderent, illud divino timore instincti restituerent. En ipsum diploma:

„ *Fridericus secundus divinâ favente clementiâ Romanorum Im-*
„ *perator semper Augustus, Rex Siciliæ, omnibus salutem in*
„ *perpetuum.*

„ Quia de commissa nobis à Deo substantia Christi pauperibus ero-
„ gare tenemur particulam, & sanctarum Ecclesiarum profectui, quæ
„ nostris reatibus acquirit veniam, & æternæ sortis ad præmia nos con-
„ ducit. Holocaustum enim illius particulæ, quam vel mater Ecclesia,
„ vel egeni suscipiunt, vel quæ transit fideliter in usus pauperum, pro
„ delictis nostris incessanter supplicat, instanter intervenit, mansionem
„ ædificat in terra viventium, & cælestis regni palatio nos adscribit. Hinc
„ est, quòd ego Fridericus aulæ Imperialis Imperator & Rex Siciliæ,
„ præsentis scripti confirmatione, omnibus ministerialibus, vel sine com-
„ pede progenitis, aulæ Imperiali attinentibus, significo, quòd Ecclesia
„ S. Petri in Wessinsbrunnen, quæ â felicibus beatæ memoriæ parenti-
„ bus nostris fundata, & dotata, & specialis dilectionis gratiam apud
„ ipsos adepta recognoscitur, nos quoque eadem dilectionis plenitudi-
„ ne ipsi Ecclesiæ omni instantiâ subvenire, & structuram ipsius proten-
„ dere delectat. Universis etiam ministerialibus aulæ imperiali subjacen-
„ tibus manifestè indicimus, quòd quicunque prædia vel aliquos reddi-
„ tus eidem Ecclesiæ ad usum fratrum inibi Deo servientium & omnium
„ pauperum, viatorúmque supervenientium tradere deliberaverit, ex li-
„ centia nostra, quam etiam à parentibus nostris ipsi Ecclesiæ datam esse
„ non ambigimus, mente benevolæ fieri permittimus. Præterea prin-
„ cipibus & nobilibus viris, qui prædia ipsius Ecclesiæ, cum quibus
„ functa exstitit, ex jure concesso possident, fideliter suademus, & fa-
„ vore nostræ authoritatis concedimus, quatenus instinctu spiritûs timo-
„ ris Domini ablata eidem Ecclesiæ prædia, ad ejus protensionem & su-

„ sten-

„ ostentationem fideliter restituant. Et nequis præsens scriptum frivolum
„ esse præsumat, nostri impressione Sigilli fieri jussimus communitum.
„ Hujus Imperialis judicii testes sunt Bertholdus Patriarcha Aquilegiensis.
„ Chunradus Imperialis aulæ Cancellarius. Sifridus Moguntinensis Archiepiscopus. Sifridus Augustensis, Bertholdus Brixinensis, Episcopi. Albertus Tridentinus electus. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ. Anselmus Marscalcus. Wernherus Dapifer, & alii quàm plures. Datum in Castris prope montem Rosulum juxta Sutrium, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, Indictione nona, septimo Calendas Decembris. Anno imperii invictissimi Domini nostri Friderici primo.

9. Inter testes iterum vides Sigefridum Episcopum Augustanum, benefactorem nostrum superiùs jam laudatum: item Ludovicum Palatinum Rheni, & Ducem Bavariæ, qui Ottoni Magno circa annum 1183. successerat: fortis ac Religiosus Princeps, at non æque fortunatus, nisi in eo, quòd per nuptias filii sui Ottonis cum Agnete Henrici Palatini filia Palatinatum cum Bavaria junxerit. Ipse Ludovicus, Innocentio IV. teste, Pontificiis semper partibus favit, ideò, ut quidam autumant, Friderico Imperatori demum exosus, eodémque subornante Kelhemii anno 1231. die 16. Septembris à Morione proditoriè occisus. Hæc fuit merces fidei, ac in multis præstitæ societatis: sicut ex recitato diplomate patet, cui ipse testis in castris propè montem Rosulum subscripsit.

10. Nullus dubito, quin Sigefridi Episcopi oratio multum momenti attulerit, ut Imperator multò largiùs suam erga nos munificentiam demonstraret. Erat enim, ut patet, Episcopus cum Cæsare in castris, cùm expediretur diploma. Eodem anno ac die Imperator aliud pro emolumento nostro Privilegium seu grande donum est elargitus, vi cujus pleno jure monasterio attribuit villas Rormos & Porstadel cum subditis. Invenies in hoc diplomate eosdem testes, eundem, ut ajunt, diem & consulem.

„ *Fridericus II. divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ, omnibus salutem in perpetuum.*

„ Ex innata nobis Imperiali munificentia communitatibus Ecclesiarum, specialiter earum, quæ ad nos pertinent, intendere, earúmque paupertati benignâ manu subvenire intendentes, præsentium te-

„ stimo-

„ stimonio ad notitiam præsentium atque ad memoriam pervenire volu-
„ mus futurorum, quòd nos pro remedio animarum divorum progeni-
„ torum nostrorum, nostræque salutis successu, damus, donamus, at-
„ que tradimus, & titulo perpetuæ possessionis confirmamus Ecclesiæ in
„ Wessinsbrunnen Abbatibus atque Conventui ibidem de cætero DEO
„ servituris, volentes, Isingerum de Rorenmos, Marquardum cum di-
„ midio manso, Chunradum de Porstadele, consistentes in quodam
„ novali ad nostrum demanium pertinente. Volumus igitur atque de-
„ cernimus, ut Abbates & Conventus prædicti cœnobii homines ante
„ dictos, & locum, terram, nemus, sive novale, in quo habitant, cum
„ omni jure & honore sicut hactenus ad nos pertinebant, ex omni parte
„ cum introitu & exitu ex nostra Imperiali collatione seu donatione ha-
„ beant, teneant, atque possideant, sine alicujus contradictione: ita,
„ quòd nullus nuncius noster aliquod inde à monasterio servitium requi-
„ rat memorato. Ad hujus igitur rei perpetuò valituræ evidentiam
„ majorem, robur, atque memoriam; hoc scriptum inde fieri jussimus,
„ sigillo majestatis nostræ communitum. „ Sequuntur testes, ùt in
„ priore diplomate, post quos subscribitur: „ *Ego Chunradus, Metensis*
„ *& Spirensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, recognovi. Datum in*
„ *castris* verbis, quibus suprà.

§. V.

Alia quædam bona monasterio comparata.

91. SAtis quidem fecisse muneri suo Conradus Abbas videri poterat ob-
tentis tot eximiis Pontificum, Episcoporum, Principúmque fa-
voribus: verùm Deus alios quoque benefactores excitavit. Atque imprimis Udalricus de Vindingen cum Agnete uxore, ac filio Conrado ad altare S. Petri obtulerunt prædium in Hofstetten cum omnibus cultis & incultis ad illud pertinentibus; & hoc in dotem pro Gerbirga filiæ, quam divino servitio in Parthenone nostro mancipaverat. Eodem die, quo filia sanctimonialibus est associata, Udalricus & Agnes pro salute animarum suarum, parentúmque defunctorum donaverunt monasterio molendinum in Vindingen, unâ cum Advocatia: eo tamen pacto, ut ipse Udalricus tantummodo solus illud ad dies vitæ suæ possideret, usúmque illius annuo ceræ talento ad monasterium misso redimeret; deinceps verò molendinum cederet in usum Ecclesiæ nostræ. Pactus est præterea Udalricus sibi, suisque in monasterio nostro sepulturam, &, ubi-

cunque eum in citeriore ista Rheni parte decedere contigisset, ad Ecclesiam deportari sine damno nostro. Quodsi per censuram aliquam Ecclesiasticæ sepulturæ incapax obiret, obstringit Abbatem & Monachos cum uxore & filio, ut pro absolutione elaborent. Ad ipsas porrò exequias suas constituit Ecclesiæ persolvi tria talenta, quartum verò Conventui fratrum: sanctimonialibus autem utilem vaccam designavit. Eadem omnia observari voluit in funere uxoris suæ Agnetis, & Conradi filii. Quæ ut accuratè executioni mandarentur, curam habere jussit sororis suæ filios Hildebertum & Henricum. Quoties porrò ipsius Udalrici anniversarius ageretur, voluit exhiberi Conventui charitatem, id est, refectionem liberaliorem, & pocula *usque ad summum* impleri vino. Explicatiùs hæc enarranda putavi ad exhibendas veterum consuetudines, simplicitatem, ac in Religiosos benevolentiam. Prudens quisque, ac rei œconomicæ monasticæque peritior veniam habeat, profundiùs considerandi, num pacta hæc talia plùs favoris, an oneris attulerint religiosæ solitudini, ac monasterii facultati. Ejusmodi Patroni obsequium se præstare Religiosis putabant; nec rejici facilè tunc temporis poterant similes pactiones, cùm amicitia potiùs quocunque demum modo servanda, quàm inimicitiæ sæcularium suscipiendæ viderentur, ab expertis præcipuè quid vis armata contra inermium jura posset.

12. Præterea Chunradus miles, id est, vir nobilis de Grunthartshoven, annuente uxore, pro remedio animarum suarum curtem quamdam, seu prædium in Pennenried, à parentibus hæreditario jure acceptam, cum omnibus ad eam pertinentibus, quocunque loco sita essent, Ecclesiæ Wessofontanæ tradidit, sine cujusquam impedimento post obitum suum perpetuò possidendam. Idem Chunradus dimidiam partem curiæ seu prædii in Sechsenried cum servis, Sigihardo nempe & omni ejus propinquitate ac progenie, Ecclesiæ nostræ obtulit pro sex talentis sibi mox porrigendis, ea lege, ut si obiret sine liberis, dimidia illa curiæ pars in perpetuum Ecclesiæ usum converteretur: quòdsi verò prolem relinqueret, ipse acceptam pecuniam monasterio refundere teneretur. Munitum est traditionis Instrumentum multis testibus, maximè de conventu nostro, & familiâ monasterii. Nec minùs de istius, quàm superioris traditionis utilitate dubito: si prudentiores judicent, in monasterii commodum hæc pacta cessisse, lubens benefactoribus tam profusis gratias ago.

§. VI.

§. VI.

Status cœnobii nostri quoad monachos.

13. Quantumvis alibi locorum claudicâsse tam disciplinam monasticam, quàm litteraturæ curam ea temporum acerbitate noverim, injuriam tamen gravissimam majoribus nostris inferrem, si de iisdem similia affirmare præsumerem. Satis testimonii monasterio nostro dedit Sigefridus Episcopus, ut suprà vidimus: & fuit is non auritus tantùm, sed oculatus testis, solâ hospitalitatis copiâ nos ad inopiam quamdam decidisse: nunquam tamen Abbatum nostrorum vigilantia eò usque dormitavit, ut ad litteras *hospitum exclusorias* à Principibus petendas adigerentur, quemadmodum alibi factum legimus (g). Imò Conradus noster pro temporibus illis sufficientem Religiosorum numerum aluit, & quidem nobilium & litteratorum, ut honestissimos quoque ac eruditissimos non pigeret in eorum societatem accedere. Invenio integrum ferè Catalogum monachorum nostrorum traditioni Conradi paulò ante memoratæ subscriptorum, quem lubens exhibeo. *Hi testes sunt: Dominus Chunradus Abbas. Conradus Pozzo. Fridericus & frater ejus de Ludenhusen. Rudigerus de Hunsoligen, & Bertholdus de Sulmingen, Wernherus de Celle, Sacerdotes. Dietricus de Pflugdorff, Ulricus de Igelingen, Diacones. Rupertus de Stettwang, Hermannus de Phlurlingen, Subdiaconi. Marquardus Huzzo. Conradus de Durginveld, & Cognatus ejus Otto.* His subnectuntur alii tum ministeriales, tum familiares monasterii, quos alium in locum differimus. Inter Religiosos litteratissimus fuit Conradus Pozzo, qui cùm Abbati proximus ponatur, tunc temporis Prior fuisse videtur, de cujus meritis & doctrina inferiùs agemus. Nobiles ex conventu mihi comperti sunt Fridericus de *Ludenhusen*, cùm inter testes laicos legatur Ulricus de Ludenhusen, & *miles* vocetur. Rudigerus de *Hunsoligen*, ex cujus familia tres à B. Walthone in cœnobium jam dudum assumptos narravimus. Dietricus de *Pflugdorff*; nam ejus stirpis homines inferiùs redibunt, iidémque arcem olim habebant hodiernæ S. Laurentii Ecclesiæ vicinam. Ulricus de *Iglingen*, cujus stirpis castrum hodiéque splendet, & extincto jam illo sanguine Baronibus Donnerspergiis paret. Wernherus *de Celle* non temerariè inter majores hodiernorum Baronum de Celler numerabitur.

14. Cæterùm non caruit domesticâ quoque ærumnâ Conradus Abbas, seriùs fortè, quàm voluisset, in eorum actarum notitiam veniens. Explicavit ipse animi sui dolorem Gregorio IX. summo Pontifici, ab eóque consilium ac remedium petiit, conquerendo, quòd nonnulli è suis pro mutua & violenta manuum injectione, quidam pro detentione proprii, alii pro negata sibi & decessoribus suis obedientia, & conspiratione quadam in excommunicationem inciderint, sacros tamen ordines susceperint, ac exercuerint. Cui querelæ ac petitioni Pontifex, Abbatis circumspectionem laudans, plenas prudentiæ & charitatis litteras dedit, quas, cùm luculentæ sint, propriis ipsius verbis exhibeo.

„ *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio N. Ab-*
„ *bati de Wessisbrunne. Ord. S. Bened. Augustanæ Diœcesis,*
„ *salutem & Apostolicam Benedictionem.*

„ Petitio tua nobis exhibita continebat, quòd nonnulli monasterii tui
„ monachi & conversi pro violenta injectione manuum in se ipsos, &
„ quidam pro detentione proprii, ac alii pro negata tibi & prædecesso-
„ ribus tuis obedientia, seu conspirationis offensâ in excommunicatio-
„ nis laqueum inciderint; quorum monachorum quidam susceperunt
„ ordines, & divina celebrârunt officia sic ligati. Quare super his ipso-
„ rum provideri saluti, à nobis humiliter postulâsti. De tua igitur cir-
„ cumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, præsentium tibi
„ authoritate personaliter concedimus, ut taliter excommunicatis dein-
„ ceps juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, injun-
„ gens eis, quod de jure fuerit injungendum. Proviso, quòd manuum
„ injectores, quorum fuerit gravis & enormis excessus, mittas ad sedem
„ Apostolicam absolvendos. Cum illis autem, qui absolutionis benefi-
„ cio non obtento, facti immemores vel juris ignari susceperunt ordi-
„ nes, & divina officia celebrârunt, injunctâ eis pro modo culpæ pœ-
„ nitentiâ competenti, atque peractâ, liceat tibi de misericordia, quæ
„ superexaltat judicio, prout eorum saluti expedire videris, dispensare.
„ Si verò præfati excommunicati scienter talia præsumpserunt, eis per
„ biennium ab ordinum executione suspensis, & impositâ ipsis salutari
„ pœnitentiâ, eos postmodum, si fuerint bonæ conversationis & vitæ,
„ ad gratiam dispensationis admittas. Proprium autem siquid habent
„ dicti monachi & conversi, facias in tuis manibus resignari, in utilita-
„ tem ipsius monasterii convertendum. Datum Laterani decimo sexto
„ Calendas Maji. Pontificatûs nostri anno duodecimo.

15. Fuit

15. Fuit ea temporum illorum iniquitas, ut, si acerbiùs etiam sentire de præmissa manuum injectione velim, credere debeam, partium studio divisos fuisse animos, cùm alii Pontificis, alii Imperatoris; quidam hujus, quidam Ottonis Ducis parti faverent. Si mitiùs, quod præoptem, & ipse Papa suspicatus videtur, juniores fratres ætatis calore in rixam inflammatos id fecisse, quod susceptis postea ordinibus jam prudentiores in religionem primùm vertere cœperint. Neque obedientiam tam præfractè negatam, neque conspirationem tam acriter conflatam fuisse, mihi persuadeo, cùm Abbas vel tamdiu taciturus non fuisset, vel ipsi fratres in loco non perstituri. Quantum ad retentionem proprii attinet, pro illorum temporum consuetudine distributiones certorum redituum fiebant non solùm in officiales, sed etiam Religiosos singulos, quemadmodum aliorum cœnobiorum exempla testantur: (h) neque id sibi quisquam religioni ducebat. Permittebantur habere & administrare quædam, requisita tamen superiorum, vel totius Capituli voluntate. Unde mirum non est, graviùs fuisse reprehensum, si quis in ea consuetudinis laxitate plus sibi supra concessum arrogâsset. De cætero ipse Pontifex nihil de talibus exigit in Bulla, nisi proprii resignationem, neque facit ullam quoad hos injungendæ pœnitentiæ mentionem. Crediderim juxta Innocentii III. Papæ mandatum anno 1203. editum de statu monachorum capitulo: *In singulis*, tempore Conradi Abbatis Capitulum Provinciale fuisse celebratum, & hujus jussu visitationem, in qua ejusmodi errores serò cogniti & emendari sint jussi.

(g) *Hist. Ensd. sub tit.* Mundi miraculum seu S. Otto &c. *fol. 396.* (h) *Chron. Benedictob. Vide Indicem art.* Oblaja.

§. VII.

Monachorum eruditio.

16. OMissis jam fatis tam tristibus amœniora videamus, & monachorum sub Conrado degentium eruditionem consideremus. Vixit sub eo Chronographus (Conradum Pozzonem existimo) qui Epitomen Chronicam ab anno prioris sæculi nonagesimo quinto usque ad vigesimum septimum sæculi currentis, adeóque septimum Conradi Abbatis perduxit. Leguntur in hac epitome pulcherrimo charactere scripta, quæ per Imperium Romanum gesta sunt. Stephanus Leopolder ea in antiquo Lectionum matutinarum volumine inventa descripsit.

17. Viri hujus diligentiam æmulatus eſt alius, qui Chronicon ab Anonymo primùm laudato ſcriptum continuavit usque ad annum 1279. adeóque per annos quinquaginta duos. De reliquo certum eſt, Pozzonem ſupra modum allaborâſſe, ut litterarum cultui exiſtimationem conciliaret, eúmque inter ſodales ſuos continuaret, ac propagaret. Hinc idem ipſe beatæ Diemodis memoriam renovavit, dum anniverſarium fundavit perpetuum, & quoniam ipſa tot voluminum ſcriptrix fuit, ut ſtimularet alios ad ejus imitationem, litteratis fratribus ſingulariter favit. Imò & clauſtro monialium, in quo litterata Diemodis vixerat, honorem peculiarem tribuit, dum fundavit veſperas in S. Michaëlis ſacello peragendas, quod proprium olim religioſæ Virginum Clauſuræ Oratorium fuiſſe, ex antiquis monumentis collegimus.

18. Verùm juvat jam ipſum Pozzonem audire, & inprimis quidem ſuper anniverſario in beatæ Diemodis memoriam peragendo, ſuis verbis ita loquentem: „ Cunctis fidelibus tam præſentibus, quam futuris. Qua„ liter ego Chunradus, cognomine Pozzo, humilis confrater S. Petri in „ Weſſinsbrunnen, Venerabili Abbate Chunrado Menchingen annuente, „ ac univerſo Collegio conſentiente, loci ſcilicet prætaxati, feudum quod„ dam in Rot, Grutenſi obligatum, pro tribus talentis, quæ mihi de „ præbenda mea debebantur, pro remedio animæ meæ, Eccleſiæ me„ moratæ redemi, ea videlicet conditione, & ſingulis annis in anni„ verſario beatæ Dimudis de proventibus præfati feudi, id eſt, octo ſo„ lidis, omnibus litteratis confratribus Deo ibidem militantibus hone„ ſta conſolatio impendatur, & ut in vigilia anniverſarii ejusdem in Ca„ pella S. Mariæ Virginis, ubi corpuſculum præmiſſæ Dimudis eſt hu„ matum, major Vigilia, & Miſſa defunctorum in mane cum univerſo „ Conventu ſolemniter celebretur. Adjiciendum quoque ſupradictis, „ quod nullus Abbatum ſeu Proviſorum de memorato feudo aliquam „ Steuram exigat.

19. Altera Conradi fundatio ad S. Michaëlis capellam pertinuit, in qua voluit pridie ejus feſti veſperas & matutinas à Conventu celebrari, & ipſo die publicam Miſſam ſolemniter haberi. Pro eo labore *conſolationem* fratribus conſtituit; oblationes verò factas Capellæ procuratori, ac celebratori addixit: additis horribilibus minis in violatores hujus ſuæ fundationis, adjectáque, uti ſuperiùs, cautione, nequa de feudo Piringenſi, unde ſolvendum anniverſarium, vel per Abbatem, vel per Procuratorem exactio fieret. Juverit audire ipſum fundationis inſtrumentum.

„ Con-

„ Contra oblivionis periculum Universitati fidelium innotescat, qu
„ liter ego Chunradus Pozzo, Confrater S. Petri in Wessinsbrunne
„ divino instinctu quoddam feodum in villa Piringen situm, Venerab
„ Abbate Chunrado annuente, totóque Conventu ejusdem Eccle
„ consentiente & favente, ob remedium animæ meæ pro tertio dimid
„ talento redemi, & cum eodem feodo Capellam S. Michaëlis dotav
„ eo videlicet tenore, ut annuatim in eadem Capella in Vigilia S. M
„ chaëlis ab universo Conventu vesperæ & matutinæ, & in die eju
„ dem solemniter publica Missa celebretur: & ut omnibus Confratrib
„ illic Deo militantibus in Vigilia S. Michaëlis honesta consolatio
„ prædicto feodo, quod singulis annis duodecim solidos reddit, annu
„ tim & perpetualiter impendatur: & ut quilibet præfatæ Capellæ pr
„ curator & celebrator omnes oblationes illuc delatas in usus suos co
„ servet. Siquis verò tam solemne factum imposterum ausu temerar
„ à præmissa Capella S. Michaëlis, qui est præpositus Paradisi, & Pri
„ ceps animarum, irritare, commutare, minorare, distrahere, aut ul
„ modo alienare conatus fuerit, semper sit expers à consortio sanct
„ rum Angelorum, & omnium civium supernorum, & perpetuo an
„ themate omnipotentis Dei & omnium sanctorum feriatur: deleat
„ nomen ejus de libro viventium, & cum justis non scribatur, & omnis or
„ tio ejus in peccatum convertatur, & in universali examine, & in tr
„ mendo die judicii cum sinistris in gehenna deputetur, & ibi sine fi
„ cum ministris Sathanæ æternaliter crucietur. Amen. Adjiciendu
„ quoque supradictis, quòd nullus Abbatum seu Provisorum de mem
„ rato feodo aliquam Steuram exigat.

20. Considera, quæso, quantum ea tempestate licuerit Religio privato, duarum simul Parochiarum administratori. (i) Verùm succ dentibus annis, sicut disciplina monastica in meliorem fuit redacta fo mam, & culta religiosiùs votorum observantia, ita ex iisi, quæ Con dus voluit, immutata sunt nonnulla: quæ hodie honestiùs commodiúsq fiunt in Ecclesia monasterii publica. Ex Capella S. Michaëlis paululù ingrediamur Parthenonem, paulò pòst inquilinis cariturum.

(i) *Conradum hunc Landsperga & Pyrga Parochum fuisse certum est. Num j monachus has Ecclesias diutius administrârit, non decerno. In antiquiss. Nec ad 7. Cal. Febr. annunciatur:* Chunradus Pozzo presb. & mon. n. c. plebanus ad Pirgen & Landsperg obiit.

§. VIII.

Status Clausuræ monialium.

21. DE hujus Clausuræ antiquitate Stephanus Leopolder sic scribit, ut ipsi virorum cœnobio coæva esse videatur; narratâ enim monasterii fundatione, Ilsungi in Capellam S. Mariæ introductione, post majoris Ecclesiæ erectionem viginti quinque monachorum per Landfridum aggregatione, ita prosequitur: *Eodem etiam tempore incepit Clausura sanctimonialium fœminarum in Capella S. Michaëlis sub tecto majoris Ecclesiæ S. Petri Apostoli.* Ut de tanta Clausuræ antiquitate fidem Stephano habeamus, nihil nos adducit, cùm ante Diemodem nulla uspiam monialium fiat mentio, nisi in Calendario Benedicti Abbatis, cuiquæ monacharum & conversarum nomina reperimus inscripta, posteriori primùm ævo inserta ex ipso veterum silentio meritò judicamus. Diximus in Walthone, cùm beata Diemodis multiplici scriptione, miráque simul vitæ innocentia cœpisset inclarescere, illius primùm vel exemplo adductas, vel S. Walthonis institutione introductas esse tum viduas tum puellas, donec in justum Parthenonem Virgineus cœtus coalesceret. Recitavimus jam sub eodem B. Abbate sanctimonialium ab ipso susceptarum nomina. Earum, quæ post illius obitum advenêre, hæc reperiuntur.

Anonyma de Mammendorff, Adalberti nobilis viri filia, pro qua Pater monasterio prædium Prandenbergense tradidit, Sigibaldo Abbate.

Gertrudis de Horpach, Wernardi & Berthæ nobilium parentum filia, Conradi & Udalrici soror, itidem à Sigibaldo in Clausuram admissa.

Irmengarda de Liechtenstein, cujus Mater nobilissima monasterio tradidit prædium, vineam, agros in Oberlannen.

Willebirga de Liechtenstein, Irmengardæ soror, cum eadem à Sigibaldo Abbate suscepta est.

Gerbirga de Vindingen, Domini Udalrici & Agnetis filia, Conradi soror, anno 1225. à Conrado hujus nominis secundo Abbate in Parthenonem fuit introducta.

22. Non

22. Non igitur satis attendit Stephanus Leopolder, dum ad annum 1181. adnotat tanquam rem memorabilem, quòd illo adhuc tempore floruerit Clausura monialium, putans postremum illud esse indicium superstitis Parthenônis, in quem tamen quadraginta & pluribus post annis recepta fuit Gerbirga, neque sanè extinctus fuisse videtur, quamdiu Conradus secundus gubernaculum tenuit. Post hujus verò resignationem, cùm in Bavaria turbarentur omnia, credo, etiam nostrum Parthenonem concidisse, sicut alios per Boicam complures, virorum monasteriis adjunctos. Causa extinctionis quorumdam, erat egestas virorum tam magna, ut duplici Congregationi alendæ non sufficerent facultates; quidam per incendia destructi leguntur: alii perierunt per Principum aviditatem, qui excedentium præfectarum bona sibi vendicârunt, neque alias magistras subrogari permiserunt. Quomodò noster interciderit, nullibi scriptum invenio. Divinare licet, domesticam egestatem, & publicam patriæ perturbationem fuisse in causa, quam paulò pòst supervenisse videbimus, ab ætate aurea atque argentea ad sæculum ferreum descensuri.

23. Alia Conradi Abbatis acta, cùm sint obscuriora, præterimus: uti mansum unum cum vineis prope Bolzanum, monasterio pro 27. marcis argenti comparatum: sicut controversiam super capella Bebengoviensi, inter Præpositos Rottenbuchensem & Staingadensem agitatam, cui testis interfuit Conradus Abbas noster jam grandævus & deposita dignitate. At omittere non possumus duos monachos alienigenas, qui aliunde, ùt videtur, huc delati & apud fontes nostros annis multis benemeriti justissimas laudes exigunt.

§. IX.

De Ludovico & Radkisio monachis.

1. NIhil est, quod certum de horum monachorum adventu statuamus: nomina Longobardicum aliquid sonare, & peregrinos advenisse, videtur innuere Ludovicus, dum in libro super Danielem à se descripto, & altero S. Hieronymi de Catholicis scriptoribus *sedibus externis*, & procul à patria hunc exarâsse fatetur: nisi hunc inclusum fuisse, & à cæteris monachis semotum vixisse subeat suspicari, quales Murichérodachus & Marianus Scotus Ratisbonæ fuerunt. Alio, vel eodem scribendi artificio valuisse Radkisium, credi potest, qui tamen nomen suum

nuspiam voluerit indicare. Ludovicus in carmine super Gratianum Longobardiæ hunc civem gratulatur: Radkisius cognominem habuit Longobardiæ regem, qui in Cassino monachum induit. Utriusque nomen veteri Calendario eodem die tertio Calendas Apriles post Diemodem inscriptum est hisce verbis: *Ludowicus & Radkis monachi nostra congregationis obierunt.* Hæc istorum cum Diemode in eumdem diem inscriptio æquale eorumdem meritum arguere possit. De Ludovico certi sumus, tum ipsius confessione, tum characteris similitudine, eum libris plurimis manu elegantissima descriptis Bibliothecam nostram locupletâsse, quorum dein Catalogum dabimus.

2. Nunc autem, ut mores quoque & ingenium hominis, quantum conjectando licet, aliquantùm noscamus, versus ab eodem pluribus voluminibus initio vel fine inscriptos recitabimus.

In Librum Josephi de Bello Judaico.

Judaicam Guerram, Gentes, Urbem, sacra, terram,
Fine simul tristi pro sanguine perdita Christi,
Josephus iste meus prior edidit auctor Hebræus.

Post intervallum.

Librum Judaici belli, manibus Ludewici
Scriptum, sancte Petre, summo tuearis ab æthre,
Hic labor & sit ei spes perpetuæ requiei.

In libros antiquitatum Josephi Judæi.

Josephus hic scribit, quod nunquam schema peribit,
Processus rerum, sex incrementa dierum,
Adæ peccatum, mundo genus exiliatum,
Indigenas arcæ, primi meritum Patriarchæ,
Vates & Reges, sacras ex ordine leges,
Quot scelerum nodis regnum se vinxit Herodis,
Dux cùm postremo superesset tempore nemo.

In libro super Danielem.

Ex hoc dum, lec } tor { bone, fructum codice carp } is.
Quis fuerit scrip }   { interdum, quæso, memor }
Pauper & exiguus huic nomen erat Ludeuuicus.
Sedibus externis hic librum, quem modò cernis,
Dum scripsit, frig } uit, { & quod cum lumine sol } is
Scribere non pot }   { perfecit lumine noct }
Sis DEUS istorum merces condigna laborum.

In fine libri Orosii.

Hic codex modici labor est manuum Ludeuuici,
Qui transscripsit } eum { quod tu, Lector bone, noscas,
Millifluúmque D }   { dare mercedem sibi poscas.
Sic faci } ens { Chri } ste { p } er { te sit gaud } ia { vi } tæ.
Scriptor hab }   { i }   { p }   { sæcula nesc }   { vie }

In fine libri S. Hieronymi de libero arbitrio.

Libri quis scriptor sit, sis memor ô bone Lector.
Orphanus & modicus transscripsit eum Ludeuuicus
Tempore mæroris, planctus, magnique doloris.
Causa fuit luctus pater in cineres resolutus.
Quod fecit, pensa, JESU, factúmque repensa.

In fine Libri Hieronymi de Catholicis Scriptoribus.

Librum quem cernis, frater scripsit Ludeuuicus
Sedibus externis, patriæ ceu fidus amicus:
Cujus sudores, DEUS, & per cuncta labores
Tu, pie, perpendas, & præmia digna rependas.
Gaudeat ergò sine tecum, Rex optime, fine.

In fine Libri Gennadii de viris illustribus.

Obsecro per Christum, qui librum perlegis istum,
Pauperis & modici reminiscaris Ludeuuici.

Liber præ manibus habitus calamum docet ejus.
Liber præ manibus habitus crimen tegat ejus.
Hoc exoretur, optetur, & obtineatur. Amen.

In fine Libri Gratiani.

Spe Ludewicus ego sub præcipua mihi dego:
Hæc qui exaravi scripta labore gravi.
Est meus iste labor, neque me sudasse gravabor:
Scripsi, quod deceat, floreat, & maneat.
Scripsi Scriptorem, juvat implevisse laborem;
Nam portum teneo, propitiante DEO.
Spero, quòd à Petro lever, ut Thabita, feretro,
Fructus ut ille meus sit sine fine DEUS.
Abluat à fæce decus hoc me Bibliothecæ:
hoc mihi post obitum non abeat meritum.

In eodem libro circa finem sequentes versus inveniuntur.

Sacra Patrum cura statuens Synodalia jura
Intulit Ecclesiæ semina Justitiæ.
Ne liceat gratis genus omne superfluitatis,
Et trahat exlegem vox aliena gregem.
Nam si personas quatuor ex ordine ponas
Judicis officium possidet arbitrium.
Stat Reus in causa, facit Actor & impetit ausa:
Testis promit ibi conscia signa sibi.
Unusquisque status ad se sibi continuatus
Jure jacente jacet, jure vigente placet.
Christi cura fori mundano sanxit honori:
Christus jura poli vult quasi sancta coli.
Mundanas leges voluerunt condere Reges:
Is certè gladius militat exteriùs.
Spirituale latus cingunt Decreta Papatûs:
Cœlesti lucro militat iste mucro.

Sedes

Sedes Romana, majestas Cæsariana,
Præcinit illa choro, præsidet ista foro.
Quidam legista duo summè noverat ista:
Cognita sincerè scripsit in hoc opere.
Hic velut è vivo miscet sapientia rivo
Inter utramque viam pandere justitiam.
Hic liber & veri decus est, & gloria Cleri,
Certa sub hoc titulo causa boni populo.
Fudit opes lætas hæc nostri temporis ætas:
Fudit opes hilares, quas tibi quisque pares.
Longobardia, polles hac Philosophia,
Tali perpetuo prædita cive tuo,
Qui scripsit primus, quod cuncti scire velimus,
Et propria tales repperit arte sales.

3. Ex his omnibus elucet Ludovici patientia, humilitas, pœnitentia, rigor vitæ, laboris amor, timor divini judicii, spes & aviditas beatæ æternitatis. Dolendum est, hujus viri, tam egregiè de monasterio nostro meriti nullam superesse præter libros memoriam; nam sicut Beatæ Judithæ apud nos sepultæ, ita & Ludovici hujus tumulum nescimus. Quantum ad ipsius poësin attinet, numerandus est ille inter illustriores ejus ævi poëtas, quo ars maxima in versibus Leoninis esse existimabatur: & quamvis metri necessitas versum quandoque sensui parere coactum, efficeret duriorem, compensat duritiem labor, & dura lex sibi sponte imposita, in uno disticho duos, imò & quatuor rhythmos cudendi, ut patet in illis ad librum Danielis & Orosii superiùs recitatis. Demum qualemcunque prosodiæ neglectum facilè compensant versuum multorum suavitas, rhythmi facilitas, & emicantes ingenii scintillæ. Vixit Ludovicus sub Sigibaldo & Alberto Abbatibus, in aliquot etiam Conradi II. annos, illóque tempore, quo miraculosum Sacramentum, cruenta nimirum sanctissima Hostia Augustæ Vindelicorum anno 1199. innumeros cultores & admiratores traxit, quam in rem sequentes versus, à Ludovico compositos, invenimus.

Collige, munda fides, Dominus quod contulit orbi,
Quæ modò facta vides nostri medicamina morbi.
Carne tulit carnis culpam miseratio Christi:
Plaude, typum carnis quæ cernere digna fuisti.
Panis, in altari quem scimus mystificari,
Ecce cruentatus cum sanguine carnificatus
Cernitur obscurâ, rarâ, timidâque figurâ.
Quem sumendo, domo tractamus spirituali,
Hic Deus est & homo, clausus re materiali.

4. Nunc indefessos & admiratione dignos Ludovici labores consideremus, volumina nempe, undique conquisita, quæ elegantissima manu descripsit, iisque omnes ferè Facultates illustravit. Catalogum eorum Stephanus Leopolder concinnavit, & ad posteros transmisit, quem recitamus.

Index Bibliothecæ Ludovici monachi,
Præter libros jam supra memoratos:

1. Liber Regum. 2. Agiographa: un. volum. 3. Isidorus in Pentateuchum. 4. Canones Ivonis un. vol. 5. Homiliæ XX. & liber Prophetarum. 6. Glossa Psalterii. 7. Testimonia de veteri Testamento. 8. Passiones Apostolorum. 9. Passionarium. 10. Epistolæ Apostolorum. 11. Actus Apostolorum. 12. Pastoralis cura. 13. Regula solitariorum. 14. Romanus Ordo. 15. Pænitentiale. 16. Dialogi duo, vetus & novus. 17. Missale Snellonis. 18. Homiliarii duo hyemales, & duo æstivales. 19. Synonyma Isidori. 20. Missale unum. 21. Lectionarius unus. 22. Gradualia quatuor, & quartum cum sequentiis. 23. Sequentiarii tres. 24. Officiale unum. 25. Antiphonarii duo. 26. Hymnarii tres. 27. Sanctorum vita cum Homiliis un. vol. 28. Psalteria duo & tertium cum hymnis. 29. Regula monachorum. 30. Vita sancti Martini & Briccii Episcoporum cum versibus cellularum & Ecclesiæ nostræ. 31. Prudentii opus hymnorum. 32. Glossæ tres super vetus & novum testamentum. 33. Medicinalia duo. 34. Jus Noricorum. 35. Chronica. 36. Priscianus major, & minor. 37. Donati tres. 38. Donatus major & minor cum commento Remigii. 39. Commentum Remigii. 40. Isagoge Porphyrii cum commentario Boëthii majore & minore. 41. Categoria Aristotelis un. vol. 42. Persius duo vol. 43. Horatius. Statius. Terentius. duo vol.

vol. 44. Juvenalis. Alcimus. Maximianus. 45. Homeri duo vol. 46. Virgilii duo in quatuor divisi volumina. 47. Macrobius. Juvencus. Commentum super Statium. 48. Aratores. duo volum. 49. Prosperi tria vol. 50. Sedulii duo vol. Salustii duo vol. 51. Catilinarius un. vol. 52. Phychomachia duo libri. 53. Aviani duo. 54. Cato. Boëthius. duo volumina. 55. Servius super Virgilium. 56. Tonarius. 57. Declinationum volumen. 57. Tullius. Marcianus. Albeinus.

5. Non est opus, ut singulos libros, quorum Authores non cuilibet noti sunt, notis illustremus; facilè enim eruditi vident, Christianos gentilibus mistos, horúmque labores illorum studio elucidatos. Magna porrò pars hujus Bibliothecæ interiit ex causis alibi deploratis: raró enim ad fontem redeunt, ex quo mutuata sunt, & sæpè unde magnæ deberentur gratiæ, damna & injuriæ colliguntur: nec facilè eam tibi spondeas fidem, quam Gronovii præstiterunt Bibliothecæ aulæ Salisburgensis; hi enim poëmata Papinii Statii MSSta ex eadem nacti, cùm Authorem hunc egregiis notis illustrâssent, & emendâssent, fideliter restituerunt, ut ipse vidi, eóque codice usus sum: utinam eandem fidem cives civibus servarent, quam hi Batavi externo Principi! heterodoxi Catholico! Interim in benedictione manet Ludovici memoria, eámque posteris commendamus, verè etenim,

Cujus scripta manu tot clara volumina cernis,
Ipse unus multis Bibliotheca fuit. (k)

(k) *Cl. Pezius Tom. 1. Anecdot. in Dissertatione Isagogica fol. XIX. num. XXXVI. hunc Ludovicum laudat, recitatis etiam quibusdam carminibus, quæ inter cætera primum dedimus. Primas tamen in arte scribendi tribuit Diemodi, de qua nos jam dudum sub Waltbone diximus.*


§. X.

Conradus Abbas dignitati suæ renunciat.

6. Utcumque turbulenta tunc essent tempora, non ita tamen turbare poterant Conradi Abbatis animum, quin complura monasterio sibi commisso emolumenta procuraret, uti ex hactenus narratis est

est intellectum. Postremus aries piissimam illius mentem fregit, non certè fracturus, quæcunque fata flagellarent exteriores fortunas, nisi de cultu divino, & religionis splendore fuisset actum. Totius tempestatis author erat Albertus Bohemus, Archidiaconus Passaviensis. Is à Gregorio Nono constitutus commissarius Bullam Româ secum attulerat, qua Friderici II. Imperatoris excommunicatio & exauthoratio continebatur. Eam ipse magno ardore, inflammatóque studio ad Bavariæ Episcopos deportavit, iisque præfervidè obtrusit, publicè per Diœceses suas promulgandam. Verùm hi, nimiam adhuc Friderici potentiam formidantes recusârunt, alii humaniùs, alii quàm par erat acerbiùs, periculosam sibi & Ecclesiis suis promulgationem: hortati Albertum, exequeretur & vulgaret ipse, quæ sibi à Pontifice essent demandata. Albertus iratus totam Bavariam interdicto subjecit, ortáque est inde tristissima suspensio divinorum. Augustanam etiam diœcesin hæc tempestas invasit, Episcopo ipso gravissimè per imperiosam Alberti potentiam offenso. Atque duravit obstinatum in templis silentium per integros tres annos.

7. Conradus Abbas malo tam pertinaci, quod maximè in Ecclesiarum capita incumbebat, ferendo diutiùs imparem se fassus, ultro, nemine cogente, nisi sola temporum acerbitate & afflictæ religionis re, anno hujus sæculi quadragesimo tertio dignitati suæ renuntiav que religiosæ quieti dedit, postquam monasterio per annos vigi utilissimè præfuisset. Inde in solitudine sua viginti ac plures ann pervixit, & grandævus jam senex in secundum judicium super Bebingensi capella celebratum vocatus testimonium pro Rottenbuchensibus tulit. Solari tamen senectutem suam potuit tot emolumentis monasterio nostro à se procuratis: obtenta videlicet Rottensis Parochiæ incorporatione, Pontificiâ omnium possessionum confirmatione, & contra invasores defensione; Cæsarea quoque prædiorum donatione, & plurium Nobilium liberalitate cumulatis cœnobii facultatibus; exculto litterarum studio, aucto Parthenone, cultu denique divino novis anniversariis propagato.



CAPUT VII.

Walchunus Abbas XXI.

§. I.

Walchuni electio.

1. EOdem anno, quo Conradus dignitate se abdicârat, nolentes diu sine pastore vivere Patres in concilium convenêre, & Walchunum nostræ Congregationis monachum ac presbyterum in Abbatem elegêre. Quo genere ortus sit, à Stephano non indicatur. Liceat fortè suspicari eundem hunc Walchunum esse, qui cum Hartnido germano Hartmanni fratris apud nos sepulti exequiis interfuit. Erant isti Nobiles de Stainbach. Verùm quidquid de genere contendatur, satis gloriosum est, Walchunum in illa temporum acerbitate, propter quam decessor Conradus dignitatis onus excusserat, excussum suis humeris excepisse, neque paucis commodis monasterium cumulâsse. Walchuni laudabiles pro cœnobii incremento labores produnt favores Pontificii ab ipso impetrati.

§. II.

Favores Pontificii.

2. FRiderico Imperatore Italiam, Romámque ipsam miseris modis infestante ac perturbante Innocentius IV. Pontifex in Galliam se recepit, ac Lugduni Concilium indixit. Cùm non minoribus turbis Germania nostra, ac præsertim Bavaria, vexaretur, sacráque ac profana susdeque agerentur, fuit ea quorumdam insolentia, ut in monasterii nostri quoque bona ac facultates injicere rapaces manus auderent. Quare Walchunus Abbas commissi sibi cœnobii indemnitati consulturus, quod Româ obtinere per bellorum turbinem non potuit, Concilii Lugdunensis occasione præsidium rebus suis quæsivit, & invenit. Inclinatus enim

 ejus-

ejusdem precibus Innocentius Papa in ipso Concilio Bullam edidit, ad Præpositos Rottenbuchensem & Pollinganum expeditam, qua jubet ipsos abrepta per infestos homines bona monasterio denuò vendicare. Diploma Pontificium, cui similia jam supra recitavimus, datum est *Lugduni quinto Idus Aprilis, Pontificatus Innocentii* IV. *anno quinto.* Christi circiter 1248.

3. Idem Pontifex, sublato è vivis Cæsare Friderico securitatem quampiam nactus, cùm in Italiam revertisset, atque Assisii aliquamdiu moraretur, itidem à Walchuno interpellatus litteras dedit Apostolicas ad Decanum & Thesaurarium Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ, quibus jurium nostrorum ab Hermanno milite de Haginberg aliisque violatorum defensionem imperat. Erat tunc Decanus Sifridus Schenckh de Winterstetten, quo tempore in Collegio Canonicorum vixisse reperitur Hermannus de Hegneberg: ex cujus familia, quæ hodie comitum titulo gloriatur, cùm Hermannus miles fuerit, ac fortasse Canonici memorati pater, meritò Decanum Ecclesiæ Cathedralis jurium vindicem sibi constitui Walchunus optavit: arbitratus nimirum, in filii gratiam ac Decani reverentiam infestatorem faciliùs ab insolentia cessaturum. Bullam Pontificiam recitare superfluum est, cùm exceptis nominibus ab aliis similibus nihil differat. Mandatum hoc datum fuit *Assisii quinto Idus Septembris, Pontificatûs nostri anno undecimo.*

4. Donaverat Otto Dux monasterio nostro Jus Patronatûs Ecclesiarum Weilheim & Wielenpach in compensationem damnorum à se nobis illatorum. Donationem hanc eodem, quo facta est anno, confirmaverat Sigibotto Episcopus Augustanus. Cùm dein post annos novem Otto Dux extremum clausisset diem, & Sigibotto Episcopus rerum humanarum tædio dignitati renuntiâsset, (a) factus Cæsaréæ monachus Cisterciensis, Walchunus novam ab ipsa sede Apostolica confirmationem petiit: qua nondum contentus insuper impetravit à Pontifice, ut is peculiari Bullâ Præpositum etiam Augustanum Rabottonem constitueret, qui jus nostrum contra quoscunque adversarios inviolatum tueretur. Utraque Innocentii Pontificis Bulla data est Anagniæ, quæ Campaniæ Romanæ civitas est, eodem anno ac die.

Bulla

Bulla prima,

Qua Pontifex donationem Ottonis confirmat.

INnocentius Episcopus servus servorum DEI. Dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii de Wessinsbrunnen, Ordinis S. Benedicti, Augustana Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis, dignum est, nos facilem præbere consensum, vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente. Oblata siquidem nobis vestra petitio continebat, quòd quondam Otto Dux Bavariæ, sano usus consilio, in recompensationem damnorum vestro Monasterio irrogatorum, Jus Patronatûs, quod in Wilheim & Wilenpach obtinebat, vobis liberaliter contulit, Diœcesani loci & sui Capituli interveniente consensu, prout in litteris inde confectis dicitur pleniùs contineri. Vestris itaque supplicationibus inclinati, Collationem hujusmodi, sicut piè ac providè, ac sine alieni juris præjudicio facta est, ratam habentes & gratam, ipsam authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Anagniæ sexto Calendas Octobris, Pontificatûs nostri anno duodecimo.

Bulla secunda,

Qua idem Pontifex confirmationem suam prædictarum Ecclesiarum Præposito Augustano insinuat, eidémque juris nostri defensionem commendat.

INnocentius Episcopus servus servorum DEI. Dilecto filio Præposito Ecclesiæ Augustanæ salutem & Apostolicam benedictionem. Oblata nobis petitio dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs Monasterii de Wessinsbrunnen, Ordinis S. Benedicti, Augustanæ Diœcesis continebat, quòd quondam Otto Dux Bavariæ, sano usus consilio in recompensationem damnorum, quæ ipsorum Monasterio irrogârat, Jus Patronatûs, quod in Wilheim & Wilenbach Ecclesiis Augustanæ Diœcesis obtinebat, eis liberaliter contulit, Diœcesani loci & sui Capituli interveniente consensu, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri. Nos itaque ipsorum supplicationibus inclinati, collationem hujusmodi, sicut piè ac providè, ac sine alieni juris præjudicio facta est, ratam habentes & gratam, ipsam per nostras litteras duximus confirmandam.

Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictos Abbatem & Conventum, non permittas super his contra confirmationis nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Anagniæ sexto Calendas Octobris, Pontificatûs nostri anno duodecimo.

(a) *Hier. Aug. P. I. Cath. f. 240. num. 21.*

§. III.

Favores Principum.

5. INauspicatus fuit familiæ Cæsaris annus hujus sæculi quadragesimus sextus. Nam excommunicato & exauthorato Friderico Imperatori suffectus erat ab Electoribus quibusdam, licèt invitus, Henricus Raspo Thuringiæ & Hassiæ Landgravius. Contra eum Francofurti Comitia agentem, cùm Fridericus pater in Italiam properaret, Conradus Cæsaris filius exercitum movit: verùm magna cum clade profligatus (b) ex acie, festinavit profugus in Bavariam ad Ottonem Ducem, apud quem, Friderici partibus pertinaciter adhærentem, refecit aliquantisper vires. Unde non mirum est, omnia Ottonem obtinere à Conrado potuisse, cùm præsertim eodem anno filiam ille suam Regi in sponsam dedisset. Primo igitur Conradi adventu Augustæ Vindelicorum, quò Dux Otto fugienti Regi processerat obvius, ab eodem obtinuit in Monasterii nostri emolumentum, ut confirmaret nobis Authoritate regia Jus in Ecclesiam Landspergensem à Duce concessum. Diploma Regis est hujusmodi:

Conradus Divi Augusti Imperatoris Friderici filius, Dei gratiâ Romanorum in Regem electus, semper Augustus, & Heres regni Jerusalem, tenore præsentium notum facimus universis, Nos ad preces Ottonis Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, dilecti Principis & Soceri nostri collationem factam per eum Monasterio S. Petri in Wessinsbrunnen de Ecclesia (c) in Phetine, pro reverentia JEsu Christi, ratam & firmam perpetuò habituros. Unde ad futuram memoriam & stabilem firmitatem, præsens scriptum inde fieri, & sigillo nostræ Celsitudinis jussimus communiri. Datum apud Augustam, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo quadragesimo sexto, Mense Septembris, quinta Indictione.

6. Præter Landspergensis Parochiæ confirmationem à genero suo Conrado Rege nobis impetratam, favorem Monasterio ampliorem exhibuit

buit Otto Dux, dum Weilheimensem & Wielenbachensem Ecclesias contulit pio inductus argumento, ut pro damnis à se per tot bellorum turbines illatis satisfaceret. Et profectò fuêre tanta, ut Walchuni decessor Conradus Abbas magnitudine afflictionis victus Antistitis munere se abdicârit. Audiamus Diploma, cui Stephanus Leopolder hunc titulum rubricatum præfigit:

Privilegium Donationis Ecclesiarum in Weilhaim & Wielenbach, Ottonis Ducis Bavariæ.

OTTO Dei gratiâ Palatinus Comes Rheni, Dux Bavariæ, Universis præsentem Litteram inspecturis constare volumus, quòd nos recognitis variis damnis, Ecclesiæ in Wessinsbrunnen per nos illatis, ad recompensationem eorundem Ecclesias in Weilhaim & Wielenbach, nobis vacantes, prædicto cœnobio contulimus, perpetuò possidendas. Ne igitur hujus donationis norma in posterum ab aliquo infirmari, vel retractari possit, præsentem paginam conscribi fecimus, & sigillo nostro communiri. Datum München Calendis Augusti, Anno Domini Millesimo Ducentesimo quadragesimo quarto, secunda indictione.

7. Porrò Concessionis hujus exemplum ipse Dux Otto ad Sibottonem Episcopum Augustanum misit cum supplicibus litteris, quibus confirmationem utriusque Ecclesiæ pro Monasterio petiit. Itaque Sibotto Episcopus religiosissimus, ac præcipuè Sacri Ordinis nostri studiosissimus, non tantùm Ducis voto annuit, sed nostrum quoque Monasterium eximiis ornavit encomiis, sicut sequentes litteræ testantur, quas recitare pretium operæ fuerit non exiguum.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.

SIbotto Dei gratiâ Augustensis Ecclesiæ Episcopus, omnibus litteræ præsentis inspectoribus salutem in Christo JESU. Notificamus vobis, quòd, cùm quondam Jus Patronatûs Ecclesiarum in Weilhaim & Wielenpach pertinuisset ad Dominum Ottonem, Illustrem Comitem Palatinum Rheni, & Ducem Bavariæ, eædémque vacare cœpissent, ipse respiciens gravia damna, quæ ab eo & suis æmulis Claustro in Wessinsbrunn multoties fuerant illata, in horum recompensationem, & pro anima ipsius remedio, Ecclesias ipsas pleno jure, ad ipsum in eis pertinente, donavit Claustro, & Conventui prædicto. Litteras quoque suas super his, nobis & toti Capitulo nostro transmisit, devotissimè supplicans, ut & nos ipsas Ecclesias cum suis proventibus donaremus ad usus prædictorum Fratrum, Abbati & Conventui perpetuò servituras. Nos verò

habito consilio Fratrum nostrorum, & cum ipsis respicientes honestatem loci, & cultum sacræ Religionis, & continuæ hospitalitatis, & vera totius charitatis opera, quæ ibidem semper claruerunt, Ecclesias prædictas cum omnibus suis usufructibus pleno jure suo donavimus de voluntate & consensu totius Capituli nostri, supradictis Abbati & Conventui perpetuò servituras: hoc adjuncto & interposito, ut perpetuus ibidem Vicarius instituatur, cui de consilio & secundùm considerationem Archidiaconi loci, & aliorum, quos ad hoc deputavimus, præbenda competens secundùm quantitatem usufructuum deputetur & statuatur in posterum solvenda, cui & in ipsis cura committatur animarum; salvo in eisdem jure Diœcesani & Archidiaconi loci. Ut autem hæc donatio nostra, de consilio Capituli nostri habita, tam per nos, quàm Successores nostros rata semper habeatur, & observetur inconvulsa, litteram præsentem in testimonium horum Abbati & Conventui prædicto contulimus, Nostro & Capituli nostri Sigillo communitam. Datum Augustæ anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, quinto Calendas Septembris, Indictione secunda.

8. Tam benevolam confirmationem dedit Sibotto, prudentibus haud dubiè argumentis inductus; tum, quòd præstita Ecclesiis beneficia non repudianda censeret, utpote ad divini honoris augmentum profectura, à quo & qualicunque illa fuissent collata: tum quòd vel sola hac sua obsequendi promptitudine speraret ad Ecclesiæ partes retrahi Ottonem posse, à quibus haud ita pridem recesserat, Albertum Bohemum deserendo (†) idque Episcoporum suasu: licet his saniora dein sentientibus consentire noluerit, sed firmiter statuerit Cæsari adhærere: tum, quòd ipse Dux propriæ potiùs securitatis ac servandarum ditionum causâ jungeretur Augustis, quàm odio summæ sedis: tum, quòd nondum palam Apostolicis diris Otto vapulâsset.

9. Interim tamen, quo fulmine Fridericus Cæsar afflatus fuerat, eodem post triennium (d) Dux etiam noster correptus fuit, & palam excommunicatus. Bojariæ simul usu sacrorum per septennium est interdictum: & non modò templa mœror publicus occupavit, sed etiam Sacerdotes multi variis ab Ottone vexati malis, Pontificiæ sententiæ rigorem tulerunt. Nondum sublato sacrorum silentio Dux repente decessit è vivis, nullis ad æternitatem Christianis armis munitus. Tumulum accepit Schyræ, communi majorum suorum Mausolæo. Decimo post anno litem illi Clemens Pontifex de sepulcro movit, jussis Frisingensi & Ratisbonensi Episcopis inquirere, num in extremis quædam pœnitentis animi signa prodidisset. Si nullum aliud, saltem hoc repererunt, quòd nuper sancti Spiritûs domum hospitalem pietatis & misericordiæ studio Monachii excitâsset. (d) Addi potuissent & ista, licèt longinquiora tum loco, tum

tum tempore, quæ Monasterio Wessofontano præstitit donatæ nobis, atque ad Ottonis preces Episcopali authoritate roboratæ Ecclesiæ in Weilheim, & Wielenbach: nec minùs obtenta per Ottonem à Rege confirmatio Ecclesiæ Landspergensis. (e) Quare Agnetis uxoris ejus, & posterorum honori concessum, urna defuncti ne loco moveretur, ejúsque manibus ne à quopiam insultaretur.

(b) *Pugnatum fuit 4. Aug. vid. Adelzreitter P. I. lib. 24. c. 8.* (c) *Ludwigisperge, Phetine, Landsperg, ejusdem civitatis nomina.* (†) *Adelzreitt. ad ann. 1240. & 41.* (d) *Idem Adelzr. P. I. lib. 24. c. 13.* (e) *Idem ibidem.*

§. IV.

Alia in Monasterii commodum Walchuni gesta.

10. Cùm per Bavariam in usu esset quædam mancipatûs species, ut ex unius Domini territorio nemini transire, ne quidem nuptiarum causâ, ad alterius ditionem liceret, inventæ sunt litteræ divisoriæ, quibus concedebatur quidem vel viro vel fœminæ ad alterius juris locum transmigratio, sed ita cavebatur, ut liberi transeuntium dividerentur, manerétque dimidium unum posterioris Domini juri subjectum, alterum prioris imperio manciparetur. Hujus rei primum in Chronicis nostris exemplum invenitur sub Abbate Walchuno, & plura posterioribus sæculis occurrent. Rottenbuchii, ubi gesta sunt hæc, quæ narrare aggredior, hospitem tunc fuisse Abbatem Walchunum arbitror, cùm eundem in locum venit Ulricus Nobilis de Schuwenberg, vir potens, ac fortasse vicinæ cujusdam arcis Dominus. Is in familia sua inter subditos cæteros habebat Adelhaidam, quam ex Vasallis vel Feudatariis nostris quidam, Eck nominatus, ambiebat uxorem, sed ducere fas non erat, cùm illa juris esset alieni, & liberi Domino suo deberentur. Conventum est igitur inter Walchunum Abbatem, & Ulricum Nobilem ea conditione, liceret Eckio ducere Adelhaidam ita, ut liberi ab ipsis postmodum procreati ad utrumque spectarent Dominum, dimidia nempe pars ad Ecclesiam Wessofontanam, altera ad Schuwenbergium. Acta sunt hæc solemniter in Ecclesia Rottenbuchensi, toto illius Capitulo testium partes suscipiente. Aderant præterea testes laici, Fridericus Kezelring, & Hartnidus, uterque miles: aderat Henricus pater Adelhaidæ, Vulringus & Henricus ejusdem puellæ fratres. Omnes in contractum istum divisorium consenserunt, eundémque sigillo Domini Udalrici de Spilberg obmuniri fecerunt

Sigil-

Sigillum istud à Stephano nostro exhibitum trigôni figuram habet, cum tribus lunis bicornibus. Limbis trigoni inscripta sunt hæc verba: *Sigillum Domini Udalrici de Spilberg.* Ejusmodi contractus deinceps breviùs narrabuntur. Prædium Eckense hodiedum in Foresto territorii nostri est, ejusdémque possessorem deinceps legemus Ottonem ab Ecke virum nobilem & proprio sigillo utentem, quod tres rhombos nigros in campo albo exhibet: quali hodie liberi Barones Ecker utuntur. De familia Schowenbergiorum hodie emortua agit Hundius (f) cui inserendus est Udalricus iste, Adelhaidis Dominus.

11. Otto de Windach dudum sibi suísque in Monasterio nostro Ecclesiasticam elegerat sepulturam. Anno sæculi hujus quinquagesimo tertio mortuus est ei filius unicus, Conradus nomine, quem protinus apud nos solemnibus exequiis terræ mandavit. Instrumentum, quo sibi, uxori, filio pactus est sepulcrum, Stephanus noster descripsit, undequaque vehementer vel ætatis injuriâ, vel malevolorum fraude corruptum; mutilum enim est; mansus tamen, seu prædium quoddam Mülhusanum disertè Monasterio datum exprimitur pro familiæ sepultura & perpetuo anniversario, additis aliis pactis, qualia superiùs ab Udalrico de Vindingen præscripta narravimus. Verùm hæc nunc compendio relata sufficiant, cùm ejusmodi sepulturæ apud nos jam dudum cessaverint.

(f) *Anno 1244. Codex D. fol. 148.*

§. V.

Cultus Dei à Walchuno promotus.

12. POstquam Otto Bavariæ Dux, cognomento Illustris, è vita discessit, biennio pôst, anno nimirum sæculi Christiani quinquagesimo quinto, sublatum est interdictum, sub quo maxima Bavariæ pars per integros septem annos & ultra ingemiscebat. Maxima, inquam, Bavariæ pars tam diuturnum patiebatur publicæ Religionis silentium, non tamen tota Bavaria. Unde Stephanus noster scribit, annis tribus durâsse interdictum, nimirum usque in annum hujus sæculi quinquagesimum: postea verò, in Diœcesi saltem Augustana, sublatum esse convincitur, quadriennio citiùs, quàm alibi solveretur. Non enim Interdicto durante consecrantur ab Episcopis altaria: non à Pontifice templa interdicta defenduntur: non collatæ Monasteriis Parochiæ summa sedis Apostolicæ authoritate roborantur: non aliis vindicandæ tuendæque commendantur;

sed in squalore suo relinquuntur omnia in pœnam populi, vel Principum, quorum ditioni subjecta sunt. Jam verò anno quinquagesimo secundo Innocentius Papa Monasterium nostrum commendavit Decano & Thesaurario Augustanis contra militis de Hagniberg injurias defendendum: anno sequente confirmavit idem Papa donationem Ecclesiarum Weilheim & Wielenbach: eodem anno earumdem defensionem aliâ Bullâ commendavit Præposito Augustano. Eodem anno à Sibottone Episcopo religiosissimo consecrata sunt in templo Monasterii nostri quinque altaria. Quæ cùm ita sint, necesse est, jam antea sublatum apud nos fuisse interdictum, conciliatámque nostram Ecclesiam. De Bullarum à Pontifice concessarum certitudine dubitari non potest, cùm præ oculis & in manibus sint. Minùs de certitudine consecrationis altarium, cujus monumentum à Stephano ex vetusto descriptum Autographo fuisse, convincitur ex accurato consensu anni & indictionis. In eo solo difficultas esse potest, quòd Sibotto jam anno priore, nimirum quinquagesimo secundo, Episcopatûs dignitate se abdicârit; verùm non potuit se abdicare etiam Ordine Episcopali. Münsterus & Gasserus ajunt, eum post resignationem in Palæstinam fuisse profectum. Demus autem hos errâsse, ut Author Hierarchiæ Augustanæ contendit; facilè tamen, donec gesti Episcopatûs rationes componeret, déque aliis rebus suis, antequam Cæsaream se reciperet, ritè disponeret, transire annus potuit, quo tempore spatium nancisceretur, non invito Hartmanno successore, altaria nostra consecrandi.

13. Audiamus nunc ipsum Consecrationis autographum, quod antiquo more in Ecclesiis ad perpetuam memoriam servari solet, à Stephano nostro diligenter descriptum: *Anno millesimo ducentesimo, quinquagesimo tertio, Indictione undecima, undecimo Calendas Julii consecrata sunt altaria S. Mariæ Magdalenæ, & S. Benedicti Abbatis, ac S. Crucis, à Venerabili Sibottone Episcopo Augustensi. Idem Episcopus sequenti die, decimo Calendas Julii consecravit altaria sanctarum Catharinæ & Margaretæ Virginum & Martyrum.* Facta est ergo consecratio die vigesima prima & secunda Junii: datæ item duæ Bullæ posteriores vigesima sextâ Septembris, cùm etiamnum viveret Otto Dux, qui eodem anno, nocte decimum & undecimum Novembris intercedente diem ultimam clausit. Nihil ergo præjudicii nobis attulit, quòd ab excommunicato vel schismatico Parochias obtinuerimus, quas Pontifex ipse, non ignarus utique, quis esset Otto, nobis tamen adeo fortiter confirmavit, tam efficaciter earum defensionem Præposito Augustano commendavit.

14. De altaribus operæ pretium est indagare, quænam eorum hodie memoriæ supersint. Altare S. Magdalenæ à patrum memoria nullum

amplius fuisse existimo, donec anno post millesimum septingentesimum vigesimo quinto Abbas Thassilo novum istud ac elegans, quod hodie videmus, construeret in honorem istius sanctæ, quam singularem Patronam tenerrima devotione colebat. S. Benedicti altare sæculo decimo quinto & sexto erat in capella propria ejusdem Divi Patriarchæ, in qua etiam Abbates, inde à Walchuno, sepeliri consueverant, tanquam Mausolæo huic dignitati proprio. Hodie ibidem sacrarium est. Nova verò & magnifica capella sancto Benedicto primùm ab eodem Thassilone Abbate cum splendido altari condita est, in qua & tumulum elegit. S. Crucis altare non aliud fuisse credo, quam hodiernum in medio Ecclesiæ sinu, S. Walthonis exuviis superpositum. Sanctarum Catharinæ & Margaritæ, si singulæ singula habuerunt, altare hodie nullum est: sub Paulo tamen secundo ejus nominis Abbate erectum fuit altare sanctorum quatuordecim Auxiliatorum, inter quos hodiedum sanctarum illarum Virginum & Martyrum imagines visuntur.

15. Cæterùm Walchuno non exiquæ laudi cedit tam insignis divinæ gloriæ & Religionis zelus. Vix conciliatum fuerat, & honori suo restitutum ex longo squalore templum, non contentus ille pristinum ornatum suscitâsse, manus admovit & curas, ut ornatissimum illud populo visendum redderet. Sumptibus non modicis stetisse, credibile est, quinque altaria partim recens excitata, partim ampliori splendore decorata. Verùm nec minori solatio fuit cum majestate templi resuscitatam videre populi pietatem, & communem lætitiam. Non potuit Walchunus cæteris, quæ præclara fecit, operibus suis meliorem coronidem dare. Laborum tandem fessus Præsulatu se abdicavit anno 1254. cùm præfuisset annos XI. Obiit deinde XV. Calendas Martias, quo die inscriptus reperitur veteri Calendario: *Walchunus Abbas & Monachus nostræ congregationis.* Certè vir fuit Walchunus per omnia generosus, ad quævis agenda & perferenda intrepidus, vigil atque industrius in propagandis conservandísque Monasterii facultatibus, cautus in declinandis Apostolicæ Sedis fulminibus, sagax in retinendo Episcopi favore, disciplinæ monasticæ pro viribus sustinendæ, & bonæ famæ studiosus, Ecclesiastici splendoris & publicæ Religionis restaurator eximius, cœnobio maximè utilis, ac omni laude dignus.

SÆCU-



SÆCULUM SEXTUM
WESSOFONTANUM,

Ab anno 1253. ad annum 1353.

CAPUT I.

De Abbatibus Ottone, Udalrico II. Conrado III. Wernhero I.

§. I.

Otto Abbas XXII.

1. NE mirere, lector, si breviori deinceps stylo nos uti conspexeris: *nempe tempora mutantur, & nos mutamur in illis.* Eandem rerum conversionem fontibus etiam nostris supervenisse existima. Sicut unius diei tempora sæpè sibi dissimillima, ita fata monasterii nostri. Animadvertes ex ipsa Chronicorum nostrorum taciturnitate indicium noctis cujusdam, quæ profectò ea tempestate nobis profunda incubuit, cùm Otto iste, pluresque ejus successores pro eo, ut vigilias agerent super gregem suum, dormirent, aut certè dormitarent. Fuerat jucunda nobis aurora, rorem cœli, sacros nempe fontes, monstrante Wessone, illósque sanguine suo ac sociorum purpurante Thientone. Erat serenus splendidúsque meridies, Walthone, Nortberto, Sigibaldo Abbatibus, quin & viduis ac virginibus, virtutum suarum ac sapientiæ radios longè latéque diffundentibus. Erat umbrosus vesper, cùm Abbates nostri ad Walchunum usque cæteri varios pati turbines cogerentur bellorum ac schismatum, atque ita res Wessofontanæ ad occasum inclinari viderentur. Nunc denique densa tristísque nox imminet, ostendens nobis stellas vagas, errantes, nebulosas, sic tamen, ut quandoque dubius inter nubes lunæ splendor affulgeat. Hanc igitur no-

ctem mecum, lector, ingredere, neque cohorresce, certò in lucem denuò emersurus.

2. Otto successit Walchuno, Abbas vigesimus secundus anno millesimo ducentesimo, quinquagesimo quarto ex conventu nostro electus, & præfuit sex annis. De ejus actis nec opus sex dierum invenimus. Neque qui genus, unde domo fuerit, nullibi proditum: neque nomen ejus antiquo necrologio inscriptum legitur. Hoc unum de eo Stephanus testatur, quòd obierit quinto nonas Martii, tertia nimirum mensis illius die, quó apud nos celebrabatur *Dedicatio capellarum S. Mariæ Virginis in honore ipsius Assumptionis, & S. Michaëlis, & S. Benedicti Confessoris*: sicut Calendario Benedicti Abbatis inscriptum invenitur.

§. II.

Udalricus II. Abb. XXIII.

3. NOndum Ottonem tumulo illatum fuisse credo, cùm monachi nostri alium de conventu in Abbatem elegerunt. Udalricus is fuit eo nomine secundus, inter Antistites Wessofontanos vigesimus tertius: qui meritò de se dicere potuisset: *veni, vidi, vixi.* Cùm enim Otto decessor obierit die tertia Martii, & Udalricus iste septimâ ejusdem mensis, quatuor tantùm diebus Abbatis nomen potiùs, quàm munus gessit, ne quidem aliorum præsulum more authoritate Episcopi confirmatus. Obiit *in festo SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis.* Nobis nihil super est, quàm ut Udalrico *perpetuam felicitatem* precemur.

§. III.

Conradus III. Abbas XXIV.

4. HIc etiam Abbas nostra è congregatione electus fuit fratrum suorum suffragiis. Suo hic divini honoris & publicæ devotionis zelo, cùm propter ipsam temporum illorum acerbitatem defluxisse retróque lapsam videret fidelium pietatem, effecit, ut Hartmannus Episcopus Augustanus certas indulgentias impertiretur iis, qui in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli Ecclesiam monasterii, in Dedicationis autem solemnitate Ecclesiam S. Joannis parochialem devotè accederent. His, ait

ait Episcopus, *viginti dies criminalium injunctæ pænitentiæ, & sexaginta venialium misericorditer relaxamus.* Datæ sunt harum indulgentiarum litteræ Augustæ Vindelicorum anno Domini 1264. sexto Calendas Julii, nempe die vigesimo sexto Junii in Festo SS. Joannis & Pauli Martyrum.

2. Exortis quibusdam controversiis de limitibus in Tiroli circa Seveldiam Abbas Benedictoburanus Henricus ejus nominis secundus, & Conradus noster erectis litteris fines certos definierunt anno virginei partûs 1260. in die undecim millium Virginum: sicut constat ex Instrumento Chronici Benedictoburani secunda parte recitato. Et jam ante hanc finium definitionem alius inter eosdem Abbates tractatus intercessisse videtur super matrimoniis inter subditos nostros cum extraneis liberè contrahendis, ac super liberorum divisione (a) firmatus anno Domini M. CC. LX. *Indictione 3. Imperio vacante.* Hujusmodi tractatum vidimus sub Walchuno Abbate XXI. cui similes deinceps occurrent plures.

3. Singulare privilegium Abbas noster ab Hartmanno Episcopo obtinuit, nempe plenam incorporationem Parochiæ Landspergensis, cujus summam recitamus: notum esse volumus &c. „ Cùm jus patronatus „ Ecclesiæ Landsperg dilectis in Christo Abbati & Conventui monasterii in Wessisbrunn pertineat pleno jure, quod nos de Capituli nostri „ unanimi consilio & assensu propter grata & fidelia servitia ab ipso monasterio nobis & Ecclesiæ nostræ pluries impensa, prædictis Abbati & „ Conventui nunc & imposterum cupientes piè in Domino providere, „ Ecclesiam antedictam Landsperg cum omnibus suis attinentiis, cùm „ primùm vacare cœperit, eisdem Abbati & suo Conventui donamus, „ & donavimus tam in spiritualibus quàm temporalibus regendam perpetim & tuendam; ita tamen, ut ad regimen ipsius Ecclesiæ Clericum spiritualem idoneum nobis & nostris successoribus pro Vicario „ instituendum repræsentent; cui etiam in tam honesta præbenda provideant, ut Episcopis Augustensibus, Archi-Diaconis & Decanis loci, „ in juribus, obedientiis, debitis & consuetis valeat respondere &c. „ Actum & Datum Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo „ tertio, decimo sexto Calendas Januarii in civitate nostra Augusta.

4. Verùm ut laudemus viros gloriosos & beneficos parentes nostros in generatione sua, omittere non possumus hoc loco justissima Hartmanni Episcopi præconia. Fuit is ex illustrissima Kyburgensium ac Dilingensium Comitum gente, ex qua ipse S. Udalricus est ortus. Meritò ab Authore Hierarchiæ dicitur alter Ecclesiæ Augustanæ fundator (b), utpote

cui cum Hartmanni parentis ſui conſenſu donavit civitatem, parochiam, arcem Dilinganam cum omnibus bonis temporalibus eidem adhærentibus: præterea univerſas facultates comitatûs Witteslingenſis, omnésque ferè pagos ad usque Donawerdam ſitos. Fuit præterea Religioſorum Ordinum amator inſignis. Is Seflingenſi monaſterio ſanctimoniales S. Claræ primus inſtituit. Cœnobium fratrum Conventualium S. Franciſci in urbe Auguſtana ædificavit, & inſtauravit. Virgines Ordinis S. Dominici intra civitatis mœnia recepit. Bedernavienſe monaſterium Eremitis S. Auguſtini tradidit, eósque Mindelhemium introduxit. Canonicis Regularibus ad S. Crucem Auguſtæ omnes decimas majores & minores tam extra quàm intra urbem titulo donationis transſcripſit. Noſtro quid Ordini dederit, experti ſumus ipſi, donatâ & confirmatâ nobis parochia Landſpergenſi, de qua Corbinianus Khamm ita ſcribit: *Parochiam Landſpergenſem Abbati Weſſofontano donavit.*

5. Conradus Abbas noſter, poſtquam annis decem & ſex præfuiſſet, repente *depoſitus eſt per ſententiam*, ut ex antiquiore codice ſcripſit Stephanus: verùm ipſe mox in margine adjunxit: *ignoro, qualis ſit ſententia depoſitionis.* Ideóque nec nobis affirmare quidpiam licet: divinandi anſam præbet Concilium Lugdunenſe II. anno 1274. celebratum, in cujus ſeſſione II. Prælati conſenſerunt in decimas omnium redditutum Eccleſiaſticorum perſolvendas ad ſex continuos annos pro belli Jeroſolymitani ſubſidio. Leguntur in particularibus hiſtoriis hincinde ejusmodi tergiverſationes, præcipuè in monaſteriis tenuioris fortunæ. Nihil addo aliud; nam major lux afferetur ſub Udalrico XXVI. Abbate. Conradus noſter anno 1276. dignitate dejectus eſt, & poſtea, incertum quo anno, obiit in Feſto Annuntiationis Deiparæ, nempe 25. Martii.

(a) *Diviſio ſubditorum Chr. Bbur. P. II. Inſtrum. 94. Finium definitio P. I. fol. 123. & P. II. Inſtr. 105.* (b) *Hier. Aug. Part. I. Cath. f. 242. lin. 1.*

§. IV.

Wernherus I. Abbas XXV.

1. Electus eſt à conventu anno Domini 1276. Cæterùm ſicut ignoti nobis ſunt Wernheri hujus natales, ita & acta ejus nec multa, nec inſignia ad poſteros pervenêre. Vir videtur fuiſſe vel valetudine debilis, vel quieti potiùs, quàm magnis molitionibus intentus. Nam cùm Henricus Kolbe de Peul monaſterio noſtro agros quosdam, prata, hortos,

hortos, & curtile in Peulensi vico sita donâsset, rem non cum Wernhero Præsule, sed cum Conrado Abbate secundario tractavit, sicut ex Instrumento desuper erecto patet: „ In his omnibus prædictis bonis, juribus proprietariis renunciavimus, eadémque prædicta bona jure pensionali *à venerando Domino Abbate Wessenbrunnensis Ecclesiæ secundario recipientes.* „ Instrumentum finitur his verbis: *datum & actum* in castro Peul anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, indictione sexta, tertio Idus Martii. Testes erant Henricus & Witigans fratres Tainingarii, Ulricus & Conradus Witolshoverii, omnes milites: & Judex Provincialis de Peul, dictus Conradus Rormoser. Prætoris sigillum appensum ante ducentos jam annos violatum dignosci non potuit: *Hainricus* verò *Tainingerus* in sigillo suo exhibet rotam molarem, & ante prætorem subscripsit.

2. Quæretur, quis fuerit Abbas iste secundarius nostræ Ecclesiæ? In synopsi Instrumenti æquè antiquâ vocatur Conradus. Arbitror, fuisse Conradum ejus nominis secundum, nobilem de Menchingen, qui anno 1243. sacræ dignitati nuntium misit; non enim, Conrado III. *per sententiam deposito* prærogativam hanc fuisse relictam, credibile videtur. Atque hæc prima & ultima in Monumentis nostris est *Abbatis secundarii* mentio, alibi pluries invenitur. Contigit hoc, cùm Abbates ad Episcopatum promoverentur, & in monasteriis tamen suis residerent; quibus subjungebatur Abbas secundarius, qui disciplinæ claustralis & peculiarium monasterii negotiorum curam gereret. Nos non alia videtur coëgisse necessitas secundarium Abbatem assumendi, quàm quòd Wernherus Abbas valetudine impediretur. De aliis secundariis Abbatibus diffusè agit Hansizius in Tomo 2. Germaniæ sacræ, non inutiliter legendus. (c)

3. De Conrado II. certum est, eum ortæ super capella Bebingensi controversiæ adfuisse testem circa annum 1238. cùm adhuc Abbas esset: certum etiam, eundem, cùm eadem lis renovaretur anno Domini 1269. tanquam senem, jam posita dignitate vocatum fuisse & testimonium perhibuisse, quantum per memoriam potuit. Habemus integrum ferè exemplar Instrumenti super secunda hac controversiæ motione confecti, cui titulus à Stephano nostro præfigitur iste: *Nota attestationem Conradi Abbatis secundi Wessinsbrunnensis, quæ facta est post resignationem ipsius, super Capellam in Bebengaw 1269. quam fecit 1238. vel circa;* quo nempe tempore Abbas fuerat. Potuit ergo vegetus senex ab anno 1269. provivere usque ad annos novem, & anno 1278. Abbati Wernhero I. præstare vices Abbatis secundarii.

4. Duos

4. Duos è ſuis monachos in Tyrolim miſit Conradum & Olricum, ut Abbatis nomine terræ portionem cum vineis in Truye ſitam elocarent Bertholdo cuidam & ſorori ejus Beatrici. Eſt ſub manibus prolixum deſuper inſtrumentum, anno Domini 1278. erectum Bozani die ſecundo Septembris: quod hoc loco ponere operæ pretium non putamus. Wernherus Abbas, cùm quinque annis præfuiſſet, obiit die 15. Calendas Septembres, nempe 15. Auguſti in Feſto Deiparæ in cœlum aſſumptæ.

(c) *Hanſiz. Tomo II. Germ. S. fol. 70. & fusè in Corollariis.*

CAPUT II.

Udalricus III. Abbas XXVI.

§. I.

Udalrici poſtulatio.

1. HAud immeritò ſub Ottone Abbate XXII. monaſterii noſtri conditionem caliginoſæ nocti comparavimus; erat enim profectò miſerrimus ejusdem illo ſæculo ſtatus, ſeu ſpiritualia ſeu temporalia ſpectentur. Doluit Ludovico Severo Bavariæ Duci miſeranda rerum facies, cujus abſtergendis tenebris lucique reſtituendæ curavit, ut ſeu rogantibus monachis, ſeu de gremio ſuo virum non ſatis aptum invenientibus, aliunde advocaret Præſulem, qui rebus afflictis medelam afferret. Florebat tunc temporis monaſterium Eberſpergenſe tam externo ſplendore & opibus, quàm inſignium virorum, religioſáque diſciplinâ probè ſubactorum copiâ. Ex illuſtriſſimo hoc ſeminario, cujus Præſulem nuperrimè Rudolphus Imperator *dilectum Principem ſuum* appellârat (a) ad ſerenandos Weſſonis fontes vocatus fuit Udalricus Moſer, hujus nominis inter Abbates noſtros tertius. Erat is jam antea monaſterii ſui Eberſpergenſis Cancellarius, ſecundùm Hundium, quæ, ſub Abbate Principe, inſignis dignitas fuit: verùm in Codicibus noſtris ubique vocatur Cellerarius. Utrumque, an alterutrum officium obierit, non diſcutimus; ad rem noſtram ſatis eſt, quod munere utrolibet inter ſuos diutius geſto multam gerendarum rerum peritiam adeptus ad nos pervenerit, vir certè talis, cujus operâ quàm maximè tunc monaſterii noſtri neceſſitas indigebat.

§. II.

§. II.

Udalrici Administratio.

2. POstquam ad Wessonis fontes pervenit Udalricus, non statim Abbatis dignitatem suscepit, sed administratorio tantùm nomine creditum sibi monasterium gubernavit, atque id muneris per annum fermè integrum gnaviter gessit. Inspecto accuratiùs cœnobii statu, ac multiplices edoctus ruinas, tum suâmet erga omnes humanitate, quos singulos vocare (b) dominos solebat, tum sedula œconomiæ curâ monachorum animos sibi conciliare laboravit, nequos refractarios & consiliis suis temerè adversos experiretur. Viderat, Religiosos magnâ premi rerum necessariarum penuriâ, quia bona plurima variis tum Clericis tum sæcularibus oppignorata nullum monasterio fructum afferebant. Quare supplices ad Martinum IV. Pontificem litteras dedit, dignaretur authoritate Apostolica malè vel alienata vel in pignus exposita monasterio ad incitas pæne redacto vendicare. Nec tardum habuit in vota Martinum, qui Bullam commendatoriam, & Hebacensis Ecclesiæ Præpositum dedit, eique summa potestate injunxit, ut *decimas, terras, domos, vineas, redditus, prata, pascua, nemora, molendina, jura, jurisdictiones, maneria, possessiones, & quædam alia bona ipsius monasterii à prædecessoribus Conradi tertii nonnullis Clericis & laicis impignorata* in ditionem nostram revocaret; tergiversantes verò pignora sibi credita dimittere, ac legitimis dominis restituere, Apostolici fulminis comminatione compelleret. Data est hæc Bulla anno Domini 1281. Nec dubito, quin optatum fructum protulerit, desiderataque effecerit Commissio Pontificia; præerat enim tunc temporis Hebacensi Canonicorum Collegio Bertholdus de Wilzhoven, seu Witolzhoven (c) nobili familia, nostróque monasterio addictissima oriundus; nam & Ulricus Witolshoverius ante Hainricum Thainingarium testis scribitur primus in instrumento donationis Henrici Cholbii (d) & posterioribus quoque annis alia benevolentiæ ab hac familia nobis exhibitæ documenta videbimus.

(b) *Infrà §. IV. num. 7. in Instrumento.* (c) *Hierarch. Aug. P. II. Colleg. fol. 266. num. 6.* (d) *suprà Cap. I. §. IV. num. 1.*

§. III.

Udalricus Abbas creatur, & Ecclesiam reconciliat.

3. PRimo igitur negotio feliciter gesto, cùm monachi res monasterii antea tam angustas jam ampliari, vitæque suæ sustentationi meliùs provideri conspicerent, optima quæque in futurum sibi promittentes, unanimi consilio Hartmannum antistitem Augustanum supplicibus litteris adierunt, rogâruntque, ut virum tam utilem sibi Abbatem confirmaret, & more consueto benediceret. Hartmannus ad Religiosorum preces promptissimus, cùm jam dudum monasterii utilitatem beneficentissime fovisset, tertio Idus Apriles, id est, undecimo ejus mensis die, à monachis ad se adductum Augustæ Vindelicorum Abbatem solitis ritibus creavit: felici prorsus omine; erat enim sabbatum ante Dominicam secundam post Pascha, qua Christus dicit: *Ego sum Pastor bonus*; ac præterea festum S. Leonis Papæ, in cujus Evangelio Salvator ait: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Certè ipse sanctissimus Apostolorum Princeps Petrus Patronus noster, Ecclesiam suam Wessofontanam per Udalricum Abbatem ædificari ac restaurari optâsse videtur, si saluberrima hujus præsulis instituta, quæ jam exhibebimus, considerentur.

4. Da veniam, lector, candori narrantis. Tristia sum relaturus, verùm ideo non omittenda, ut divinæ providentiæ copiosiores reddere gratias, eámque pro nobis tam sollicitam reverentiùs adorare commoneamur. Jacebat, quod in superiorum Abbatum historia dissimulavimus, jacebat sub interdicto Pontificio Ecclesia S. Petri Wessofontana jam à tempore Concilii Lugdunensis. Interdicti causam ignorare me fateri malim: sed tamen divinandam relinquo consideranti superiùs dicta. Ecclesiasticis ejusmodi fulminibus territi & hìc & alibi complures cœnobiorum præsides dignitate se abdicârunt: nonnulli depositi fuerunt: aliqui Pontificia jussa præfractè contemnentes fidelium communione exclusi sunt, & sacrâ sepulturâ prohibiti. Postremum hoc contigit Wessofontii, prô dolor! Nam Udalricus iste, cùm ad nos venisset, duos in monasterio defunctos Abbates invenit, quorum cadavera pluribus jam annis putrescebant, nondum tamen Christianæ sepulturæ mandata fuerant, eòquòd Præsules isti *in eadem enormitate* (ait Codex noster) mortui sint. Quinam

verò,

verò, quóve nomine fuerint appellati, profari nec ausim, nec velim, defunctorum honori deferens reverentiam. Colligi aliquid ex præmissis potest, non tamen sententia præcipitari: & ea, quæ sequentur, lumen quodcunque afferent. Udalricus verò Abbas, tantæ calamitatis impatiens, legatum Apostolicum, qui ad colligendas, ex decreto Concilii Ecclesiarum decimas circumibat, interpellavit: decimas Ecclesiæ suæ in subsidium terræ sanctæ petitas, verùm hactenus nondum persolutas, ac pertinaciter fortè negatas, liberaliter solvit, ejusdémque legati authoritate obtinuit, ut Ecclesia nostra denuò reconciliata fidelium pietati panderetur, & Abbates, Censuræ Apostolicæ vinculo soluti, sacrâ tandem sepulturâ donarentur anno 1284. Jam inde amœnior Wessonis fontibus tempestas affulgebat.

§. IV.

Udalricus Abbas Ecclesiam Wessofontanam restaurat, & S. Sebastiani Martyris cultum introducit.

5. QUam à religiosi tyrocinii cunis in monasterii Eberspergensi imbiberat pietatem erga fortissimum Christi Martyrem S. Sebastianum, eamdem Udalricus apud Fontes quoque Wessonios propagare strenuè laboravit. Opportunam ei occasionem præbuit nupera Ecclesiæ nostræ reconciliatio, quam tanto tempore obseratam populo iterum admisso exhibere cupiebat formosissimam, tanquam sponsam ornatam viro suo. Igitur si non totum omnino templum funditus restauravit, certè presbyterium ampliavit, ac novum chorum cum subjecta crypta ædificavit: Altare summum in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum erexit: in crypta proprium altare S. Sebastiano Martyri condidit. Ad hæc unà cum templo dedicando & consecrando Hartmannum Episcopum invitavit, qui, communi monachorum & totius viciniæ gaudio, exulem tamdiu religionem publicam postliminio solemni ceremoniâ reduxit. Documentum dedicationis ante ducentos adhuc annos in choro interiore prope tabernaculum Venerabilis Sacramenti suspensum cernebatur, quod à Stephano nostro descriptum ita sonat.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, Indictione decima tertia, dedicatum est hoc monasterium, & altare publicum, & altare S. Sebastiani in crypta à Venerabili Hartmanno Augustensi Episcopo tempore Honorii

Papa quarti, regnante Rudolpho Rege Romanorum, procurante Abbate Udalrico de Ebersperg nato: in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, & in honore S. Mariæ, & omnium sanctorum: speciāliter in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli. Continentur autem in hoc altari hæ reliquiæ. De ligno S. Crucis reliquiæ SS. Petri & Pauli, Andreæ Apostolorum. Joannis baptistæ, Laurentii, Stephani Martyrum. De sanguine & capillis S. Dionysii Episcopi, Benedicti, Magni Confessorum. Margarethæ, Anastasiæ Virginum & Martyrum: & aliorum plurimorum sanctorum. Est autem dedicatio hujus Ecclesiæ & altarium præscriptorum feriâ tertiâ post diem sanctum Pentecostes annis singulis celebranda.

6. Atque hæc jam tertia & in hodiernum usque diem postrema Ecclesiæ nostræ Dedicatio est. Prima per sanctum Bonifacium Germaniæ Apostolum ac Moguntinum Archiepiscopum, vel certe per S. Wicterpum Episcopum Augustanum facta est vigesimo secundo Octobris, ad quem diem in Calendario antiquissimo Benedicti Abbatis commemoratur. Secunda Dedicatio facta est per Embriconem Episcopum Augustanum anno millesimo sexagesimo quinto, die trigesima Novembris, in festo videlicet S. Andreæ Apostoli. Tertia demum, ut vidimus, per Hartmannum in feria tertia Pentecostes, quam procurante Udalrico Eberspergensi institutam hodie adhuc anniversaria solemnitate celebramus.

7. Verùm ut festum S. Sebastiani solemniùs quotannis celebraretur, studiosè curavit Abbas Udalricus, variis suos donis ac solatiis in voluntatis suæ assensum pertrahens. Ne multis moremur lectorem, instrumentum institutionis proponimus, prout ab Udalrico Præsule, re jam utrinque stabilita, ad posterorum memoriam est relictum.

Fundatio in honorem S. Sebastiani.

Quæ aguntur in tempore, cum tempore memoriæ nomen perdunt, nisi vivaci scripturarum testimonio perennentur. Elucescat igitur vitam agentibus, & sciant tam posteri, quàm præsentes, quòd nos Udalricus DEI gratiâ Abbas monasterii in Wessesbrunne Augustanæ diœcesis, diligenti tractatu & deliberatione nostri conventûs fraterna præhabitis, ad divini cultum nominis ampliandum nostra in ecclesia, curâ pastoralis officii sollicitiùs excitati, ad oblagium Fratrum ejusdem nostri monasterii unam libram monacensium denariorum, usibus ipsorum Fratrum ac Dominorum pro consolatione impartiendam, in duobus prædiis, uno videlicet in Porstadel situato, & in quadam alia Huba, quæ vulgò Newezel dicitur, recipiendam ordinavimus annuatim, & ad cryptam inibi in honore S. Sebastiani constructam pro suppletione luminis eri-

erigenda, nostra fulti authoritate ex suscepta administrationis officio sexaginta denarios ejusdem monetæ ponderis deputavimus, simili modo dandos cujuslibet anni circulo revoluto. Ne autem de prænotatis prædiis, quandoque respicientibus Abbatiam, indecenter videamur promissæ consolationis gratiam dictis Fratribus impendisse, aut ab aliquo successorum nostrorum, quæ statuimus, posse videantur à rationis tramite discordare, Advocatiam in Rott, nostro monasterio contiguo, à Perchtoldo dicto Reichlingario, conditione nostræ ecclesiæ filio, per nos emptam, & nostra provisione ab ipso cum omni jure sibi inibi competente conquisitam, viginti librarum monacensium denariorum cum ponderis facultate sibi perinde traditarum in pecunia numerata, in usus & utilitatem Abbatiæ tradidimus versa vice, & redegimus convertendam. Et quia gratiarum actio est recepti beneficii recognitio, iidem Fratres & Domini nostræ ecclesiæ sæpè dicti, tanquam solatium specialis gratiæ ipsis factum, nobis rependere cupientes, nostris precibus ac meritis inclinati, Octavam S. Sebastiani divinitus cum officio pleno annuatim celebriter peragendam, & cum una antiphona de ipso S. Sebastiano Martyre in Vesperis & Matutinis habenda, suffragiis etiam canonicè celebrandis quotidiè cum Collecta, liberaliter promiserunt. Quod, quandocunque ex ipsorum Fratrum, quod absit, desidia exoleverit faciendum, & postpositum fuerit quoquo modo, ex tunc memoratum exspirabit per nos solatium eis factum, & ut nullius penitus, volumus, sit momenti; sed ad regimen sive officium Abbatiæ postea revertatur. In cujus rei testimonium præsentem cedulam, ne ab aliquo successorum nostrorum id, quod statuimus, valeat infirmari, sigillorum nostri & Conventûs nostri characteribus jussimus fideliter insigniri. Actum & datum in Wessesbrunne anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, tertio Calendas Octobris.

9. Perseverat igitur ab illo jam tempore S. Sebastiani cultus in Ecclesia nostra, remanentibus præter alia in hunc usque diem quotidianis de eodem suffragiis, quoties per Rubricas licet. Octava desiit celebrari, quia recentioribus Pontificum Conciliorúmque Decretis non ampliùs fas est Abbatibus, divini cultûs ordinem aut novum dictare, aut præscriptum immutare. Lumen in crypta alebatur, imò & sacrificia ibidem ad annum usque hujus sæculi decimum septimum celebrabantur: verùm mutatis deinde ædificiis, cryptáque choro novo & fratrum sepeliendorum capulis obducta, S. Sebastiani honor in Ecclesiæ plaga septentrionali apud altare SS. Rosarii & Scapularis, ubi & S. Amantii Martyris exuviæ quiescunt repositæ, quantum fieri potest, in elegante ejusdem statua conservatur, & singulis per annum diebus Dominicis Missa in illius laudem celebratur. In Octavæ verò hactenus celebrari desitæ qualecunque supplementum fuisse à Majoribus institutum credo, ut pridie ipsius Festi breves quædam Vesperæ post solemnes singulari ritu cantentur, útque in Missæ sacrificio, Choro & Capitulo à Confessionem facientibus

S. Sebastiani nomen ante sanctos Udalricum & Benedictum humiliter invocetur. (a) Fortassis etiam Abbates illi, quorum unus confraternitatem S. Sebastiani hodiéque florentem apud nos introduxit, alter Festum illius inter primæ Classis solemnitates celebrandum curavit, satisfacere tanto Patrono voluerunt, cujus indignationem incurrere meritò quivis sibi fatale fore pertimescat. Veneremur igitur fortissimum hunc Martyrem non coacti, sed gratis; ac DEO in illius honorem voluntariè sacrificemus: quia, restituta jam pridem per Dei gratiam puriore disciplina, ac strictiore votorum observantia, mercenariæ illæ Abbatem inter & Conventum pactiones usu meliore desierunt.

(a) *Suffragia de S. Sebastiano hæc sunt in Laudibus. Antiphona.* Beatus es, & bene tibi erit egregie Martyr Sebastiane, quia cum sanctis gaudebis, & cum angelis exultabis in æternum. *Vers.* Ora pro nobis sancte Sebastiane. *Resp.* Ut digni &c. *In Vesperis Antiph.* Elegit Dominus virum de plebe, & claritatem visionis æternæ dedit illi: celebremus commemorationem Beati Sebastiani Martyris. *Versus ut supra. Oratio, sicut 22. Augusti de S. Hermete Mart.*

§. V.

Udalricus Abbas Pontificum, & Cardinalium Indulgentiis Ecclesiam Wessofontanam locupletavit.

20. LAborem equidem indefessum Udalricus Abbas adhibuit ad conciliandam sibi Apostolicæ sedis favorem, cujus diris & execrationibus tum decessores ejus nonnulli, tum ipsa Ecclesia nostra tempore sat longo subjacuerat: nam vix administrationem aggressus jam à Martino IV. Pontifice litteras bonorum nostrorum vindices, ut supra diximus, impetraverat: eâdem porrò fiduciâ interpellavit Honorium IV. qui Abbatis nostri precibus victus potentiori nos præsidio muniendos censuit contra quoscunque facultatum ac jurium nostrorum seu oppressores, seu violatores. Dedit enim Bullam amplissimam ad Abbatem Tegernseensem, jussitque, ut Apostolica Auctoritate, intentatisque Ecclesiastici fulminis comminationibus ad restitutionem & satisfactionem compelleret omnes, qui rerum nostrarum quidpiam pro suo occupâsse vel usurpâsse convincerentur. Præerat tunc monasterio Tegernseensi Ludovicus

dovicus Abbas, clarissimo Comitum Grayspacensium sanguine illustris, virtute nobilis, potentiáque eximius, traducto ad se ab antecessoribus titulo Principis. Dubitare non licet, quin maximos ex ejus judicio ac sententia fructus Ecclesia ac monasterium nostrum, Udalrico instante, retulerit. Data est Bulla decimo Calendas Februarias anno MCCLXXXV.

11. Neutiquam ergo mirandum, si Pontificiis animatus favoribus, diversorum quoque Ecclesiæ Præsulum fores pulsare sit ausus, à quibus tantùm abest ut repulsam tulerit, ut potiùs fiduciæ suæ fructum sit amplissimum consecutus. Exstant enim litteræ Episcoporum, certas Ecclesiæ nostræ indulgentias singulatim concedentium, & appensis singulorum sigillis candido orichalco inclusis confirmantium. Summam igitur, seu epitomen, ùt accepi, lubens exhibeo.

Anno MCCLXXXVI. Udalricus Abbas Româ obtinuit ab Episcopis Petro Signino, Henrico Saxenate, Oberto Astensi, Petro Wibergensi, Marco S. Marci, Thomea Sardanensi, Joanne Strogosino, Valdebruno Avesonensi, & Consanmitensi, Romano Aliphano, Leone Casamontano, Romano Crobensi, Benedicto Bibiensi, Perono Larienensi, Bernardo Vicentino, & Ægidio Turtiburensi indulgentias, à singulis singulas Quadragenas; quas lucrabuntur fideles, qui monasterium confessi & sacra synaxi refecti visitant, singulis diebus dominicis: per Octavas Nativitatis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes: in quatuor festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis: SS. Michaelis & Joannis Baptistæ: singulorum Apostolorum: Stephani, Laurentii, & Sebastiani Martyrum; Martini & Nicolai Episcoporum: Mariæ Magdalenæ & Catharinæ, ac in Dedicatione monasterii; qui, inquam, causâ devotionis accesserint, vel manus adjutrices porrexerint, seu in extremis laborantes quidquam fabricæ monasterii legaverint. Datum Romæ anno 1286. Nono Calendas Februarias, Pontificatûs Honorii IV. anno primo.

§. VI.

Favores Hartmanni Episcopi Augustani erga Udalricum, & monasterium.

12. Episcopus iste, sapientiâ & virtute clarissimus, jam antea monasterio nostro, miserrimo licèt ac pæne desperato ejusdem statu, addictissimus, magis exarsit, teneriúsque amavit illud, cùm Abbatis Udalrici zelo ac incredibili studio spem fortunæ melioris succrescere

scere conspexit. Dignatus est non semel fontes nostros invisere, opemque suam non spondere solùm, sed & præstare. Erant enim nasutuli quidam, qui indulgentias à Pontifice & Episcopis, recenter vel antiquitus concessas, vocare in dubium vellent: horum omnium, quos vel ingenii petulantiâ, vel æmulationis invidiæque stimulus incitârat, ut ora obstrueret Episcopus, examinavit accuratè omnia diplomatum exempla archetypa, eáque non solùm authoritate sua confirmavit, sed novas etiam indulgentias propria potestate liberaliter adjecit. Operæ pretium est, ut utraque hujus Episcopi Diplomata audiamus, quibus non minùs documentorum nostrorum veritas stabilitur, quàm eximius tanti viri erga monasterium nostrum amor manifestissimè demonstratur. Ac primùm quidem apud Wessonis Fontes Episcopus edidit, cùm nobiscum hospes ipse versaretur, sicut ex die dati Diplomatis patet. Illud sic sonat: *Hartmannus Dei Gratiâ Ecclesiæ Augustensis Episcopus Universis Christi fidelibus præsentium inspectoribus salutem à Domino. Noverint universi, quòd nos de speciali gratia, quam erga monasterium S. Petri in Wessisbrunnen gerimus, ut ipsum monasterium meliùs valeat restaurari, omnes indulgentias, quas Venerabiles in Christo Fratres, Domini Cardinales, vel Episcopi Catholici tribuerunt, aut adhuc duxerint tribuendas, ratas & gratas habentes, eas in nomine Domini confirmamus, præsentes nostro sigillo munitas in hujusmodi testimonium tribuentes. Datum Wessisbrunnen Anno Domini MCCLXXXV. sexto Idus Martii.*

13. Facta ergo, & expedita est hæc confirmatio die decima Martii & quidem in monasterio nostro, quo tempore fortassis Episcopus consecravit altare S. Sebastiani in crypta, vel aliud. Invenitur enim circa idem tempus schediasma Reliquias recensens, credibiliter in altari quodam repositas, quarum ne pereat memoria, dignas recensione duximus: *primò de crinibus Beatæ Mariæ Virginis. De S. Barbara. De S. Catharina. De S. Apollonia. De S. Udalrico. De S. Pontifice Valentino. De S. Cruce. de S. Antonio. De lapide, super quem stetit Petrus. De S. Leonardo. De S. Anna.*

14. Altero diplomate Hartmannus prioribus indulgentiis novas adjungit, & earum desiderio fideles animat non tantùm ad visitandam, sed etiam eleemosynis suis suffulciendam Ecclesiam. Præterea iteratò confirmat omnes indulgentias nobis ab exteris etiam Episcopis concessas, & concedendas. Audiamus ipsum: *Hartmannus DEI gratiâ Ecclesiæ Augustensis Episcopus universis Christi fidelibus in filio Dei vivi. Loca sanctorum piâ ac prompta sunt devotione à Christi fidelibus honoranda, ut venerantes Dei amicos, ipsi amicabiles nos DEO reddant, & ipsorum nobis quodammodo vendicantes patrocinium, hoc, quod apud altissimum merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere.*

nere: Cupientes igitur Monasterium S. Petri in Wessisbrunnen dignis præconiorum laudibus frequentari, omnibus, qui in anniversario die Dedicationis ipsius Monasterii & altarium ejusdem: in die SS. Petri & Pauli: in quatuor festivitatibus Virginis Mariæ, & per octavas dictarum festivitatum, ad ipsum Monasterium annuatim cum devotione petituri propitiationis gratiam accesserint, quique ad fabricam dicti Monasterii suas eleemosynas largiti fuerint, de omnipotentis Dei misericordia confidentes, verè pœnitentibus & confessis quadraginta dies criminalium, & annum unum venialium indulgemus. Ratas quoque & gratas habemus omnes indulgentias, si quas dilecti in Christo Venerabiles Episcopi in nostra Diœcesi eidem monasterio concesserunt, vel adhuc duxerint concedendas, præsentibus perpetuò valituris. Datum Augustæ anno Domini 1286. sexto Calendas Maii. Est ergo expedita hæc epistola die vigesima sexta Aprilis, feria sextâ post Dominicam in Albis, in festo sanctorum Cleti, & Marcellini.

§. VII.

Indulgentiæ pro Ecclesia Vilgertshovensi impetratæ per Udalricum Abbatem.

15. NObilis Wessofontanæ ditionis portio Vilgertshovium est, locus jam ab antiquo clarus, sed temporum injuriâ admodum & rebus & famâ imminutus, donec Deo ter Optimo Maximo placuit novissimis hisce temporibus eundem restaurare, ac longè latéque illustrem reddere. In veteribus monumentis ubique vocatur *Viligundenhoven*, cujus nominis originem inquirentes arbitramur, castellum olim vel arcem fuisse à nobili & opulenta Matrona, vel à viro illustri ac divite in gratiam uxoris aut filiæ exstructam, indéque hoc nomine insignitam. Est enim Viligundis muliebre nomen, quemadmodum Adelgundis, Chunigundis, Radegundis, & alia. Castrum fuisse indicat loci situs, ab omni aditu acclivis & procul intuentibus editum collem ostentans, declivibus circumquaque agris, pratisque spectabilem. Antiquissimum esse tam locum, quàm Ecclesiam in loco constructam, demonstratur ex vetustissimo Abbatis Benedicti Calendario, in quo ad diem decimum quartum Octobris hæc leguntur sæculo decimo vel undecimo scripta: *Egilolf Laicus obiit, qui dedit dimidiam Ecclesiam & dimidium prædium ad Viligundenhoven.* Sub dimidiæ Ecclesiæ donatione intelliguntur decimæ, oblationes, vel agri ad Ecclesiam istam spectantes, quorum dimidiam partem Egilolfus, tanquam Ecclesiæ Patronus, Monasterii usibus transmisit.

16. Possedimus igitur dimidiam Ecclesiam & prædium dimidium in Viligundenhoven plusquam trecentis annis ante Issingam Diessensibus venditam: possedimus etiam eo jam tempore vicinum prædium Puechense, cujus hodie nomen ager retinet *Puechfeld* vocatus, quod donatum fuerat ab Adalberto, qui monachus postea Wessofontanus fuit, & Reinberto, germanis fratribus ac nobilibus de Rott; sed iterum alienatum à nobis, pro prædio Panzingano, ac serò denique recuperatum. Ecclesiam verò Vilgertshovensem Udalrici Abbatis temporibus fuisse celebrem, & locum ipsum frequentem, inde colligimus, quòd Abbas operæ pretium existimârit, Fridericum Curiensem Episcopum in castro suo æstivantem ex vineis nostris Athesinis interpellare pro concedendis Ecclesiæ hujati Indulgentiis.

17. Videamus jam ipsum antiquissimum Friderici Episcopi Curiensis Privilegium, & Indulgentiarum Instrumentum, quod ex veteri Codice desumptum, mendis quibusdam expurgatum, propono.

Fridericus Dei gratiâ Episcopus Curiensis Universis Christi Fidelibus salutem in omnium Salvatore.

Cùm ad pietatis exercenda opera quique fideles illectivis quibusdam muneribus invitari debeant: Nos de divina præsumentes Clementia, omnibus corde contritis & confessis, qui ad Ecclesiam Filiguntheven Augustanæ Diœcesis in anniversario ipsius Ecclesiæ, nec non in festis Sanctorum Udalrici Confessoris & Pontificis, Stephani Proto-Martyris, Beatæ Mariæ Magdalenæ, Afræ Martyris, & aliorum Patronorum, cum devotione accesserint, quadraginta dies Criminalium, & centum venialium, dummodo de Diœcesani voluntate processerit, in Domino misericorditer relaxamus, præsentibus perpetuò valituris. Datum in Castro Montis S. Petri, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, undecimo ex tunc Junio, Indictione duodecima.

18. Fuit Episcopus iste Fridericus ex illustrissima Comitum Montfortiorum prosapia, qui Ecclesiam Curiensem octennio rexit, ac anno 1290. piissimè obiit. Quantum ad locum datarum litterarum istarum attinet, in mappa Tirolis & Grisoniæ Homanniana S. Petri montem nullum invenio, sed locum & montem Churberg appellatum, quem Hübnerus vocat Castrum munitum in Grisonia, (b) cùm tamen Homannus collocet in Tiroli, paucis milliaribus à civitate Meranensi dissitum. Illuc igitur digressus è vineis nostris Abbas, ab Episcopo in Castro Churbergæ æstiva

æstiva agente, harum Indulgentiarum privilegium potuit impetrare. Verùm de loco & Ecclesia Vilgertshovensi, celebrique ad hanc peregrinorum accursu & hujate Dolorosæ Deiparæ sodalitate frequentior deinceps mentio redibit.

(b) In Staats- Zeitungs- und Conversations-Lexico. V. Churberg.

§. VIII.

Udalrici Abbatis Resignatio, & reditus ad Monasterium Eberspergense.

12. POstquam Udalricus noster ab adventu suo Administratorem egit anno ferme integro, Abbatis verò dignitatem ab anno sæculi decimi tertii octogesimo secundo per quinquennium summa cum laude, maximóque nostro emolumento gessit, ad Eberspergense cœnobium est revocatus. Nam cùm Petrus Kienberger Abbas vigesimus quintus post biennale regimen divini judicii metu, ut ipse præferebat, magistratu se abdicâsset, omnia tamen privatus aliquamdiu gubernabat, donec Fratres super novo Præsule eligendo convenirent. Annum pœne tenuit deliberatio, cùm Aprili mense unanimibus votis Udalricum ad se nostrum repetunt: qui Ebersspergam, suam à puero nutritiam, nolens destituere, Abbatiæ Wessofontanæ renuntiavit, postquam universim per sex annos multa nobis commoda & Ecclesiæ ornamenta procurâsset. Præfuit deinceps Ebersspergæ non minori utilitate per annos undecim, & obiit quinto Calendas Octobres, ut Hundius scribit; secundum nostros verò Codices in Festo Epiphaniæ. Ei Stephanus noster breve hoc pangit elogium: *plura bona in confirmationibus Ecclesiarum, decimarum, & prædiorum cum Bullis Indulgentiarum Ecclesia S. Petri obtinuit, & post se reliquit.* Parcè, si verba consideres: sat largè, si verbis singulis respondentes egregias res aspicias, quas hactenus enarravimus. Digna memoriæ nostræ Ebersperga, quæ eum nobis virum subministravit, cujus insigni prudentia, & indefesso labore ruinæ nostræ sunt restauratæ. Nobis verò ipsis meritò gloriamur pulcherrimam hæreditatem, singularem nempe & perpetuum S. Sebastiani cultum, qui dum per alios in Eberspergensi Ecclesia zelosissimè promovetur, ab ordine tamen nostro non exulat, dum per Udalricum apud nos plantatus, veluti felix colonia, in Monasterio nostro hodiedum viret, & efflorescit.

§. IX.

Interitus Coloniæ Wessofontanæ in Monte S. Petri Matronæ.

20. MOnasterium S. Petri in Monte Madronensi ad Oenum flumen jam per trecentos & quadraginta annos per varia fata duraverat. Ejus condendi occasionem præbuêre tres monachi Wessofontani, qui Hungarorum furore pulsi, occiso crudeliter cum sex sociis B. Thientone Abbate, in illam se solitudinem fugitivi receperant, abruptam apud Fontes Monasticen sub Divi Petri patrocinio prosecuturi. Horum desiderio satisfacturus Comes Andecensis cœnobiolum eis ædificavit, cui primus præfuit ex tribus illis Wessofontanis monachis Mectinus. Verùm de Monasterii hujus progressu plura jam diximus initio tertii sæculi Wessofontani. Hoc tantùm animadversione dignum existimo, quòd litteris Alberti Frisingensis, Monasterium hoc à Sigibottone Falckensteinio Comite sibi commendatum in fidem suam recipientis, subscripserint Rapotho Abbas S. Stephani, & Lotharius Abbas Rottensis. Decennio pòst, defuncto interim Sibothone Comite, jam Præpositus quidam, Conradus nomine, Ecclesiam gubernabat, monachis etiamnum in loco perseverantibus. Quo tempore Gertrudis vidua Henrici de Brandenberg S. Petro Madronensi allodium suum in Griessenbach donavit: quam sexennio post imitatus Wernherus de Aisingen prædium suum in Owe eidem sancto Apostolo legavit, ubi inter testes jam memoratur Albertus Conradi Præpositi socius. Imò Rudolphus ipse Dux, idemque Palatinus Rheni, prædia quædam à Ludovico Haslangero sibi resignata S. Petro donavit anno 1295. cùm Conrado jam successisset Henricus Præpositus. Anno proximo secuta est monasterii vastatio, loco superius allegato descripta; post quam alias deinceps donationes S. Petro factas legere est apud Hundium, quæ verò ad monachos jam nihil attinent, postquam, ut lamentatur Hornsteinius, res eorumdem devenerunt ad manus alienorum.

21. Hæc utcunque circa Madronensem S. Petri Ecclesiam sint gesta, manet tamen Fontibus nostris ea gloria, quòd Monasterium à Wessofontanis inchoatum & gubernatum, inde continuò ab ordinis nostri hominibus conservatum, plusquam trecentis annis duraverit; nec nisi armatis tandem contra inermes fatis succubuerit: quódque, cùm disciplina monastica per Hungarorum tyranniden apud Fontes per centum & decem

annos

annos cessâsset, eadem alieno in solo per nostros refloruerit, adeóque constanter à radice Wessofontana viguerit S. P. Benedicti Religio. (✝)

(✝) *Vid. Hund. Metr. T. 3. sub tit. S. Petri Matronæ f. 96. & Bassonis f. 223.*

CAPUT III.

De Marquardo & Gebhardo Abbatibus.

§. I.

Marquardus Abbas XXVII.

1. POst lucem aliquam ab Udalrico Ebersspergensi Fontibus nostris illatam redierunt denuo nebulæ, quæ nobis duorum Abbatum historiam perquam obscuram faciunt. Marquardus & Gebhardus, ubi locorum Religionem professi sint, ubi fatis decesserint, penitus ignoratur: & Stephanus noster in margine hac ambos notâ complectitur: *Hi duo non sunt inscripti in nostris Calendariis defunctorum.* Fuissent autem, si de Monasterio egregiè meriti in loco obiissent. Quantum ad Marquardum attinet, invenio duos eodem ferè tempore, qui id nominis gesserint. Unus Marquardus Tegernseensis Abbas anno 1287. electus: alter Marquardus Abbas ad S. Udalricum Augustæ Vindelicorum à Friderico Episcopo hujatibus monachis impositus anno 1316. de quo videri potest pars tertia Hierarchiæ Augustanæ: fuerat hic novitius olim & monachus ejus monasterii: at vix tyrocinium emensus, transierat ad ordinem Prædicatorum. Tandem ab his rediit, actáque triduana pœnitentia Benedictinum habitum recepit, mox Abbas etiam creatus, cùm apud nos jam præesset Gebehardus. Marquardum hunc Augustanum nihil ad nos pertinere, ipsa Chronologiæ & Historiæ ratio convincit.

2. Quantum ad priorem Marquardum, nempe Tegernseensem, attinet, in unum ferè annum illius & nostri creatio incidit. At neque Chronicon nostrum, neque Tegernseense, nostro prolixius & exsplicatius, mentionem de illo ad Fontes nostros translato faciunt. Potuisset quidem ab anno 1297. Marquardus ille quadriennio, quo alius Monasterium illud administravit, nostris præesse: at ille Tegernseense, deinceps etiam, gubernavit, usque ad annum 1324. quo obiit; noster jam anno 1306. Fasces vel sponte vel invitus posuerat.

3. Marquardus itaque noster (ignotum, quo sanguine natus, quo è loco vocatus) Abbatiam Wessofontanam adiit anno, quo illam Udalricus III. dimisit, nempe 1286. De gestis ejus primo decennio nihil usquam reperio. Quæ deinceps ab anno 1297. ad Monasterii utilitatem fecit, ea compendio referam: atque inprimis ea, quæ ad divinum cultum & populi ædificationem contulit. Diximus supra, ab Udalrico Eberspergensi impetratas pro Ecclesia nostra Indulgentias à pluribus Episcopis Romæ tunc versantibus, quarum etiam summam recitavimus. Has cum hypercritici quidam in dubium vocarent, Abbas Marquardus Episcoporum Romanorum litteris Wolfhardo Episcopo Augustano exhibitis, ejúsque examini subjectis, impetravit ab eo litteras, quibus Indulgentiarum diploma Romanum ab omni labe purum declaratur, novæque indulgentiæ adjiciuntur.

4. Instrumentum Episcopi nostri, quantum ipsiusmet verba continet, recitamus: inserta, ac ab Episcopo repetita Cardinalium verba superiùs exposuimus, (a), ideóque hoc loco brevitatis causâ omittimus.

Wolfardus, Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Augustensis, Universis, præsentium inspectoribus salutem, in filio Virginis gloriosæ.

VEnerabilium ac Reverendorum Fratrum (b) *litteras, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, cum sigillis & appensis vidimus in hæc verba:* sequitur diplomatis Romani extensus tenor, quo recitato pergit Episcopus: *Nos igitur altercationis & dubietatis materiam super hujusmodi amputare cupientes, ne frivolis detur locus contradicendi, ad veritatem confirmandam nostrum sigillum duximus, præsentibus apponendum: Confirmantes nihilominus omnes indulgentias sæpè dicto Monasterio in Wessesbrunn à prædictis Dominis Episcopis elargitas. Datum Augustæ anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, calendis Julii. Ad hæc omnibus ejusdem Monasterii Benefactoribus quadraginta dies criminalium, & annum unum venialium de injuncta ipsis pœnitentia indulgemus.*

5. Neque minus pro Monasterii defendendis juribus vigilavit Marquardus, dum à Bonifacio VIII. summo Pontifice geminas obtinuit Bullas, quibus bonorum ac possessionum nostrarum defensio & vindicatio Abbati Campidonensi committitur. Primâ quidem plena judicandi potestas illi conceditur super omnibus Monasterio nostro subtractis: altera verò singulares quidam jubentur authoritate Pontificia coërceri. Primam illam, cùm communis sit & generalis, hîc omittimus: ex secunda initium

tium recitamus, ut, quantos passi simus adversarios, intelligatur. Hic itaque secundæ Bullæ tenor est.

Bonifacius servus servorum Dei dilecto filio Abbati Monasterii in Campidona, Constantiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Abbas & Conventus Monasterii S. Petri in Wessisbrunnen, Ordinis S. Benedicti, Augustanæ Diœcesis, quòd Conradus de Bailbrunen, Otto, Heinricus, Fridericus, Eberhardus dicti Ysenhover fratres, & Heinricus dictus Sulzenmoser, Laici Frisingensis Diœcesis, super terris, debitis, possessionibus, redditibus & rebus aliis injuriantur eisdem; ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint, censurâ simili, appellatione cessante compellas, veritati testimonium perhibere. Datum Laterani quinto Calendas Aprilis, Pontificatûs nostri anno nono. Subscriptus legitur Bullæ *Andreas de Spello.*

6. Quid Abbas Campidonensis effecerit, númve insolentes milites domuerit, atque ad saniora reduxerit, non reperio proditum. Interim nobilium illorum familiæ tum exspirârunt, tum gentilitiis honoribus exciderunt; nam Sulzemosiis successêre Geböckii: Eysenhovium Episcopis Frisingensibus cessit: Bailbrunnenses, quantum sciam, penitus evanuerunt. At meum non est judicare, quæ causa ruinæ fuerit. Bonifacius Papa, harum Bullarum largitor, ejus nominis octavus, S. Cœlestino V. Papæ succéssit in Pontificatu, quem ultrò abdicantem in Castro Fumone reclusit, publicæ quietis gratiâ: nobis semper inter beneficos celebrabitur bonorum nostrorum vindex.

7. Oblationibus quoque fidelium aucta est res nostra sub Marquardo. Exemplo est Irmengardis uxor Conradi Castner Fridbergensis, quæ moriens in solatium animæ suæ legavit bovem, cujus omnes fructus quotannis librâ ceræ redimerentur.

Denique præter alias locationes prædium antea Werigando Reichlinger locatum, & redemptum, concessit in vitalitium nobili Domino Engelscalco de Wildenrode: cujus familia sequentibus annis munificam se monasterio præbuit. Atque hæc sunt, quæ de Marquardo Abbate ex tabulis nostris eruimus. Præfuit viginti annis, & sacros fasces Gebehardo cessit anno 1306.

(a) *Cap. II. hujus sæc. §. V. num. 11.* (b) *nempe Cardinalium & Episcoporum ibidem nominatorum.*

§. II.

Gebhardus Abbas XXVIII.

1. CRedibile est, hunc etiam Abbatem fuisse extraneum, sive huc postulatum, sive intrusum; non enim vocatur à Stephano nostro *Congregationis nostræ Monachus*, & peculiariter de eo notatur, quòd nomen ejus in Necrologiis Wessofontanis nullibi locorum inveniatur. Igitur & adventus ejus, & discessus ignoratur, imò & ipsi regiminis anni. Ultimum ejus monimentum exstat de anno 1314. ultra quem quamdiu præfuerit, in incerto est. Nam ab Udalrici Eberspergensis tempore jam desitum fuit tam Chronicum nostrum, quam acta imperii eò usque continuata: solùm ex relictis dispersisque variorum tractatuum schediasmatis, Bullis, diplomatis magno labore Stephanus corrasit, quæ deinceps ultra centum annos referemus.

2. Primum Gebhardi Abbatis negotium fuit partitio subditorum, quæ tum temporis vigebat, sicut sub Abbate XXI. exemplum attulimus. Ejusmodi partitio facta est inter Gebhardum Abbatem & Othiliam Abbatissam in S. Altonis Monasterio, in quo tunc vigebat Ordo S. Benedicti. Instrumentum erectum fuit anno 1308. in festo S. Alexii. Porrò antiquissimum istud S. Altonis cœnobium initio à monachis, deinde â sanctimonialibus Benedictinis cultum fuit, quibus Abbatissa olim præfuit S. Euphemia Diessensis, soror germana Divæ Mechtildis, aliæque usque ad annum 1487. quo tempore cùm inveniretur collapsum penitus & inquilinis vacuum, Georgius Bavariæ Dux illud restauraturus obtinuit ab Innocentio VIII. summo Pontifice Bullam, vi cujus deinceps Ordo S. Birgittæ fuit introductus.

3. Alterum Gebhardo negotium fuit oblatum occasione vineæ cujusdam in Tiroli. Anno Domini 1310. die 24. Octobris Bulsani in cœmeterio Patrum Dominicanorum locatum est rus aliquod prope Gries, & prædium, quod Englburger-Hof appellabatur. Conduxit illud Rublinus Conradi Englburger filius cum uxore Agnete, jussúsque est Monasterio quotannis pendere duodecim urnas vini. Locationi huic interfuit Hermannus Pydenger monachus Wessofontanus, cum duobus Gebhardi Abbatis famulis, Udalrico Rosa, & Udalrico Püzenhauser. Adjectæ conditiones certæ, & conductori impositæ, quas instrumentum continet, à No-

à Notario Cæsareo confirmatum atque subscriptum, sed ob prolixitatem hîc omittendum.

4. Tertium, quod invenio, Gebhardi Abbatis negotium fuit cum Wernhero viro nobili; ùt credimus; vocatur enim Ludovici Comitis Palatini & Ducis Bavariæ Vicedominus Dachaviensis. Uxor fuit huic Elisabeth, filius Wernherus. His Abbas in vitalitium concessit prædium Hantenshovense tamdiu possidendum, quamdiu unus illorum superstes in vivis ageret. In pretium Gebhardus accepit viginti libras denariorum Monacensium. In recognitionem seu censum annuum nihil aliud monasterio dare jubebantur, nisi singulis annis unum pondo ceræ. Habemus desuper instrumentum à Gebhardo editum, sed charactere tam misero descriptum, ut ne Stephanus quidem noster illud transferre in suos codices integrum auderet, licèt temporibus illis vicinior, plusquam ducentos annos ab ætate nostra.

5. Hactenus curas Gebhardi exsplicavimus: nunc etiam monasterii Benefactores, sub ejus præsidio in illud liberales celebremus. Nam tametsi tenuia restent vestigia observantioris isto, de quo scribimus, seculo disciplinæ; non desiit tamen misericors Deus dilecti sibi Benedicti respicere merita, & pias fidelium voluntates ad benefaciendum nobis excitare. Fuit in his Grymoldus, venerabilis & grandævus presbyter, qui genitis ex legitimo antehac matrimonio filiis Henrico & Conrado, seculi affectus tædio post uxoris mortem ad sacerdotium se transtulit, effectus demum Parochus ad S. Petrum non procul ab agro Gratschensi. Is emptum ab Henrico Geiger torculum monasterio nostro donavit eâ lege, ut ipse nobis, quoad viveret, ex eo singulis annis penderet libram denariorum Veronensium; post ipsius verò & filiorum decessum proprietate torculi ad monasterium devolutâ, singulis feriis secundis Missa apud nos celebraretur in solatium defunctorum. Testes donationis erant frater Laurentius monachus Wessofontanus, & Hermannus civis Augustanus, aliique homines honestissimi. Datæ fuerunt desuper litteræ anno 1313. die 2. Novembris. Laurentius porrò monachus, quem inter testes hîc legimus, homo fuit generosus ac nobili ortus prosapia, qui Wernhero II. Abbati fideliter adstitit contra machinas Abbatis Udalrici, decessoris sui, & Stamsensium monachorum; ùt paulo pòst ostendetur.

6. Grimoldi erga nos munificentiam superavit ingenua liberalitate Otto vir secularis & nobilis, de quo dubitare vix possumus, quin de illu-

illuſtriſſima hodiéque florente Baronum Egkerorum familia fuerit oriundus; habet enim pro inſigni ſuo tres rhombos, ſicut hodierni, ſed nigros in campo albo, quales eos calamo tantùm formatos invenimus; in ſigillo enim cereo colores diſtinqui non potuerunt. Uxorem habuit Otto Gerbirgam, filios verò Ottonem & Georgium. Poſſederat prædium Egk in Foreſto, quod Eccleſiæ noſtræ ſpontanea liberalitate ſubjecio, promittens in cenſum annuum octoginta denarios monetæ Ratisbonenſis. Teſtis geſtæ rei aderat Chunradus Rauter Parochus Reyſpacenſis, cum germano ſuo Herrando, aliiſque pluribus. Notandus eſt teſtis iſte in memoriam, quòd eo etiam tempore in Eccleſiam Reyſpacenſem ad monaſterium noſtrum quidpiam juris ſpectaverit, cùm Parochus apud Fontes noſtros, tanto itinere, præſentem ſe ſtiterit. Expeditum eſt ſuper hæc inſtrumentum, anno poſt milleſimum trecenteſimum decimo quarto.

7. Debemus nos Weſſofontani gratias magnas illuſtri huic viro, cujus liberalitate cenſus iſte in monaſterii utilitatem venit: debemus etiam majores cum univerſo Ordine Benedictino, cujus curæ doctrinæque gubernandum credidit erectum à ſe ornatúmque Lyceum Friſingenſe Reverendiſſimus ac Celſiſſimus S. R. I. Princeps & Epiſcopus Friſingenſis JOANNES FRANCISCUS, ex eadem Egkerorum equeſtri & antiqua proſapia: maximas iterum Weſſofontani, è quorum numero, ejusdem Principis favore in eodem Lyceo ſcholaſticos inter pulveres clementiſſimè foti ſunt ſex Religioſi, publicis & honorificis cathedris præfecti.

Cæterùm hiſce totam Gebhardi Abbatis hiſtoriam claudimus, imò abrumpimus, cùm nullibi reperiamus, mors, an ſors eidem clavum extorſerit; neque annum poſiti regiminis in Chronicis noſtris, neque nomen ipſum in Necrologiis inveniamus.



CAPUT

CAPUT IV.

Udalricus IV. Abbas XXIX.

§. I.

Genus, Professio, Dignitas Udalrici.

1. IN confesso est, nobilem olim floruisse Thayningerorum familiam, atque id ipsum jam superiùs (a) comprobatum invenies, ubi quoddam donationis à Kolbio factæ Instrumentum sigillo & insignibus Heinrici Thayningeri munitur, erectum sub Wernhero hujus nominis primo, inter Abbates vigesimo quinto. Præferebant hi Nobiles in scuto gentilitio rotam molarem, prout ex appensa testimonio cerâ patet. Neque omittenda videtur hoc loco vetus traditio, ad hoc usque tempus tum seniorum relatu, tum sacrorum curiorum de Cathedris narratione propagata. Visuntur Thayningæ templa duo, primum Divo Martino sacrum, parochiale est & baptismale. Alterum non minus spectabile S. Wolfgango Ratisbonensi quondam Episcopo dedicatum. Secundi hujus origo ac fundatio sic evenisse narratur. Nobilis quidam Thayningerus & pietate & sanguine, ad celebrem S. Wolfgangi Ecclesiam, quæ ad pedem montis Falconis in Austriaca ripa lacûs Aberni hodiéque à plurimis frequentatur, religionis ergo profectus fuerat, monitúsque in somnis, eidem Divo templum in patria sua ædificare spoponderat. Verùm cùm evigilans & promissi memor vires suas opésque promisso impares expenderet, constans tamen in proposito manere statuit, malens splendori aliquid suo, quàm religioni, qua se S. Præsuli adstrinxerat, quidquam decedere. Animum bonum respexit Deus, fecitque, ut fert traditio, ita nummos in crumena crescere, ut nunquam deficeret operariis merces, structuræ materia, & materiæ pretium. Ex pia hac religiosáque Thayningerorum familia ortum fuisse Udalricum nostrum, de quo nunc loquimur, Abbatem, duo domestica, & unum Tegernseense, monasterii nostri Chronica testantur, in quibus disertè nobilitatis præconio honoratur. Quibus maximum pondus addit coævum Friderici Episcopi Augustani instrumentum, in quo & nomen & cognomentum Abbatis hujus exprimitur. Illud inferiùs ad litteram daturi sumus. De Udalrici hujus professione Wessofontana nihil causæ habemus, cur illam negemus, fidem faciente tum indicato cognomine, tum ipsâ exin-

 de

de locorum nativitatis, & profeſſionis viciniate; duarum enim horarum itinere Thaininga à monaſterio noſtro diſtat. Weſſofontanum ergo credimus, virúmque, ſi mores & genium ſpectes, probum, induſtrium, & pium: ſi rerum gerendarum peritiam, plus columbæ, quàm ſerpentis habentem. Docebit hoc præſens hiſtoria. Columbina tamen, quæ in eo prælucebat indoles, perſpecta probitas & ſanguinis nobilitas effeciſſe videtur, ut illum concordibus votis in Abbatem eligerent, qui manſuetum in eo patrem ſe habituros ſperabant. Neque verò fefellit eligentium ſpem, donec vel extrema monaſterii neceſſitas, vel proprii judicii pertinacia, vel nimia de conceptis animo conſiliis taciturnitas eum in foveam præcipitavit, ex qua emergendi facultatem nullis viribus potuit obtinere. Difficillimum eſt, de hoc Abbate judicium ferre, cùm veteres noſtri eum vituperent ex cauſis, quæ ipſos pro illa temporum iniquitate poterant commovere. Neque admodum laudare præſumo, cùm in obſcuro ſit, an illaudabili rerum gerendarum negligentia, vel imperitia, vel indiſcreto zelo, monaſterium ad eas redegerit anguſtias, quas maximo facultatum noſtrarum diſpendio luere coacti fuimus, & in hodiernum diem luere non ceſſamus. Nequid iniquum impingere Udalrico videar, cautè procedam, ac primùm, quæcunque laude digna geſſit, candidè ſincerèque proponam. Quo anno regimen ſuum auſpicatus ſit, tam incertum eſt, quàm quo anno Gebhardus illud depoſuerit: hoc unum affirmare poſſum, nec anno decimo quinto hujus ſæculi priùs, nec anno decimo octavo ſeriùs ad clavum acceſſiſſe, ùt Chronologia docebit.

(a) *Hujus Sæc. Cap. I. §. IV. num. 1.*

§. II.

Conciliata Fidelium liberalitas erga monaſterium Weſſofontanum.

3. CONſpicua Udalrici Abbatis pietas, morúmque lenitas, comitante maximè alloquii ſuavitate atque erga quoslibet humanitate, complures monaſterio Patronos & amicòs conciliavit, quorum augere numerum ſi conſtantiùs & cautiùs laboràſſet, nihil fortè futurum erat cauſæ, cur ad ea demum proveheretur extrema, quæ paulò inferiùs deplorabimus. Primum quidem Conradus Zeller, civis Landſpergenſis,

gensis, cui pluribus titulis ac nominibus fueramus obstricti, propter subsidia in auro argentóque, ac rebus aliis nobis præstita, componente agentéque Udalrico, acceptam qualemcunque solutionem pro integra acceptavit, ac laceratis aut restitutis ultrò chirographis, omni nos deinceps debito, sollicitudine, timore absolvit, dato nobis in rei fidem ac promissorum securitatem singulari instrumento, anno 1319. sabbato post festum S. Blasii.

4. Facta est jam superiùs mentio de nobilibus Wildenrodiis, quorum uni Engelschalco nomine Marquardus Abbas prædium Husanum in vitalitium tradidit; Conradus ejusdem Engelschalci, ut videtur, filius vel etiam frater, in remedium animæ suæ majorúmque suorum liberaliter Ecclesiæ Wessofontanæ donavit Advocatiam, quæ ipsi super villam Morenvveisii sitam competebat, unáque homines proprios, quos habebat Wildenrodæ, in monasterii jus ac proprietatem transmisit. Habemus Conradi chirographum, quod in donationis testimonium reliquit, anno Domini 1320. in die Andreæ Apostoli.

5. Anno proximè sequente vir nobilis Eberhardus de *Widersperg* copiosam donationem DEO & S. Petro monasterii nostri Patrono fecit, dum in potestatem nostram transtulit, nostræque jurisdictioni subjecit omnes homines proprios, unà cum hæredibus eorum, quoscunque habuerat Ubereckii, Günzelhovii, & Widerspergæ: atque id spontanea liberalitate, amore DEI & S. Petri Apostoli, in remedium animæ suæ, omniúmque hæredum ac posterorum suorum: quam donationem sua manu, sigillóque proprio confirmavit, anno Domini 1321. in festo S. Jacobi Apostoli.

6. Anno salutis 1318. Udalricus decimas minores Landspergenses contulit Plebano seu Vicario ejusdem civitatis, eâ lege, ut pro iisdem in recognitionem, ùt tunc loquebantur, monasterio quotannis ab illo persolverentur tres libræ denariorum Augustensium. Biennio post in festo S. Galli Udalricus Greiffe de Oberlannen & Gertrudis uxor ejus emerunt situm in eodem loco prædiolum vitalitii nomine, Advocatiâ monasterio relictâ, & annua pensione juxta contrahentium amicabilem compositionem pro qualitate annorum constituta. Sic enim intelligo relictum à Greiffio chirographum, quem ex proprii sigilli usu pro illorum temporum consuetudine nobilem fuisse conjicio. Datum est illud & signatum anno Domini 1320. in die S. Galli.

7. Anno 1318. Udalricus Abbas tractatum iniit cum Svvickero de *Brandis*, nobili Tirolio, cujus stirps hodie ad Comitum dignitatem evecta floret. Contulit huic Abbas & locavit curiam Lenzerhof appellatam in Niderlannen. Hæc curia continebat domos, agros, prata, vineas, culta & inculta: quorum omnium duodena nominantur loca, hîc non repetenda, cùm vel jam perdita sint, vel certè nomina interierint. Hanc curiam seu prædium, ùt videtur, copiosum ac fertile, Udalricus Abbas plenissimo jure in perpetuum cessit Svvickero ac hæredibus ejus, cum libertate disponendi, imò & vendendi: ea tamen lege, ut si placeret aliquandò vendere, id Abbati insinuaret tribus ante venditionem mensibus, cui ante cæteros emptores competeret jus redimendi, & pretio quidem remissiore. Quodsi Abbas redimere nollet, liberè vendere Svvickerus posset cuicunque, exceptis personis religiosis, nobilibus, nimis potentibus, aut Ecclesiis, talibúsque emptoribus, à quibus Abbas in jure vel censu suo posset aggravari. Adjectæ fuerunt conditiones aliæ: verùm postrema hæc una satis indicat, quàm periculosa fuerit pactio, quámque manifestum discrimen, locupletissimum hoc prædium omnino amittendi. Instrumento huic subscribitur Notarii nomen his verbis: *Ego David de Merano Imperiali auctoritate Notarius interfui prædictis omnibus, & rogatus scripsi.*

8. Porrò Svvickerus sua manu sigillóque munitum aliud nobis instrumentum reddidit, quo se prædium istud sub conditionibus insertis sibi concessum acceptare, tractatúmque approbare profitetur, præsentibus Domino Chunrado, Venerabili Præposito S. Mariæ in Raitenbuch, Dominis Sibottone Plebano in Lannen, aliisque testibus Clericis, & Laicis. Acta sunt hæc omnia anno, quo supra, Indictione I. die Octobris penultima, nomine Abbatis, & Conventûs assensu, ast, quibus aliis debitis oneratum deinceps monasterium fuerit, sub Abbate sequente videbimus.

§. III.

Ruina Udalrici Abbatis, & monasterii miseranda turbatio.

9. Quæ clara hactenus ac dilucida de Udalrico Abbate retulimus, finem jam habent. Ingredimur tunc tenebrosum chaos, & turbulentum mare calamitatum. Nolim ego dijudicare, num adactus

actus rei familiaris inopia, an agitatus zelo rigidioris disciplinæ, periculosum fœdus cum cœnobio Stamsensi inierit Udalricus, unde extremum discrimen ordini ac monasterio nostro, & nova metamorphosis impendebat. Alienum æs grande suscepit Abbas noster ab Abbate Stamsensi tum suos in usus, tum in monasterii nostri, ùt putabat, emolumentum. Oppignorabantur Stamsensibus bona plurima, præsertim in montanis; cúmque jam hæc non sufficerent, monachi Stamsenses alii ex aliis ad Wessonis Fontes è Tiroli emigrabant, & Cistercienses permixti Benedictinis eodem choro, eodem cœnaculo utebantur: atque ita quidem, ut jam fortior ac numerosior esset Stamsensium cohors. Erant etiam ex antiquis incolis, qui Udalrici partibus addicti consilia ejus probarent, & manifestum ordinis nigri excidium, quod ob oculos non omnino cæcutientes versabatur, æquo animo tolerabant, sive, ut dixi, arctioris disciplinæ zelo inducti, sive Ulrici Abbatis & Stamsensium pollicitationibus deliniti. Contra verò nonnulli attentiore oculo rem considerantes, commoveri primùm, indignari, tum consilia inter se conferre, demum in apertas cum Stamsensibus dividias erumpere; maximè cùm viderent, eò jam etiam ventum esse, ut aliis ex Tiroli ad nos emigrantibus, alii ex nostris transirent in monasterium Stamsense.

10. Fuêre inter nostros præcipui quatuor, quibus antiqui moris & observantiæ studium cordi erat, tam aperta verò novarum rerum machinatio summo dolori. Eorum nomina vetus epitaphium prodit. Primus fuit Wernerus de Greutt, vir vetustæ probatæque nobilitatis, & animi maxima quævis ausuri. Alter Laurentius, in monasterii negotiis diu exercitatus: alius item Wernerus, ac demum Conradus, de quorum præclaris natalibus certi sumus, sed stemmatum nomina nuspiam consignata reperimus. Hi, nequid præcipiti consilio agerent, captantes occasionem & tempus opportunum, Abbatem Udalricum monuêre sæpiùs, futura prospiceret, & quem in finem novitas hæc esset eruptura, consideraret: si monasterio consultum vellet, alia quavis ratione uteretur, quàm ista, qua non cœnobii restauratio, sed omnimoda pristini statûs eversio quæreretur. Adjecêre momenta alia, sed nihil effectura.

11. Cùm igitur Udalricum Abbatem nihil de cogitata novitate remittere cernerent, Wernerus cum tribus, quos supra nominavi, sodalibus monasterio valedixit, & ad nobiles quisque propinquos aut consanguineos suos se recepêre, curâ gerendi coram Imperatore negotii in Wernerum Greutterum rejectâ. Quod ubi comperit Udalricus Abbas, serò cœpit animo contremiscere, ac metuens Cæsaris majestatem, quo incon-

inconsulto exteros homines in Bavariam induxisset, semetipsum cum nigris suis monachis, qui pauci adhuc cum ipso permanserant, utpote cæteris jam Stamsium præmissis, occultâ fugâ subripuit, atque ad idem monasterium transmigravit: nostrum verò cœnobium solis jam Cisterciensibus, quibus nimiùm sese obnoxium fecerat, gubernandum, regendúmque reliquit.

12. Qualem porrò novi hospites isti regiminis normam tenuerint, incertum est. De eo non videtur dubitandum, quin rerum gerendarum cardo penès Abbatem Stamsensem steterit, qui credibiliter disciplinæ curandæ Priorem, rei verò œconomicæ promum condum, vel, ùt ipsi vocant, Bursarium constituerit. Tanta verò erat hominum istorum confidentia, ut perpetuam se hîc sedem fixisse sibi persuaderent; nam & Udalrici Abbatis trepidationem, monachorum dissensionem, æris alieni multitudinem, monasterii verò sui opulentiam considerabant, quæ omnia animos ipsis addebant, ut locum jam ipsi studiis suis augmentare satagerent. Argumentum hujus fiduciæ manifestum est, quòd, tempore interregni hujus, monachi Stamsenses monasterio nostro, imò, jam suo, acquisiverint Parochiam Welchstattensem prope Wertham S. Rassonis exuviis celebrem infra lacum Ambronis. Quamquam rebus postea mutatis confirmatio desuper à judicibus curiæ Augustanæ obtenta non fuerit.

13. Interea Wernerus noster per suos, sodaliúmque suorum amicos viam sibi stravit ad Cæsaris audientiam, cui monasterii sui necessitatem cordatè exposuit, aptissimis ad Ludovici animum expugnandum argumentis usus. Imperator Ludovicus justas supplicantium querelas exaudiens, consilium & facultatem dedit, amicorum auxilio utendi, & qua possent arte, monasterium in potestatem suam redigendi. Capta semel possessione, Cæsarea authoritate tutos fore, promisit.

14. Accepta igitur licentiâ lætus ad suos reversus Wernerus monachus copias conduxit familiæ suæ, sodaliúmque suorum: Dux ipse & structor saluberrimi doli viam monstravit, quæ duceret ad interiora claustri: in facello S. Sebastiani, seu crypta subterranea fenestram tacitè perfringi jussit, equites armatos in dormitorium intromisit, iis instructos monitis, ut ne jura Ecclesiæ aut sacrarum personarum violarentur, sed verbis potiùs, quàm armis ageretur. Monachi pedum pulsu & armorum strepitu excitati evigilant, è cellulis suis trepidi prorepunt, bona verba gladiis opponunt; quid enim facerent inermes coram armatis?

cessêre

cessêre nimirum & victas dedêre manus, gaudentes tunc quidem, incolumes evadere se tempestatem, quam equidem potentia sua freti non præceperant animo, capitibus verò impendentem sive æqua sive iniqua mente suscipiendam judicabant; authoritate etiam Cæsaris territi, cujus acerbiorem vim in aliena provincia, ipsâque adeò Imperatoris patria, deinceps experiri parum sibi tutum putabant. Itaque vehiculis & equis adjuti, fidóque comitatu muniti ad montana reducti sunt, convasatis reculis suis, quas attulerant, & fortasse voluminibus quibusdam manuscriptis, de quibus infrà, nisi jam antea Udalricus Abbas ea fortasse oppignorâsse credendus sit.

15. Acta sunt hæc omnia anno salutis millesimo trecentesimo vicesimo tertio ad finem vergente. Udalricus Abbas dignitate sua exutus reliquum vitæ in Stamsensi cœnobio, tanquam præbendarius, exegit, ibique decessit è vivis. Quo loco sepultus sit, nullibi memoratur. Tres Werneri commilitones cum duce suo jam soli inane monasterium possidebant. Necesse est credere, tam Cæsareâ quàm Episcopali authoritate munitos ad electionem novi Abbatis processisse. Elegerunt verò Wernerum de Greutt, nobili genere natum, ùt pridem commemoravi: ex cujus majoribus jam plures, more illorum temporum, in Abbatum nostrorum nobilibus ministeriis versari consueverant. Certè legitimè electus ab ipso Episcopo Friderico agnoscitur, ùt ex ejus diplomate patet, quod paulò pòst proferetur.

16. Cæterùm, ne quæso offendatur lector mirabili hac, & nostris temporibus insolita ratione monasteria penes antiquum ordinem conservandi: qua si nunc quis uteretur, Ecclesiasticis utique censuris acerrimè vapularet. At meminisse oportet ruditatis, simplicitatis & asperitatis, quæ sæculo illo turbulento homines etiam sacros non reliquerat immunes. Dummodo ipsi monachi violentas manus non injicerent, dummodo sanguis non funderetur, dummodo cædes lethalis non fieret, satis jam cautum putabant, clementérque actum cum iis, quos tali terrore ejecerant. Et certè satis pacatè hæc omnia, quæ de Wernero hactenus narravimus, transacta fuisse, ex eo conjici potest, quòd nulla uspiam querela contra monachos nostros mota, imò Wernerus ipse protinus in Abbatis dignitate fuerit confirmatus: Abbas verò Stamsensis, nihil de vi vel injuria conquestus pro sola debitorum solutione contenderit, ùt ex Friderici diplomate ostendetur. Est igitur, cur DEO ter Optimo Maximo gratias agamus, quòd sine cæde & sanguine Benedictinus ordo monasterio nostro fuerit restitutus, nósque detersa jam illorum temporum barbarie, mansuetiori, ac feliciori ævo servati.

CAPUT V.

Wernerus II. Abbas XXX.

§. I.

Fundamentum Regiminis.

1. PRiusquam ad cætera Werneri acta transeamus, præmittenda necessariò est Friderici Episcopi Augustani sententia, qua subortam inter Abbates, Wessofontanum & Stamsensem, controversiam, tanquam arbiter ab utroque electus, diremit. Et profectò intererat Stamsensium, ut quæ Udalrico Abbati, ac monasterio nostro mutua dederant, creditoribus soluta redderentur. Intererat non minùs Abbatis Werneri, ut sublatis litibus regimen, quod erat diuturnum gesturus, pacatis undique rebus felicius auspicaretur. Fridericus igitur Episcopus hanc tulit sententiam, Stamsensibus utique, quàm nobis, æquiorem, quantum ad facultates temporaneas attinebat; nobis autem ex eo gratissimam, quòd controversiæ summam fuerimus assecuti, nigri nimirum ordinis perpetuitatem & conservationem, quæ propterea primum in judicio locum obtinuit. Formam diplomatis Episcopalis ex ipso autographo, quod in charta pergamena difficillimo charactere exaratum, & à Reverendissimo Abbate Thassilone felicis memoriæ ex Archivo mihi traditum ante viginti quinque annos magno labore & oculorum contentione descripsi, recitabo; licèt idem ipsum nunc in antiquo Codice chartaceo invenerim; ex quo solum nunc titulum ac inscriptionem mutuam sumo. Sic autem habet.

Qualiter Wernerus Greutter Abbas Wessinsbrunnensis cum Udalrico Tainunger antecessore concordatus est per Fridericum dictum Spetten Episcopum Augustensem sub anno primo suæ confirmationis Greutteri.

NOs Fridericus Dei gratiâ Episcopus Ecclesiæ Augustensis in causis, lite seu controversia, quam honorabiles viri Abbates in Wazzisbrunn & in Stambs sibi movebant ad invicem, per ipsas partes cum debita solemnitate electi & assumpti in arbi-

trum

rum, arbitratorem & amicabilem compositorem, habitis hinc inde multis & variis tractatibus, partibus petentibus arbitrium, arbitrationem, & amicabilem compositionem, protulimus & proferimus in his scriptis: Primò *volentes, & diffinientes, quòd monasterium in Wessisbrunne sub Ordine S. Benedicti debet in statu solito permanere, & quòd Abbas in Stams, Conventus ipsius, & successores eorum in eodem monasterio nullum jus sibi debent de cætero vindicare.* Item, *quòd possessio seu Curia, quæ dicitur Wiltamingen, in montanis sita, cum suis pertinentiis, quam Abbas & Conventus in Stams à monasterio Wessisbrunne de nostra auctoritate & consensu legitimè comparaverunt, monasterio de Stams jure proprietatis & dominii debeat perpetuò remanere.* Item *diffinimus & ordinamus, quòd Abbas in Stams omnes fructus & proventus anni præteriti, quos integrè non recepit, de omnibus possessionibus monasterii in Wessisbrunne, sitis in Montanis, adhuc residuos integrè recipere debeat, & à colonis exigere & habere.* Item, *diffinimus & ordinamus, quòd Abbas in Wessisbrunne omnes monachos monasterii sui, qui se receperunt in Stams, præter Fratrem Udalricum dictum Tayninger quondam Abbatem in Wessisbrunne, recipere debeat & colligere ac reassumere in monasterio suo more solito & consueto.* Item *diffinimus, statuimus & ordinamus, quòd omnes proventus, redditus & obventiones, quas Abbas in Stams quocunque modo recepit de possessionibus monasterii Wessisbrunne ubicunque situatis, sibi quietè debeant remanere, in recompensam & refusionem debitorum, quæ solvit pro monasterio Wessisbrunne, & pro mutuatis seu commodatis fratri Udalrico quondam Abbati in Wessisbrunne, & pro omnibus expensis & impensis, quas fecit pro utilitate monasterii in Wessisbrunne, quocunque modo factis, ita quòd Abbati de Stams & monasterio suo nulla competat repetitio vel actio de eisdem.* Item *super possessione in Afflingen, quam monasterium de Stams comparavit & emit à monasterio Wessisbrunne, de qua competere dicitur monastrrio de Wessisbrunne jus reemptionis, diffinitionem, arbitrationem & amicabilem compositionem nobis, quid agendum sit, in posterum reservamus.* Insuper *quia de præmissis multa possent dubia suboriri, nobis de consensu partium reservamus authoritatem & potestatem, illa quæ diffinita non sunt in præmissis, seu declarata, diffiniendi, componendi vel arbitrandi, nec non omnia dubia præmissorum, & adhuc diffiniendorum declarandi, interpretandi, diffiniendi, nec non pœnas violationis cujuslibet imponendi vel moderandi, sicut nobis visum fuerit expedire. In quorum omnium testimonium & firmitatem præsentes litteras conscribi fecimus, & sigillo nostro legitimè communiri. Datum & actum Augustæ anno Domini millesimo tretentesimo vigèsimo quarto, decimo septimo Calendas Junii.*

2. Quantum ad hanc Episcopi Friderici sententiam attinet, id ante omnia notandum, ab Abbate Conventúque nostro morem illi fuisse gestum per omnia. Sicut enim non legimus, à Stamsensibus quidquam juris quæsitum deinceps fuisse in monasterium nostrum, ita Wernerum ja-

quam occlusisse revertentibus è Stamsensi cœnobio monachis apud nos olim professis, nullibi invenimus. Curiam in Willramingen Stamsensium dominatui relictam ex eo colligas, quòd nulla ampliùs ejus mentio in nostris documentis fiat: idem omnino quo ad cætera, à Friderico Stamsensibus adjudicata, sentiendum. Neque actio ulla à nobis intentata est Cisterciensibus, præterquam repetitio Codicum quorumdam, quos sive Udalricus Abbas ejúsve sectatores, sive Stamsenses monachi secum abstulerunt: verùm de his inferiùs fiet mentio. Quid de possessione Aflungensi, cæterisque dubiis fortè suborituris decisum sit, nescimus: nihil desuper vetera nostra monumenta loquuntur. Cæterùm satis multa, unius ob noxam, vel ut modestiùs loquar, Udalrici Abbatis incuriam monasterio nostro decessisse bona, manifestè hæc Friderici sententia clamat. Denique superiùs de Udalrico Abbate, de monachorum migrationibus, de dissidiis ex re ipsa natis dicta quàm vera sint, plurimùm ex ipso Episcopi diplomate, nec difficulter, à quovis oculato videri & intelligi potest: ut non tam vulnera refricare, quàm ad lætiora transire expediat.

§. II.

Quæ Wernerus Abbas gesserit ad restaurandas monasterii ruinas in temporalibus.

3. TAm multa sunt, quæ Wernerus diuturno sui regiminis tempore gessit, ut nullus annus (præfuit autem quadraginta & uno) singulari in monasterium merito vacuus fuerit. Erat ruina in rebus major, quàm moribus: proin rerum pessundatarum ac perditarum reparatio vel sola omnem Abbatis curam sibi potuit vendicare. Nunc si referam, quibus Advocatorum oneribus, quo alieni æris pondere, qua decimarum jacturâ Wernerus cœnobium liberaverit: quæ prædia redemerit, quas lites sustulerit, quos amicos paraverit, quibus tum contractibus tum emptionibus rem familiarem auxerit; gratam fortè narrationem œconomiæ studioso præstabo, sed non æquè alteri cuivis, qui vel divini cultûs incrementa, vel disciplinæ vigorem, vel viros eruditione ac virtute præstantes, vel miros æternæ Providentiæ lusus in historia requirit. Itaque his ita satisfacere contendam, ut & illi, intento solùm digito, videant, quo pasci queant: nequis me accuset, molestum sibi me fuisse à studiis suis aliena narrando; aut desiderata subtraxisse, cùm & hic compendio sim relaturus ea, quæ, si superi vitam & Superiores veniam dabunt, altera parte Instrumentaria, non sine cæterorum quoque antiquitatis amantium delectatione, legentur.

4. Ita-

4. Itaque Wernerus, ut à levissimis incipiam, plures permutationes fecit eo fine, ut remotiora monasterii prædia cederet aliis, viciniora compararet. Talis fuit illa, quam Wernherus noster fecit cum Wernhero Abbate Fürstenfeldensi aliquot pratorum & jugerum terræ anno 1327. Talis & illa cum Henrico Karben de area quadam Menzingana, cum jure desuper ædificandi 1340. Talis demum, omissis pluribus, illa inter Abbatem nostrum, & Duringum Abbatem Benedictoburanum, cui noster cessit jus suum in Musse, & aliud Peulense, tanquam nobis vicinius, accepit anno 1359.

5. Debitis quoque monasterium feliciter liberavit, dum Landspergæ à Wernero Vicedomino prætensionibus ab Agnete Bertholdi Greutteri vidua factis absolutus est anno 1329. dum Wolfhardus & Otto Zwerger in se receperunt solutionem quindecim solidorum Kurzio præstandam anno 1351. dum ab Udalrico Thorer, Judice Monacensi, persuasum est Henrico Chæpelman, ut debito quatuordecim solidorum nos liberos renuntiaret anno 1361.

6. Prædia, decimas, subditos diversis modis alienatos redemit & in monasterii proprietatem vindicavit; nam inter cætera Mantelhofense & Hagenlehense prædia Friderico Greuttero censibus & servitutibus obstricta precibus & eloquentia recuperavit anno 1336. Decimas quasdam Landspergenses & Pergenses tribus successivè civibus Augustanis venditas ad jus monasterii reduxit anno 1361. Henricum Uffinger, ut homines proprios in Pestenacker sibi concessos vel impignoratos in ipso S. Benedicti festo monasterio nostro lubens remitteret anno 1335.

7. Advocatorum onere, qui variis nostris bonis insederant, monasterium liberavit Wernerus; ab eo enim permotus Otto Teufelhart civis Monacensis Advocatiam suam, quam habuerat in prædiis quibusdam Menzinganis, Pippinganis, & Mosachensibus, monasterio remittere se datis litteris professus est anno 1325. Eodem anno jus Advocatiæ super tria prædia Scheffoltingana, & unum Neuhusanum sibi venditum, licet hæc prædia in statum multò meliorem, quàm quo vendita fuerant, eodem quo emerat pretio restituit Conradus de Wildenrott. Aliis tribus Scheffoltinganis, in quæ eodem jure gaudebat, ultro renuntiavit Mechtildis uxor Udascalci de Ehingen anno 1326. Jordanus Häring de Ollstatt Advocatiam suam super prædium quoddam in Garmischgau nobis remisit anno 1335. Theodoricus de Eresingen Advocatiâ in prædiis Pözenhusanis & Aychensibus se ultro abdicavit anno 1350.

 8. Plu-

8. Plures alios monasterio utiles contractus Wernerus iniit; præcipuè cum Tyrolensibus Clericis æque ac laicis, ita ut Religiosi nostri, servi & nuncii in quinque diversis locis apertum reperirent hospitium, in quibus nullo suo, sed alieno sumptu reficerentur; eam enim conditionem Wernerus adjecerat vinearum & agrorum emphitheutis præter alias annuas pensiones & census: ut nempe superfluis ex parte nostra expensis parceretur. Tale hospicium erat Oeniponti apud Udalricum Peringer, apud Greymoldum Parochum S. Petri prope castrum Tirol, apud Richorum & Sigisfridum fratres in Reutt, apud Christianum de Gattern in Zürel, apud Udalricum Fleyser in Gratsch, aliósque.

9. Ex omnibus his facilè colliges, quanta damna averterit, quanta commoda procurârit Wernerus; jam enim ad solum monasterium redibant omnes prædiorum fructus & subditorum obsequia, quibus antea Advocati & creditores fruebantur, nobis cum paupertate & penuria rerum luctantibus. Hæc probrosa incommoda Wernerus sustulit, at non aliis artibus, quàm pietate, germano candore, affabilitate, prudentia, & conciliata exinde apud summos & imos authoritrte.

10. Ad temporalia commoda non incommodè revocari possunt partitiones illæ subditorum inter dominos, quales jam semel iterúmque ab Abbatibus nostris initos ostendimus. Wernerus concordiam & pacem inter vicinos hac ratione conciliari & litibus obicem poni expertus, non dubitavit aliorum exempla sequi. Itaque anno 1336. cum Conrado Præposito Pollingano ejúsque Collegio similem contractum iniit, cujus exemplum integrum recitare non otiosum videbitur, unde cætera similia cognoscantur. (a)

Litteræ partitoriæ de Pollinga.

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Dignum memoriâ negotium, ne morbo pereat oblivionis, præsenti pagina declaratur hanc volentibus intueri. Pateat igitur eisdem, quòd nos Chunradus Dei gratia Præpositus sancti Salvatoris in Pollingen cum communi consilio nostri Conventûs in idipsum benignè consentientibus hoc modo convenimus, & amicitiam specialem cum fraterna dilectionis amore, qui fideliter hactenus inter nos, & monasterium S. Petri in Wessesbrunnen floruit, innovare studuimus & confirmare. Statuimus igitur communiter, ut quicunque de familia sancti Salvatoris in Pollingen ex familia Wessesbrunnensi & è converso matrimonium contraxerint, vel adhuc contrahere voluerint, propterea non incurrant offensam Dominorum, nec ab ipsis ob hoc aliquod damnum patiantur; liberi verò, qui de tali con-

1 8 tractu

tractu procreati fuerint, æqualiter dividantur. Ut igitur hæc rata permaneant, & à nullo successorum nostrorum violentur, præsens scriptum sigillis nostris est confirmatum. Statuta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCCCXXXVI. octavo Calendas Septembres. Id est, 25. Augusti.

11. Eodem anno similis partitio facta & pacta est inter Abbatem nostrum & Conradum Præpositum ac Archidiaconum Raitenbuchensem, instrumento de verbo ad verbum cum Pollingano consentiente, datóque 23. Augusti. Item datæ sunt ejusmodi litteræ à Conrado Præposito Diessensi, eodem anno 20. Augusti. Anno dein 1339. tertia die Junii Conradus Præpositus monasterii S. Tertulini in Schlechdorff ejusdem generis nobis litteras dedit. In his omnibus tria considero, ac inprimis antiquitatem dignitatis Archidiaconalis penès Ecclesiam & Præposituram Raitenbuchensem. Secundò, Canonicorum Regularium Collegia, quæ hodie *Capitula* vocantur, illo tempore Conventuum nomine conformiter appellata. Tertiò, quatuor vicinos Præpositos in idem tempus homonymus, nempe Conradi nomine insignitos convenisse, quod hodie raro contingere videbimus.

12. Denique Anna quoque Abbatissa monasterii sancti Altonis eandem nobiscum subditorum partitionem fecit litteris vernacula lingua scriptis, anno Domini 1345. in festo S. Martini. Duas itaque illius monasterii Abbatissas produximus. Adde Hiltrudem ex Hundio, S. Euphemiam ex Bollando, & plures ex Necrologio nostro.

(a) *Ejusmodi partitio prima exponitur suprà Sæc. V. Wess. C. VII. § IV. num. 10. sub Abbate XXI.*

§. III.

Quid ad cultûs divini augmentum, & litterariæ rei incrementum contulerit Wernerus Abbas?

13. SI natam ex inconsulto Udalrici Abbatis novandi desiderio turbationem, & monasterii nostri ruinam consideres, credere possis, omne tempus Wernero successori periisse in sola temporalium cura, ut qualemcunque tandem vigorem labefacto cœnobio redderet. At non sic ille se abripi passus est terrenarum rerum procuratione, ut non etiam de cultûs divini augmento cogitaret. Aptam occasionem obtulit Grymoldus

dus S. Petri prope arcem *Tirol* dictam Parochus, quocum, utpote vineis nostris vicino, conversandi opportunitatem fere quotidianam habebat Abbas. Memor hic igitur beneficentiæ & religionis, qua Grymoldus jam pridem Missam singulis totius anni secundis feriis in Ecclesia nostra, pro defunctis legendam fundaverat, bonis eundem verbis aggressus monasterii egestatem proposuit, & torculum, quod ille de proprio cœnobii fundo emerat, ut nobis beneficè redderet, rogavit. Ille occasionem nactus exercendæ pietatis haud gravatè consensit, ea tamen lege, ut pro accepto beneficio singulis per annum Sabbatis in inferiore Beatissimæ Virginis capella sacrum ageretur. Hanc capellam eam esse arbitror, quæ vocabatur vetus templum, das alte Münster, & inferiorem dici ad discrimen superioris, quæ Abbatiæ proxima est, sub Abbate B. Walthone ab Ottone Frisingensi Episcopo consecrata, sed à posteris translata. Postquam etiam prima illa & inferior capella sub annum 1707. destructa est, Missa Sabbatina ad altare Matris sanctæ Spei in majore Ecclesia situm translata hodiedum celebratur. Ex Instrumento tam Grymoldianæ fundationis, quàm nostræ acceptationis vernaculâ scripto patet, quòd Greymoltus Parochus S. Petri prope castrum Tirol Torculum sibi ab Abbate Gebhardo concessum restituerit & donaverit ad Oblajam hujus Conventûs eo pacto, ut singulis sabbatis Missa ageretur in capella prædicta Beatæ Virginis. Datum est Greymolto instrumentum desuper, & signatum anno 1332. in festo S. Catharinæ.

14. Quid autem de rei litterariæ flore dicamus, majoribus nostris tanti æstimatæ, militari autem Ludovici Cæsaris, & Werneri Abbatis ævo non apud nobiles modò, sed etiam religiosos plurimis in locis extinctæ atque contemptæ? Tunc enim caput erigebat vernacula, Musis latinis ex Germania in exilium emigrantibus: ex Germania, prô dolor! quæ toties, & à tam multis Historiographis Germanis non germanicè, sed romanè loquentibus ad exterorum admirationem fuerat illustrata. Recordemur Eginhardi, qui Caroli Magni & gener fuit, & ejusdem vitam, quo nemo quisquam puriùs ad Ciceronis æmulationem scripsit. Recordemur Hermanni contracti, Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacensis, Lamberti Schafnaburgensis, Arnulphi Voburgensis, Othloni Emeramensis, Metelli Tegernseensis. Recordemur denique nos Wessofontani nostræ Diemodis, nostri Ludovici, nostri Conradi Pozzonis, quos supra laudavimus. At jam satis. Tenuissimam ac pæne nullam litteraturæ peritiam penès nostros tunc fuisse, ipsum Werneri Abbatis epitaphium comprobabit, inferius proferendum. Fecit tamen ipse, quod potuit ad ostendendam suam de re litteraria existimationem. Bibliothecam centum

quos

quos supra memoravi, monachorum nostrorum ac monialium ut integram conservaret, altero statim regiminis anno Wernerus vigilavit, ita ut primum ferè obtuitum in litterariam penum conjecisse videatur: in ea cùm desideraret tria præclara volumina, quorum utique notitiam ex multa priùs librorum volutatione totiúsque chartophylacii exploratione hauserat, mox eadem à Stamsensibus repetiit; verùm nihil aliud obtinuit, nisi eas, quas recitabo, litteras, emptionis testes, redemptionis pignus, si nobis facultas esset.

„ Nos Frater H. Abbas monasterii sancti Joannis in Stambs, totúsque Conventus ibidem, tenore præsentium profitemur, quòd libros tres, videlicet Epistolas Hieronymi, Isidorum Etymologiarum, & Excerpta Ivonis Domino Abbati de Wessisbrunn, & suis successoribus restituere tenebimur, quandocunque ab ipso triginta libras Veronensium, pro quibus nobis sunt obligati, receperimus, & ex integro de eadem pecunia fuerimus expediti. In cujus rei testimonium sibi præsens scriptum dedimus, nostri pendentis sigilli munimine roboratum. Datum in Stambs anno Domini M. CCC. XXV. in die sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani.

15. Ergo hæc etiam volumina, sicut jugera, ab antecessoribus fuêre impignorata ac pœne vendita: at quanto monasterii non damno solùm, sed & dedecore! Ex Beatæ Diemodis Codicibus olim honoraria dabantur maximis Principibus, & summis beneficiis inde compensabantur, quod alibi jam demonstravimus. Hæc autem, de quibus loquimur, volumina triginta libris denariorum in pignus fuêre Stamsensibus relicta, quibus nec scribendi labor imò ne membrana quidem emeretur.

§. IV.

Quid ad defensionem & securitatem monasterii Wernerus Abbas præstiterit?

16. Quantis bellorum turbinibus involutus fuerit Ludovicus Bavarus Imperator, & quid ærumnarum sub irrequieto illius regimine sustinuerit universa Bavaria, ac Ecclesiastici maximè homines, ita notum est omnibus, ut etiam lippis atque tonsoribus. Itaque Ecclesiarum & monasteriorum plerorumque in superiore Bavaria sitorum Præsules, atque inter eos Wernerus noster, Imperatori supplices facti egregium ab eo

Diploma obtinuerunt, quod cùm nimis prolixum sit, lectorem ad Tomum tertium Metropolis Salisburgensis remittimus, ubi illud integrum inveniet. Nominantur in eo Ecclesiæ cœnobiorum Tegernseensis, Benedictoburana, Ebersbergensis, Seonensis, Rottensis, Schyrensis, Staingadensis, Diessensis, Schefftlariensis, Vogterreitensis, Wessofontana, Rottenbuchensis, Dietramzellensis, Attilensis, Pollingana, Undersdorffensis, Bernriedensis & Peyhartingana. His omnibus Imperator multa impertitus est privilegia ad resarcienda bellorum damna, ut libertatem ab oneribus tributorum, militum, operarum: facultatem, proprios homines judicandi, exceptis furti, stupri, homicidii criminibus: potestatem contractus à subditis initos approbandi, & ratos habendi. Datum est hoc Diploma anno 1330. Monachii in festo S. Georgii. (b)

17. In hoc diplomate non leguntur alia quædam Bojariæ superioris monasteria. Atque Andecense quidem & Ettalense fuisse omissa mirum non est, cùm illud nondum fundatum fuerit, istud vix cœptum, certè nondum in Abbatiam erectum. Cur autem Weihenstephanense Benedictinum, Neocellense prope Frisingam Præmonstratensis, Schlechdorffium & Beyrberga Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini fuerint intermissa, non intelligo, nisi peculiaribus Imperatoris litteris cautum eis fuisse quis credat. Vogtenreita, olim *Ruit* appellata, pridem à Warmundo Comite Wasserburgensi donata fuerat Imperiali monasterio S. Emmerami Ratisbonæ, qui & in ejusdem Sancti Ecclesia sepultus quiescit. Adeóque dubium non est, quin Abbas loci Albertus de Schmidmühlen pro hujus Hofmarchiæ securitate coram Cæsare vigilârit. Videatur Mausolæum S. Emmerami nuper editum in Parte Diplomatica numero XLVII. Ideoque nemo mirari debet, Vogtenreutam inter cætera monasteria positam.

18. Biennio pòst etiam satisfactum fuit privilegio generali omnibus tam superioris, quàm inferioris Bavariæ monasteriis, quæ tametsi singulatim non nominentur, ideò tamen nullum excipitur. (c) Idem Diploma inveniet lector apud Hundium tomo 3. Metropolis, innexum diplomati Ernesti & Wilhelmi Ducum Bavariæ. Ex eo patebit legenti Imperatoris in Deum & Superos religio, erga summum Pontificem reverentia, in homines Deo dicatos munificentia: quam laudem egregiè confirmavit fundato Divinæ Matris sanctuario & cœnobio Ettalensi.

(b) *Vid. Hund. Metrop. Tom. III. fol. 164. 165.* (c) *Idem ibidem fol. 169. in diplomate Ernesti & Wilhelmi, cui Ludovicianum innexum invenies.*

§. V.

§. V.

Werneri Abbatis obitus.

19. TAndem Wernerus Abbas, postquam solerter ac strenuè coluisset vineam suam, nec modicos collegisset fructus, laborum fessus, jámque capiendæ mercedi maturus, exactis in regimine annis quadraginta & uno, felicem finem accepit, tam súbditis quàm fratribus suis amabilis & sincerè dilectus. Nequid ad ejus laudem opportunum omittam, aut parcus præconii, reúsque invidiæ dicar, adscribo Codicis antiqui verba, quibus ejusdem gesta memorantur.

Wernerus Greütter, nobilis monachus nostræ congregationis, Abbas eligitur anno Domini 1323. & præfuit nimis laudabiliter & religiosè quadraginta & uno annis, ac plura bona in prædiis & aliis decimis Ecclesiæ S. Petri obtinuit: & sic quievit in pace, quinto Calendas Februarii, sepultúsque jacet in Capella S. Benedicti sub gradibus dormitorii.

20. Ex his verbis manifesta est Werneri nobilitas, quam prodit proprium familiæ sigillum, duas campanellas manubriis instructas exhibens, quales in Pontificum sacris ad cœleste trisagion & sacrosanctæ hostiæ elevationem adhiberi & resonare solent. De fratribus ejus germanis suprà audivimus, & sub ejus successoribus inveniemus, diuturnum Greutteris cum monasterio nostro amicitiæ vinculum fuisse; nam anno 1377. legitur Ulricus Greütter, & mater ejus Hilburga. Floret hodiedum familia quædam Comitum de Kreut: ex qua solis Pappenhemiis nuptas lego Reginam 1568. Susannam Thomæ, & Sophiam Hauptio Consiliario Eistettensi, circa idem tempus, apud Hundium. (d) Num ejusdem sanguinis sint cum Greutteris nostris, non decidere audeo, sed discere cupio.

21. Maximam laudem se Wernero Abbati dedisse pro illa temporum simplicitate Historicus credidit, cùm dixit, *nimis laudabiliter* eum præfuisse. Intelligit nempe, suprà quàm dici vel credi possit, cœnobio illum profuisse: quare etiam gestorum ejus memoriam, utpote impos enarrandi omnia, paucissimis verbis absolvit.

22. Sepultus est Wernerus in capella S. Benedicti, quam eo loco positam vidi, quò nunc sacristia cernitur. Erat hîc commune Abbatum conditorium; nam ibidem sepultus scribitur Fridericus Stettner, Leonardus Vettinger, Paulus Ranck, Henricus Zäch, quorum ferè omnium lapides sepulcrales ipse legi. Fuit non obscurum humilitatis in Wernero

indicium, quòd sub ipsis dormitorii gradibus sepeliri petierit, utpote ex quo recta ad Chorum via ferebat: unde necesse fuit, omnes Religiosos ad matutina, diurna & nocturna officia euntes ejus ossibus inambulare.

23. Epitaphium Abbati tam benè merito pessimè quidem tornatis versibus, sensu tamen existimationis & gratitudinis pleno positum est hexasticho.

Abbas Wernerus, pius, sapiens, atque severus,
Greütter vocatus, loculo jacet hoc tumulatus.
Expellens fortem Griseorum ipse cohortem
Obtinuit morem, regulam, locum, atque decorem.
Ipsum juvabant Laurentius, Wernher & Chunrat.
Horum sint memores omnes hic prætereuntes.

Et pietatis quidem elogium promeruit Wernerus, dum Deiparæ cultum hebdomadario sacrificio augeri fecit. Sapientiam ostendit, dum res perditas tam consilio & prudentia, quàm labore & industria restauravit. Severitatis verò argumentum est, dum regulari disciplinæ sic invigilavit, ut nulla toto regiminis ejus tempore querela, nulla dissensio audita sit, inter monachos licèt in tam diversas antea sententias distractos.

24. Quid autem intelligendum per *fortem Griseorum cohortem*? Nihil planè aliud præter Stambsensium monachorum turmam cœnobio immissam. Cur autem Grisea cohors vocatur? Nempe non, ut hodie, candido, sed Griseo seu cinerei coloris habitu utebantur, sæculo illo Cistercienses; uti patet ex Falckensteinio de monasterio, quod Felix Porta dicebatur, Adelhaidem piam Virginem, sociam cum pluribus aliis vitam in divino acturam servitio, cùm de Regula deliberaret, à sancta Catharina fuisse jussam, *Griseum ordinem* eligere, in quem etiam cum sororibus adoptata est ab Adalwino Hailsbrunnensi Ordinis Cisterciensis Abbate. (e) Confirmatur Grisei ordinis appellatio ex Paulo Langio, qui in Chronico Citizensi narrat, Monachos Cistercienses in Capitulo Generali statuisse, ut nullus Minorita in ullo ipsorum cœnobio vel grangia reciperetur hospes, propterea quòd isti ad illorum æmulationem cœpissent Griseum gestare habitum, ut solent in hodiernum diem. (f) Cæterùm quidquid de Stambsensibus diximus, salvâ tam celeberrimi illius monasterii, quàm Religiosorum inde huc translatorum reverentiâ dictum volumus: Udalricus noster eos acciverat. Sicut illo tempore lis omnis composita conquievit, ita jam hinc amica inter utrumque cœnobium concordia floret, paucos ante annos novo testimonio roborata.

25. De-

25. Denique jure merito præter Wernerum marmoreo monumento laudantur & posterorum memoriæ commendantur tres ejusdem sodales, & præclari operis adjutores, Laurentius, Wernerus, & Conradus: quorum quidem primus jam pridem œconomicis adhibitus curis industriam suam pro monasterii commodo comprobâsse conjicitur; reliqui duo, licèt nihil præterea singulare de iis in documentis nostris memoretur, hoc uno claritatem sat amplam obtinuerunt, quòd socias manus ad antiquissimi monasterii in primitivo ordine conservationem commodârint. Cùm porrò Abbatis Epitaphio eorum nomina sint inserta, argumentum est, eos omnes ante Wernerum fuisse mortuos: quod mirum videri non debet, considerata Abbatis hujus ætate, & regiminis diuturnitate.

(d) Stammen-Buch *Part. II. fol. 170. & 171.* (e) *Falckenstein antiquit. Nordgav. P. II. §. 18. fol. 383.* (f) *Paul. Lang. tom. 1. script. Germ. Pistorii.*

§. VI.

Mantissa

de tribus Huepheris, Abbatibus olim, ùt prætenditur, Wessofontanis.

26. ANtiqua pictura ducentorum ferè annorum ætatem præferens, quæ adhuc in monasterio nostro servatur, exhibet tres Abbates, quorum primus nominatur Alphonsus Huepher Pyrgensis, Abbas XVIII. Wessenbrunnensis circa annum 1207. Præfuit annos 25. Alter Wernherus Huepher Pyrgensis, Abbas XXI. Wessenbrunnensis circa annum 1255. Præfuit 41. annos. Tertius Wolfgangus Huepher Pyrgensis, Abbas XXIII. Wessenbrunnensis circa annum 1372. Præfuit annos 23.

27. Hæc omnia longè abludunt ab omnibus Chronicis & tabulis nostris, primò ratione nominum, dein ratione temporis, demum ratione ordinis Abbatum. Primus itaque in dicta pictura vocatur Alphonsus. At nullus in omnibus Codicibus & Necrologiis nostris invenitur, qui vocetur hoc nomine: imò ipsum Hispánicum vel Gothicum Alphonsi nomen in Germania tunc penitus erat incognitum. Nam in amplissimo Indice

dice Scriptorum Rerum Germanicarum à Pistorio editorum, qui Tomo III. subnectitur, tres quidem inveniuntur Alphonsi, at nullus Germanus sive Episcopus, sive Princeps, sive alius quiscunque; primus enim est Alphonsus VIII. Castiliæ Rex; alter Alphonsus X. Castiliæ Rex, à Germanis quidem electus in Regem, sed inquietum nactus imperium: neque ullus Germanorum cogitavit illius nomen assumere. Tertius Alphonsus Galliciæ & Asturiæ Rex, qui nihil ad nos.

28. Porrò Wernheros Abbates habuimus duos: at chronologia à pictore assignata neutri Wernhero convenit; primus enim ab anno 1276. usque ad annum 1281. alter ab anno 1323. usque ad annum 1364. præfuit, nec secundus iste cognomento *Huepher*, sed manifestissimè *Greutterus* vocabatur. Ergo Wernherus I. debuisset esse Pyrgensis ille, & successisse Walchuno, quem tamen anno 1254. excepit Otto Abbas, Ottonem anno 1260. Udalricus II. eodem anno & quarto post electionem die mortuus, Udalricum Conradus III. anno 1260. usque ad annum 1276. Abbas, post quem primùm gubernacula Wernherus primus occupavit, & tenuit, donec anno 1281. Udalricus III. ex Eberspergensi monasterio vocatus, succederet. Et tamen Wernherus Pyrgensis 41. annos in pictura illa præfuisse dicitur: at, si rem consideres, non est ei locus in diversorio.

29. Tertius Pyrgensis à pictura asseritur Wolfgangus circa annum 1372. & præfuisse legitur in hypographe annos 23. Atqui tot regiminis anni eidem adstrui minimè possunt; nam ab anno 1375. jam suppetunt nobis luculenta monumenta tractatuum, quos Paulus Primus cum diversis iniit, & à nobis paulò post allegabuntur. Adde, quòd in nullo Antistitum nostrorum Catalogo Wolfgangus quispiam illo tempore præfuisse inveniatur: anno demum 1525. electum legimus Wolfgangum I. Kolbium cognomento, & anno 1666. Wolfgangum Dreitterer, illum Peuttinganum, hunc Bernriedensem.

30. Sed neque locus in Abbatum ordine Pyrgensibus his legitimus assignatur. Alphonsus dicitur XVIII. At illo tempore non Alphonsus, sed Albertus præerat, Abbas XIX. Wernherus dicitur Abbas XXI. At nobis XXI. est Walchunus. Wolfgangus dicitur Abbas XXIII. At anno illo, quo præfuisse prætenditur, præerat nobis Paulus I. in Abbatum serie XXXI.

31. Itaque inhærendum est Stephano Leopolder, qui Abbatum nostrorum Catalogum ex Archivio & præsentibus instrumentis collegit, non omissurus, si vel tenuissimum vestigium Pyrgensium istorum in tabulis vel Necrologio ullo invenisset. Stephani Catalogum tanti æstimavit Gevvoldus, ut eum metropolis Salisburgensis Additionibus inserere non dubitârit. Monachos demum, non Abbates Wessofontanos fuisse tres Huepheros, concedere possemus, si Alphonsus abesset. Atque hæc lectorem monendum censuimus, siquis fortè hospes apud nos tabulam illam vidisset, vel deinceps esset visurus, ne se decipi patiatur; cùm tota illa pictura nullo prorsus fundamento nitatur, nec legi digna sit, nisi ut pictoris ignorantia manifestetur.

32. Cæterùm jam pridem desierunt Huepheri Pyrgæ dominari: successere illis Eisengreinii: his iterum cedentibus hodie Pyrgensem arcem possident Illustres Domini de Burgau, ex quibus quidam, vir alioquin eruditissimus, decennio ferè abhinc apud nos hospes, nec verbulo de prætensis Prælatis Pyrgensibus mentionem fecit: sed neque ad ipsum aliquid de honore Huepherorum pertinebat, quorum familia, quæ Landispergæ floruit, nuperrimè mortuo Admodum Rev. D. Joanne Baptista Huebher, Venerab. Capituli Landspergensis Assistente, & ejusdem Ecclesiæ Beneficiato, pæne tota exspiravit, solâ ipsius sorore relictâ.



SÆCULUM SEPTIMUM
WESSOFONTANUM.

CAPUT I.
De Paulo I. & Udalrico V. Abbatibus.

§. I.
Paulus I. Abbas XXXI.

1. PAulus hujus nominis primus nostri monasterii monachus fuisse legitur. (a) Neque dubitandi causam habemus, quin à majori Conventûs parte in Abbatem electus fuerit, compositis à Wernero decessore rebus, nullóque dissidiorum extante vestigio. Quo

Quo sanguine patriáve fuerit ortus, nullum invenimus indicium: pauca admodum de gestis ejus, licèt integros vighti annos præfuerit, undecumque collecta compendio recitabimus, ad alia graviora festinantes.

2. Anno 1375. Paulus Abbas in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ Udalrico Tors & Irmengardi uxori Peulensibus aream quandam in vitalitium concessit: aliam verò eodem in loco Adelheydæ Kolbin eodem die & anno. Prædium Tyrolense in Aign sequente mox anno per Udalricum Præpositum fixis conditionibus tradidit Sifrido Zetpichler & Annæ uxori, eorúmque hæredibus. Instrumentum desuper confectum est anno 1376. Indictione XIV. die 16. Octobris Merani, & confirmatum ab Hainrico de Dinchelspühel publico Notario Cæsareo, in domo Georgii dicti Am Ort.

3. Eodem anno Udalricus Greutter permutationem cum Abbate Paulo & Conventu fecit, transmittens monasterio prædium Schvvelkense in Foresto; pro quo suscepit ad dies vitæ suæ, uxoris, & trium liberorum prædium Hübschenriedense prope Pergam situm: qua super pactione instrumentum habemus luculentum, ex quo in Greuttensis familiæ gratiam plura ejusdem nomina proferimus, Udalrici nempe uxorem Annam, Erhardum & Henricum filios, filiam Afram. Confectum est instrumentum in festo S. Georgii.

4. Anno eodem liberalem se monasterio nostro exhibuit Diemuta Conradi Prediger civis Weilheimensis & Agnetis uxoris filia, nupta cuidam ex Wieolzhoviis. Huic pater subditum quemdam, Henricum de Raistingen, quatuor libris denariorum emit, donavitque: Diemuta verò eumdem Henricum cœnobio nostro religiosâ liberalitate tradidit anno Domini 1376. in die S. Agathæ Virginis, nempe 5. Februarii.

5. Sequente anno 1377. in die S. Laurentii supra laudatus Udalricus Greutter & uxor ejus permutatione initâ duo prædia in Weil, & Hubam in Thainingen sitam à Paulo Abbate in vitalitium accepisse, certo documento probantur.

6. Henricus Puecher, civis idem & Judex Weilheimensis, facta permutatione pratum quoddam ad Amperam fluvium ab Abbate Paulo accepit, aliúdque pro eo dimidium rus monasterio transmisit anno Domini 1379. in die S. Georgii.

7. De-

7. Demum Paulus Abbas, viginti annis tranquillo pacatóque regimine transactis, diem supremam obiit in festo SS. Martyrum Achatii & sociorum, anno Domini 1384. De loco sepulturæ, & epitaphio nulla uspiam mentio reperitur. Credibile est in sacello S. Benedicti fuisse sepultum, in quo & Wernerus Pauli decessor tumulum accepit.

8. Quo tempore Paulus Abbas præfuit, cœptum est à Venerabili Clero duorum Capitulorum Landspergensis & Pözenhusani pium Fœdus ad solatium defunctorum. Ad manus est mihi desuper integrum Confœderationis hujus instrumentum, quod tamen ob nimiam prolixitatem recitari hoc loco non potest: neque opus videtur, cùm in Capitulo Landspergensi etiamnum inter sacerdotes hæc unio vigeat, & consuetudines notæ sint. Decanus Capituli & Parochus civitatis Landspergensis tunc erat R. D. Walrab de Findingen: Pözenhusani autem Decanus & loci Parochus R. D. Otto de Tullenshausen. Subscribuntur etiam omnes reliqui Parochi & Curati amborum Capitulorum. Si vacaverit locus, suo tempore in lucem producam nomina saltem, in venerationem sacerdotum illo ævo viventium, & ad suscitandam illorum piam memoriam apud hos, qui nunc eorumdem Ecclesias curant. Instrumentum scriptum & singulorum Fœderatorum sigillis aut subscriptionibus firmatum fuit anno Domini 1370. in festo S. Joannis Baptistæ.

§. II.

Udalricus V. Nobilis de Höhenkirchen, Abbas XXXII.

1. ANtiquissimam fuisse Nobilium sedem Iffeldorffii, quod Uffilindorff olim vocabatur, complura veterum monumenta testantur. Jam anno 1158. invenitur Udaschalcus nobilis de Iffeldorff, per cujus manum amplæ Donationes factæ sunt monasterio Diessensi ab Henrico Comite Wolfratshusano. (a) Quo porrò tempore ad Höhenkircheros hæc toparchia transierit, designare non possum. Id solum liquet ex Chronico Benedictoburano jam anno 1386. Kümbstorffii hanc familiam sedisse: (b) Iffeldorffii fortè citiùs, cùm legerim (†) alicubi in documentis nostris, Udalricum hunc nostrum anno 1384. electum vocari cognomento Höhenkircherum de Iffeldorff. Circa annum 1414. Höhenkircherus quidam Murnaviensis oppidi Præfectum egit, & in restaurando Ettalensi monasterio adjutorem. (c) Anno 1468. Clara

de Höhenkirchen Abbatissa præfuit monasterio Hohenvvartensi summa cum laude & illud ope propinquorum suorum, nobilium Gurr & Rohrer, novis proventibus insigniter locupletavit, defuncta 6. Maji anno 1483. (d) Jam ante hanc Joannes Höhenkircher Wolfratshusii Præfectus fuisse legitur in Chronico Benedictoburano anno 1446. (e) Anno 1566. Paulus Höhenkircher de Isseldorff Præfectus fuit in Haydau, cujus uxor Margaretha obiit improles. (f) Anno 1484. Wilhelmo Vogt de Findingen Dapifero Augustano nupta fuerat Anna Höhenkircherin. (g) Wigulæi Hundii ætate, circa annum 1590. & ultra, Domini de Höhenkirch apud Abbates Tegernseenses, non hæreditario quidem, sed precario, Dapiferorum munere fungebantur. (h) Circa annum denique 1620. Wolfgangus Bernardus de Höhenkirchen vivebat: cujus filius Wolfgangus Carolus fuit postremus Toparchiæ Isseldorffensis; cùm nimirum turbis bellicis & Suecorum procellâ illustris hæc familia valde concussa mutare sedes cogeretur anno 1653. (i) Cujus spiritûs animique fuisse Udalricum credamus, ex ea stirpe progenitum, præcipuis quæ functa muneribus, sanguinis etiam communione equestribus ac probatissimis Gurriorum, Rohrensium, ac Seybolstorffiorum familiis est conjuncta? satis hæc sit dixisse ad demonstrandam Abbatis nostri nobilitatem, quæ non quæsita, sed in diversis authoribus obvia sub oculos & manum venêre, plurimis adhuc attentionem nostram fugientibus Chronicon Benedictoburanum pluribus hanc familiam illustrat, ad quod lectorem remittimus: & nos in his Actis aliquos hactenus incognitos proferemus.

2. Udalricus itaque nobilissimos nactus natales, cùm majorum exemplo promptum haberet iter ad militares aulicásque dignitates, contemptis sæculi vanitatibus, ad sacrum Divi Patris Benedicti Ordinem in monasterio nostro suscipiendum aspiravit. Potitus voti majora prudentiæ, constantiæ, pietatis argumenta dedit, quàm in tyrone sperari aut desiderari possent. Solemni igitur Professione Religioni adstrictus talem se mansuetudine, humilitate, charitate, instantissimáque diligentia probavit, qualem monachi sibi præesse cuperent, & magno monasterii emolumento præfuturum sperarent. Quare defuncto Abbate Paulo concordibus eum suffragiis in Antistitem elegerunt anno 1384. Præclara ipsius gesta, ac insignia de monasterio nostro merita descriptum imus.

(a) *Hund. Metrop. t. 2. fol. 263. circa medium.* (b) *fol. 310.* (†) *Immò apud Hund. t. 3. Metr. fol. 485. sed perperam Haintricum vocat, ut ex Catalogo Abbatum ibidem sequente patet.* (c) *Lud. Babenstuber* Fundatrix Ettalensis *Monachii*

Monachii An. 1694. edita fol: 77. & 78. (d) *Fortunat. Hueber in Chron. Hohenwvart. fol. 396.* (e) *fol. 180.* (f) *Hund.* Stammen-Buch *P. II. fol. 30.* (g) *Instrumentum emptionis decimarum Mundrachingensium.* (h) *Hund. Metrop. t. 3. f. 391.* (i) *Instrumentum emptionis in archivo nostro.* Adde his omnibus Erasmum Höhenkircher, inter illos Nobiles nominatum, qui partes Alberti Sapientis contra Christophorum tuebantur. *Adelzreitter Part. II. col. 196. num. 49.*

§. III.

Favores Pontificum Udalrico Abbati concessi.

3. NE multis cogamur ambagibus uti in enarrandis Udalrici gestis, colligemus inprimis eas, quas à sede Apostolica tum ad ornandum, tum ad defendendum monasterium nostrum gratias impetravit. Non exiguum decus est, pluribus Ecclesiarum Patronatibus gaudere: in qua re mirè, si usquam alterius ex decessoribus, Udalrici nostri vigilantia enituit. Inprimis, quod nemo ante ipsum ausus esset sperare, intercessores invenit sanè potentes, qui vigilarent apud summum Pontificem Bonifacium IX. pro juribus nostris in Ecclesias Landspergensem & Weilheimensem non solùm confirmandis, sed etiam augendis. Pontifex nominatas Ecclesias cum omnibus juribus & pertinentiis suis *motu proprio*, & *ex mera liberalitate* (verba sunt Bullæ) monasterio nostro univit, annexuit, & incorporavit, ea gratiarum & privilegiorum appendice, ut loci Abbas corporalem harum Ecclesiarum possessionem propria authoritate apprehendere, illas vel per monachos vel per clericos sæculares ad nutum amovibiles regere, omnésque fructus, redditus, & proventus in usus monasterii convertere posset. Adduntur alia majora votis, quæ postulare ipsi Abbati non in mentem venisset. Reipsa abstinendum potiùs tantis privilegiis putârunt majores nostri, quàm executionem urgendam. Utinam priora saltem jura mansissent nobis integra! Ea molestiarum moles posterioribus annis increvit, ut quietè vivendi gratiâ anno Domini 1477. ipsum nominandi Landspergensem Parochum cesserit, solo jure præsentandi nobis relicto. Cæterùm memorata Bulla data est Romæ apud S. P. Petrum sextâ Calendas Junii Pontificatûs Bonifacii IX. anno XII. nempe Christi 1401. die 27. Maji.

4. Eodem

4. Eodem anno die XIV. Calendas Decembris idem Clementissimus Pontifex authoritate Apostolica nobis confirmavit & monasterio incorporavit Ecclesiam Parochialem in Parr, S. Joanni Baptistæ sacram, cum omnibus fructibus & proventibus, *reservata tamen congrua portione pro perpetuo Vicario, inibi Domino in divinis servituro.* Atque hujus Ecclesiæ quieta possessione in hanc usque diem gaudemus.

5. Cùm hactenus Abbates nostri Wessofontani usum mitræ non haberent, quo tamen alii quidam Bavariæ Abbates jam diutiùs gaudebant, Udalricus noster, dum caleret ferrum, cudendum esse ratus, proximo anno eidem summo Pontifici pro eorundem insignium Pontificalium facultate supplicandum putavit. Secuta est Bulla sequentis tenoris:

„ BONIFACIUS Episcopus servus servorum DEI, dilectis Filiis,
„ Abbati & Conventui monasterii sancti PETRI in Wessesbrunn, Ordinis sancti Benedicti, Augustensis Diœcesis,
„ salutem & Apostolicam Benedictionem.

„ ET poscit vestræ devotionis sinceritas, & religionis promeretur
„ honestas, ut tam vos, quos speciali dilectione prosequimur,
„ quàm monasterium vestrum dignis honoribus attollamus. Hinc est,
„ quod nos vestris supplicationibus in hac parte inclinati, ut tu Abbas
„ & successores tui Abbates dicti monasterii, qui pro tempore fuerint,
„ mitra, annulo, & aliis Pontificalibus insigniis liberè possitis uti, nec non
„ quod in dicto monasterio & Prioratibus eidem monasterio subjectis,
„ aut Parochialibus, aut aliis Ecclesiis ad vos communiter vel divisim
„ pertinentibus, quamvis vobis pleno jure non subsint, benedictionem
„ solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia,
„ dummodo in benedictione hujusmodi aliquis Antistes, vel sedis Apo-
„ stolicæ Legatus præsens non fuerit, elargiri possitis. Felicis recordatio-
„ nis Alexandri Papæ Quarti, Prædecessoris nostri, quæ incipit: Abba-
„ tes: & aliis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis in contrarium
„ editis, nequaquam obstantibus, vobis & eisdem successoribus aucto-
„ ritate Apostolica de speciali gratia tenore præsentium indulgemus. Nulli
„ ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis in-
„ fringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attem-
„ ptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum
„ Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ

„ apud

„ apud S. Petrum, tertio Calendas Novembris, Pontificatus nostri an-
„ no tertio decimo.

Hanc Bullam recitans Clar. P. Khammus (a) hæc verba præmittit: *Anno 1402. monasterium Wessofontanum à summo Pontifice Bonifacio Nono usum mitræ & insignes speciales actus Pontificales exercendi potestatem obtinuit.* Cujus asserti veritas apparebit alias ejusmodi Apostolicas litteras conferenti & expendenti.

6. Denique non ad ornandum solùm, sed etiam defendendum monasterium nostrum sedes Apostolica contulit. Nam idem Bonifacius IX. toties laudatus, litteras Udalrico dedit commendatitias ad Osvvaldum Thorer Abbatem Tegernseensem, eidem injungens, ut ea, quæ de bonis monasterii nostri per subreptitiè obtentas Concessiones alienata vel distracta invenisset, non obstantibus literis, instrumentis, juramentis, renunciationibus, pœnis & confirmationibus, ad jus & proprietatem monasterii nostri revocaret, contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Data est Bulla Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Julii, Pontificatûs Bonifacii anno duodecimo. Similes litteras accepit Udalricus à Gregorio Papa XII. quibus nos defendendos commendavit Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Decano. Ex quibus omnibus colligi potest, quàm fervidè Udalricus noster commoda monasterii curaverit, quantique æstimatus fuerit summis Pontificibus tamquam vir Ecclesiasticorum jurium & Religionis tuendæ studiosissimus.

(a) *Hier. Aug. P. III. Regul. fol. 381. num. 22.*

§. IV.

Favores Serenissimorum Ducum Bavariæ.

7. QUalibus privilegiis, juribus, libertatibus, Ludovicus Bavarus Imperator monasteria Bavariæ in compensationem damnorum per bella illis illatorum locupletavit, talibus non cessârunt serenissimi ejusdem filii & nepotes cœnobiorum libertatem tueri & emolumenta promovere. Habemus, sicut Ludovici Bavari, (b) ita serenissimorum Ducum Stephani & Joannis diploma generale de anno 1396. aliud item simile Ernesti & Wilhelmi de anno 1397. quorum tenore omnia totius

Bavariæ monasteria à multis oneribus libera pronuntiantur, qualia apud Hundium in metropoli plura recitantur.

8. Quæ verò monasterii nostri propria sunt, & singulari Principum favore concessa, accuratiùs considerari merentur. Atque in primis anno Domini 1402. in Vigilia Corporis Christi Ernestus Dux Bavariæ solemnibus litteris confirmavit monasterio pagum Menzinganum cum adjacentibus & ad ejus proprietatem pertinentibus. Villam hanc Udalricus Höhenkircher Abbas noster anno 1401. à Joanne Summerstorff emerat. Verùm Udalricus VI. hujus nominis Abbas, cognomento Stöckl, anno 1438. electus cum Alberto Duce Bavariæ, Comite de Vohburg, permutavit pro aliis commodis possessionibus anno 1441. ut loquitur Hundius. (c)

9. Emerat Udalricus noster anno 1389. à Georgio Weichsner & Lucia uxore ejus, Joanne, Paulo, & Conrado Georgii fratribus, curiam & turrim Penzingæ sitas cum omnibus attinentiis pro septuaginta sex libris denariorum. Quinam fuerint hi Weichsneri, an cives Landspergenses, an verò Nobiles de Weichs, ex sigillo dignosci posset: cùm verò instrumentum emptionis ad manum non sit, Hundio id sciscitanti respondere non possum. (d) Litteras Ernesti Ducis habemus, quibus emptionem confirmat, & jus ac judicium Hofmarchiale monasterio concedit tam Penzingæ, quàm & Morenvveisii exercendum. Datæ sunt hæ litteræ Monachii anno 1407. in festo S. Mathiæ Apostoli.

10. Prædium ad Tiliam seu Linden in Foresto situm diu jam à publicis quibusdam oneribus libertate gaudebat: hæc libertas cùm in oblivionem vel certè controversiam venire cœpisset, Udalricus Abbas eam confirmari è Sereniss. Bavariæ Ducibus Ernesto & Wilhelmo petiit, qui & litteras dedêre, locúmque ab omni vexatione liberum & exemptum pronunciavêre. (e) Datum est instrumentum Monachii Dominicâ post festum S. Joannis Baptistæ anno 1413.

11. Attendebant hæc Serenissimi Duces, & prudentiam ac in rebus gerendis dexteritatem suspiciebant, præcipuè cùm intelligerent, Udalrici curâ Rotam fluviolum fuisse aggeribus exceptum & in lacûs magnitudinem extensum, unde monasterio nostro, in quo tunc temporis esus carnium nondum erat concessus, piscium copiâ provideretur, magno aliàs pretio comparandorum. Placuit Principibus industria, statimque lacum monasterio confirmârunt. Verùm quietam ejus possessionem nondum

obtinui-

obtinuimus, donec injectas difficultates successor Udalrici nostri Eberhardus Abbas enodaret. Interea Henricus Sandauer Abbas Ettalensis, cùm vix annum integrum præfuisset, mortuus est, cujus decessor Conradus exauthoratus obierat. Afflicto igitur monasterio consulturi Duces, quibus perspecta erat Udalrici prudentia, Abbatem nostrum, tricennali regimine apud nos gesto jam celebrem, illuc transtulerunt, de quo Clariss. P. Ludovicus Babenstuber (f) hæc scribit: *Inde*, anno nimirum 1414. *cum religioso imperio præficitur Udalricus Hochenkircher, Præsul non vulgariter doctus. Interfuit Concilio Constantiensi, ac præterea domi, adscito in partem laborum germano fratre tum Murnavii Præfecto, quinquennium rem graviter gessit. Rebus humanis exemptus est sexto Calendas Junii anno 1419.*

(b) *Suprà Sec. VI. Cap. V. §. IV.* (c) *Metrop. t. III. fol. 485.* (d) Stammen-Buch *P. II. fol. 356. circa med.* (e) Vor Valckhnern / Jägern / Steuren / Heerwägen / und aller ander Beschwärung. *Verba instrumenti.* (f) *In libro:* Fundatrix Ettalensis, *fol. 77. & 78.*

§. V.

Varia Jura acquisita, & Resignatio.

12. Audivimus, qua liberalitate Bonifacius IX. confirmaverit nobis ambas civitatum Landspergæ & Weilhemii Parochias: Ecclesiam item S. Joannis Baptistæ in Parr prope Augustam. Aucturus jura præsentandi Udalricus Abbas, cum Udalrico Aeblin (g) Collegiatæ Ecclesiæ Hæbacensis Decano permutationem fecit: tradidit nempe prædium Lanzenriedense seu Villam monasterii in Prætura Peulensi sitam. Pro illa recepit ab Hæbacensibus Ecclesiam & decimam in Hagenhaim cum jure nominandi & præsentandi; necnon prædiolum seu hobam in Kleinperghofen cum triginta denariis Monacensis monetæ ex prædio quodam Egolfingano in censum annuum monasterio pendendis. Facta est permutatio anno 1403. in Vigilia S. Joannis Baptistæ.

13. Biennio pòst à viro nobili Udalrico Pfettner donatam accepit Udalricus Abbas Ecclesiam S. Georgii Martyris in Pyrgen, promisso vicissim, postquam è vivis decessisset, quotidiano Sacrificio ad pacandos defuncti manes. Jus nominandi & præsentandi hodiedum quietè possidemus.

14. Anno

14. Anno 1394. & 1400. inveniuntur litteræ Georgii Preyſinger Plebani in Landſperg, quibus teſtatur, ſe à monaſterio accepiſſe decimas minores, pro quibus perſolverit nobis tres libras Auguſtenſium denariorum. Ejusmodi ſchediaſmata complura in archivio noſtro ſunt ad ultima ferè hæc tempora ab aliis Eccleſiarum nobis incorporatarum Curionibus. Porro tam hunc Georgium *Preyſingano*, quàm illum Udalricum *Pfettneriano* ſtemmati in ſupplementum inſerendos eſſe exiſtimo.

15. Habemus & litteras Seyfridi Umchenhaus Parochi Haberskirchenſis, quibus fatetur, ſe ab Udalrico Abbate accepiſſe decimas in Niderzell majores & minores pro pendendis monaſterio annuatim duobus florenis Rhenenſibus. Niderzellenſis Eccleſia Parochiæ Partenſis filia eſt, ſed à matrice longiùs remota: qua de cauſa Parocho Haberskirchenſi commendata eſt, in ſpiritualibus procuranda. Scriptæ ſunt hæ litteræ in die S. Erhardi, nempe 8. Januarii, anno Domini 1414. quo Abbas noſter paulò pòſt à Weſſonis Fontibus ad Ettalenſem infulam fuit evocatus.

16. Priusquam à negotiis hiſce Eccleſiaſticis diſcedam, omittere non poſſum, quin familiæ *Häring*, vel *Hering* appellatæ, & hoc ipſo Udalrici ac deceſſorum ejus ævo in Bavaria florentis memoriam ſuſcitem. Anſam præbuit illa numero 12. hoc §. relata inter Aeblinum Decanum Habacenſem & Abbatem noſtrum permutatio. Prædium illud Egolfinganum, ex quo nobis cenſus triginta denariorum annuatim pendendus aſſignabatur, appellabatur, ùt inſtrumentum teutonicum ſonat, der Härings-Hof / nomine haud dubiè à familia poſſidente deducto. Præterea legimus in Codice quodam noſtro, quòd Jordanus Häring de Olſtatt anno 1335. ſub Abbate Wernero II. Advocatiam ſuam, quam habuit ſuper prædium quoddam in Germiſchgau, monaſterio noſtro remiſerit. Demum ſub Paulo I. Abbate Werneri II. ſucceſſore in inſtrumento Confœderationis ſacerdotum anno 1370. erectæ, de qua ſuperius, (h) legitur Jordanus Hering *Dominus Eccleſiæ in Beuren.* (i) Floruit familia nobilis, de Hering appellata, etiam in Thuringia, ex qua invenio ad annum 1518. Gunterum *de Hering* in Thuringia ſacra, (k) plures verò in Univerſali Lexico Hübneri, ubi viri valde clari producuntur, quos avidus lector apud ipſum inveniet. (l)

17. Ad temporalia quantum attinet, Udalricus Abbas familiæ quoque ſuæ non oblitus Wolfhardo Höhenkircher conceſſit regionem illam, quæ penes lacum Zellenſem ab exitu Rottæ fluminis Weilhemium verſus exten-

expenditur, Tanckenrain vocata, pro annua libra denariorum. Alteri cuidam Höhenkirchero, cognato suo, cujus nomen solâ litterâ aspirationis exprimitur, ideóque Henricum vocatum arbitror, Udalricus anno 1406. dedit litteras, quibus ipsi concedit curiam Menzinganam, Dominicâ post Purificationem Deiparæ, tunc incidente in diem 7. Februarii. Nequid ad Höhenkircheros pertinens omittam, addo, quòd anno 1400. die 4. Augusti Udalricus Abbas noster, Conradus *Decanus in Weilheim*, Joannes Höhenkircher in Kumbstorff cum Joanne *Langenmantl in Radau* testes fuerint tractatûs initi inter Ludovicum Abbatem Benedictoburanum, & Joannem Endorffer civem Augustanum. (m)

18. Aliis quoque Abbas noster varia elocavit, sicut anno 1388. die 2. Februarii Henrico Guttinger & Elisabethæ ejus uxori prædium in Foresto, proprio nomine *Forst* appellatum, quindecim annos fruendum, certas tamen pensiones annuatim cœnobio præstandas pactus. Anno 1408. Wernero cuidam monasterii nostri ministro & Catharinæ uxori prædium Puechense prope Vilgertshovium in vitalitium concessit ea lege, ut singulis annis penderent veterem florenum Rhenanum, aliáque Advocatiæ jure debita solverent. Anno 1412. à Vincentio Greutter & Hilburga matre ejus rogatus Abbas suscepit in hypothecam prædium Obervendense, eisque pro eo tradidit viginti quatuor florenos Rhenenses.

19. Multa alia emolumenta monasterio obtinuit Udalricus, quæ quo possumus compendio expedimus. Anno 1386. Henricus Puecher civis & judex olim Weilheimensis hortum & agrum in Augia prope Amperam flumen sitos in proprietatem monasterii tradidit. De isto Henrico Puecher etiam superiùs facta est mentio. (n) Anno 1390. comparavit Udalricus prædiolum quoddam in Hausen prope Wildenbergam. Cùm vineæ nostræ Tyrolenses uberrimos fructus tulissent, Abbas noster Hainrico Tuckel cauponi Padiessensi in Prætura Clingensi vinum dedit ad ipsius tabernam, pro quo ille prædiolum quoddam suum ibidem situm monasterio tradidit anno 1404. die 9. Martii. Diversa jura in vicum Morenweisensem exercenda transierant ad monasterium Fürstenfeldense: ea ut monasterio nostro vindicaret, sollicitè cum Joanne Mindl ibidem Abbate Udalricus egit, ab eóque litteras obtinuit, quibus monasterio nostro firmatur omne jus, quod Wildenrodii in illo pago possederant. Pariter Fridericus Wirth Eresinganus judiciarias litteras Udalrico dedit, quibus omni juri suo & prætensionibus contra monasterium excitandis renunciat.

20. Addo denique partitionem subditoram inter Joannem ejus nominis secundum Præpositum Bernriedensem, & Abbatem nostrum Udalricum, cujusmodi jam sæpe protulimus. Hundius asserere videtur, (o) Joannem hunc anno primùm 1410. præesse cœpisse: verùm instrumentum nostrum super hac partitione, quod erectum legimus anno 1400. in Dominica ante Inventionem S. Crucis, decennio citiùs eumdem jam Præpositum fuisse convincit. Fuit hic vir præclarus & sacri Ordinis sui zelotes; nam & Synodo Lauingæ celebratæ interfuit, & statuta Brandæ tituli S. Clementis Presbyteri Cardinalis Collegio suo induxit, Canonicósque ad eorumdem normam informavit: quod honoris causâ dictum sit satis; palam est enim, aliis multis insignibus viris monasterium illud claruisse, & adhuc doctrinæ virtutisque laude clarescere.

21. Nihil jam superest, quod de Udalrico Abbate dicere sit operæ pretium. Jacto fundamento juris in lacum Zellensem suâ industria aggeribus exceptum, & à Serenissimis Ducibus confirmatum, Eberhardo successori reliquit negotii consummationem, & omnis querelæ compositionem. Ipse verò Udalricus, ùt scriptum reliquit Stephanus Leopolder, *postquam præfuit valde laudabiliter annis triginta, resignavit bona voluntate ad petitionem Ernesti & Wilhelmi Ducum Bavariæ, & Abbas in Etal constituitur. Præfuit ibi annis quatuor, ac obiit quinto Calendas Junii*, de utroque monasterio præclarè meritus, sicut jam supra ex Clarissimo P. Ludovico Babenstuber insinuavimus.

(g) *Hier. Aug.* Ablen *vocat P. II. Colleg. fol. 108.* (h) *Cap. I. §. I. num. 1.* (i) Kirchherr zu Beuren: *non diffiteor, eum Parochum fuisse illius Beuræ prope Greiffenbergam.* (k) *Thuringia sacra 1737. edita fol. 33. col. 2. in fine.* (l) *Lex. Univ. edit. 1722. fol. 649. art.* Heringe. (m) *Chron. Bened. Bur. fol. 167.* (n) *hoc Cap. I. §. I. num. 6.* (o) *Tom. 2. Metrop. cum quo & Khamm Hier. Aug. P. III. Regul. fol. 428.*

§. VI.

Mantissa ad Familiam de Höbenkirchen.

22. CUm nobilissimæ hujus familiæ nomen variè scribi soleat apud varios Authores, nempe Hohenkirchen, Hehenkirchen, Höhenkirchen, imò & Hochkirchen, ideò juvat addere nonnulla, quæ mihi varia loca perlustranti venêre sub manum. Hübnerus hanc familiam

milijam inter Rhenanas (p) numerat, & ex ea quemdam sub initium currentis sæculi ait Cancellarium Palatinum Juliæ & Montium fuisse: alium item Baronem de Hochkirchen, tamquam Cæsarei exercitûs Archistrategum, occubuisse in prælio Cæsarianos inter & Gallos apud Speyrbacum gesto, anno 1704. Est etiam Thuringiæ villa quædam Hohénkirchen appellata, quæ olim ad monasterium Georgenthalense Cisterciensis Ordinis pertinebat, hodie verò, monasterio per excidium Religionis Catholicæ solo æquato ad Ducis Saxogothani Præfecturam ejusdem nominis spectat. Eandem villam anno 1306. monasterio prædicto donaverat cum facultate Henrici Comitis de Gleichen Eberhardus nobilis de Molsleben. (q) Anno deinde 1372. Fridericus, Balthasar, & Wilhelmus Fratres, Landgravii Thuringiæ & Marchiones Misniæ huic villæ Hohenkirchen jus & privilegium singulis septimanis & quidem diebus Dominicis mercatum instituendi concesserunt litteris Isenaci datis die Martis post festum S. Ulrici: atque hoc in favorem Abbatis, & monasterii Georgenthalensis. (r)

(p) *Hübner Lexic. Univers. art.* Hochkirchen. (q) *Thuringia sacra fol. 465. & 498.* (r) *Ibid. fol. 503. §. 66. Ibidem fol. 516. hoc invenitur initium litterarum Henrici Abbatis:* Wür Bruder Heinrich Apt ꝛc. des Closters zu Sente Jurgintail Grauwes Ordens Mentzscher Bischthum ꝛc. *quod adnoto ob* grisei Ordinis *significationem, de qua præced. sæculo in Wernero secundo aliquid diximus.*

CAPUT II.

De Eberhardo, Petro I. Friderico, & Urbano Abbatibus.

§. I.

Eberhardus Abbas XXXIII.

1. EBerhardum ex illustri Greiffiorum de Greiffenberg familia oriundum fuisse, haud obscuris argumentis credimus. Hundius multa de hoc stemmate prodit, quæ in ea opinione nos confirmant. Familiare in primis *Eberhardi* nomen in hac stirpe, & propria Greiffiorum bona Raistingæ possessa assertum illustrant. Atque id

id maximè, quòd in compositione litis de lacu Cellensi inter nos & Diessenses obortæ jubeatur Abbas hic vel numeratâ pecuniâ satisfacere, vel cessione prædiorum, inter quæ Raistinganum quodpiam: hoc ex patrimonio suis usibus relictum Diessensibus lubens tradidit Eberhardus, quòd faciliùs eo careret electus jam Abbas, & propriis gavisurus redditibus, pro usu nempe, imò veriùs abusu illius ævi, *quo in plerisque monasteriis Conventus habebat separatos & proprios redditus ac oblaiam ad modum Capitulorum Cathedralium.* (a) Imò & prædia singulis singula distribuebantur, unde cùm alii parciores essent, alii vel in consanguineos suos vel in sua commoda largiores, ortæ sunt prædiorum permutationes, nundinationes, distractiones, denique & alienationes. Hinc non solùm communium bonorum detrimenta, sed & Regularis quoque observantiæ tristes ruinæ non rarò oriebantur. (b)

2. Nostro quoque cœnobio paria accidisse damna manifestum est. Ea considerans Eberhardus Abbas primo statim regiminis anno Joanni XXIII. Pontifici supplicavit, litterásque amissorum & alienatorum bonorum vindices impetravit: quibus Præposito Steingadensi mandat authoritate Pontificia monasterii nostri bona quocunque titulo alienata ad jus & proprietatem nostram revocare. Quem fructum commendatio hæc tulerit, mihi incompertum est. Cæterùm Præpositus ille Steingadensis fuit Joannes Sürgius, ex nobili familia de Sürgenstein, cujus item illustrissimum sidus Engelbertus L. B. de Sirgenstein, S. R. I. Princeps & Abbas Compidonensi Ecclesiæ præsidet. Joannes, de quo dixi, Præmonstratensem ordinem in Rothensi Sueviæ monasterio fuerat amplexus, indéque ad Steingadensium utilitatem translatus: in numero Præpositorum hic ultimus; nam successor ejus Joannes Scheitterer anno 1434. Abbatis dignitatem & ornamenta primus est consecutus, quibus in hunc diem celeberrima hæc Steingadensis Ecclesia gloriatur. (c)

3. Alterum commodum, hodiéque præsentissimum emolumentum monasterio procuravit Eberhardus, dum lacum Cellensem authoritate Principum stabiliri, omnémque desuper controversiam tolli fecit. Sententia Ernesti & Wilhelmi Ducum hæc erat, ut, quia lacus Zellensis Diessensium fundo ex parte incumbebat, officina ferraria una cum lacu perpetuò nobis permaneret: contra verò ut nos Diessensi monasterio in compensationem transmitteremus prædium Raistinganum ac alia bona, quæ in ipso instrumento clarius legentur. (d) Præfigebatur sententiæ hujus executioni terminus 14. dierum. Quodsi nollet Abbas Diessensibus prædicta bona cedere, jubebatur iisdem pendere septuaginta libras

dena-

denariorum Monacensium, & intra duas septimanas per Chirographum satisfacere, quo se obligaret ad integram summam intra anni spatium à die latæ sententiæ persolvendam. Vigilantissimus Abbas noster facta sibi hac optione lætus, salubrius putavit, prædicta bona monasterio conservare, quàm dimittere: & cùm annuum terminum pecuniæ solvendæ nactus esset, amplexus est, quod facilius videbatur. Cùm ad manum non esset, quantum ad integram solutionem sufficeret, bona statim quædam in Tiroli Maurense & Gruebense impignoravit Joanni Vergensteiner de Egelsee pro viginti libris Veronensium: certè debitum totum ipse persoluturus, nisi præmatura fata obruissent Abbatem sanè industrium. Obiit enim 9. Cal. Febr. nempe festo Conversionis S. Pauli anno 1416. cùm præfuisset annos ferè duos, & plenam solutionem Diessensibus exhibendam successori Petro reliquit.

(a) *Amandus Abb. in Catalogo Abbatum S. Petri Salisburgi edito 1646. fol. 54.* (b) *Idem loc. cit. & Anselmus Abb Ensdorffensis in libro:* Mundi miraculum S. Otto &c. *Amberga edito 1730. fol. 317. & aliis.* (c) *Hund. Metrop. tom. 3. fol. 367.* (d) *P. 2. sub Eberhardo Abb.*

§. II.

Petrus I. Abbas XXXIV.

1. PEtrus Pörstlin, primus hujus nominis Abbas, de Conventu nostro eligitur anno 1416. circa festum Purificationis. Primum sibi negotium sumpsit, ut lacum Cellensem monasterio perpetuum faceret. Udalricus Höhenkircherus acquirendi principium fecerat; Eberhardus Gryphius Ducum Bavariæ authoritate sic acquisierat, ut certis pactis monasterio Diessensi satisfacere juberetur, in cujus fundo lacus iste collectus fuerat. Conditionibus rite impletis Petrus præstitæ satisfactionis testes litteras à Jacobo Pienzenauer Præposito Diessensi ad omnes deinceps controversias evitandas petiit, & obtinuit. Extant hæ litteræ reversales datæ in Vigilia S. Joannis Baptistæ 1416. ex quibus patet Ernesti & Wilhelmi Bavariæ Ducum arbitrio ab Eberhardo Abbate Diessensibus persolutas fuisse septuaginta libras denariorum Monacensium; & integrè satisfactum. Adjecta verò reservatio solius Advocatiæ super villis lacui adjacentibus videtur subsequentibus annis sublata: necesse enim erat, ut quidquid circa lacum erat, nostræ ditioni pleno jure subjiceretur. Et hæc eadem causa erat, quòd Petrus noster permutationem fecerit cum Ettalensibus prati

cujusdam lacui adjacentis: pro quo cessimus Conrado Abbati prædium quoddam Forcheimense in comitatu Werdenfeldensi. (a)

2. Invenio etiam ecgraphum quoddam Alberti de Haldenberg, vi cujus is monasterio nostro cedit Advocatias super prædia, unum Fuchneri in Pfaffenhoven: alterum Reithovense prope Albertshoven. Multo monasteriorum damno Nobilibus eo tempore jus Advocatiæ cedebatur pro quocunque favore, præstiti v. g. pignoris, mutuatæ pecuniæ &c. quo pacto annuam portionem sibi vindicantibus Advocatis, minuti sunt prædiorum fructus, non rarò etiam per oblivionem in alienis manibus relicti, atque ita sensim monasteria ad magnam inopiam redacta, quibus damnis avertendis Petrus Abbas sapientissimè cavit. (b)

3. Aliud ecgraphum anno 1419. in festo S. Petri datum reperitur, quo civitas Landspergensis gratias agit Petro Abbati & Conventui, pro jure nominandi Vicarium & Beneficiatos sibi relicto: in cujus cessionis vicem spondet omnem fidelitatem, & curam pro decimis, domibus, rebus circa Landspergam nostris monasterio integrè conservandis & defendendis. (c) An ad effectum deducta fuerit ista cessio, dubitare me facit alia ejusmodi sub Leonardo Vöttinger facta. Crediderim rem totam stetisse intra hoc Landspergensium schediasma, nec ex parte nostra erectum fuisse cessionis Instrumentum. Hæc sunt, quæ à Petro Abbate gesta comperimus ad jura monasterii propaganda vel defendenda.

4. Præcipuum verò fuit, quod ille fecit ad instaurandam monasticam disciplinam & S. Regulæ observantiam inducendam, cujus occasionem præbuit sacrum Concilium Constantiense. Audiamus ea de re loquentem Trithemium. (d)

Eodem anno Patres Concilii Constantienses, considerantes Sacrum Ordinem nostrum, olim in Ecclesia tam gloriosum & utilem, nimia vivendi licentiâ collapsum, & desolatum ex eo maximè, quòd à multis retro annis Capitula Provincialia jure præcepta, singulisque trienniis celebranda, fuerint intermissa, neglectæ visitationes, & vix ulla servata observantiæ Regularis integritas, diem celebrandi denuo Capituli in Cœnobio Petri Domûs Constantiæ determinârunt ultimam Februarii, ad quod omnes & singulos Abbates Provinciæ Moguntinæ citârunt sub pœna privationis Abbatialis & cujuslibet alterius dignitatis, ni comparerent.

5. In hoc Provinciali Ordinis nostri Capitulo Abbates multi fuêre præsentes, inter quos nonnulli zelum Dei habentes summo studiô pro insititu-

ſtitutione regularis obſervantiæ deſudârunt. Regulam namque S. Benedicti per ſingula capita inſpicientes, ubicunque Abbatum & Monachorum vitam & mores invenêre contrarios, novis conſtitutionibus neceſſaria appoſuerunt remedia. Conſcriptis autem in memorato Capitulo ſtatutis & Concilii authoritate firmatis, omnes tunc præſentes Abbates jurare in animas ſuas, procuratores verò abſentium in eorundem animas ſimiliter jurare Concilii authoritate compulſi ſunt, quòd propoſitam in eodem Concilio & Capitulo Regularis obſervantiæ reformationem in ſe & monachis ſuis infra annum admittere & fideliter deinceps cuſtodire velint.

6. Eodem tempore conſtituti ſunt viſitatores, qui luſtratis cœnobiis proximo anno ad Capitulum Moguntiæ in monaſterio S. Albani celebrandum referrent, quinam Abbates reformationem induxerint, vel recusârint: atque his quidem, tanquam juramenti violati reis cenſuræ Eccleſiaſticæ intentabantur.

7. Petrus noſter, quem interfuiſſe Concilio & Capitulo Provinciali perquam videtur credibile, reverſus ad ſuos, ſéque juramento conſtrictum ſentiens fecit ad reformationem promovendam, quod potuit. Et cùm videret Angelicum Pſalmodiæ officium ferè penitus elanguiſſe, ab ejuſdem reſtauratione initium fecit; librorum Choro neceſſariorum penuriam ſuſtulit, dum magno pretio per Joannem Hachmayr Eslinganum conſcribi juſſit duo volumina, videlicet Antiphonarium hyemale pro Choro Abbatis, & Graduale cum ſequentiis ad divina officia, quod noſtris hodiedum uſibus ſervit. Hæc anno 1419. fuerunt abſoluta. (e) Plura ſine dubio erat facturus, ſi diutius ſupervivere licuiſſet. Nam anno ejuſden ſæculi vigeſimo, poſtquam annis quatuor, & octo fere menſibus præfuiſſet, die 30. Septembris in feſto S. Hieronymi ad æternitatem tranſiit.

(a) *Codex A. fol. 20. Actum anno 1420. in die S. Jacobi.* (b) *Idem Codex eod. fol. Actum 1416. feria quinta poſt diem Conceptionis Mariæ.* (c) *Idem Cod. fol. 48.* (d) *Chron. Hirſaug. Tomo II. fol. 346. & ſeqq. ad annum 1417.* (e) *Codex E. ſic habet fol. 30.* Procuravit ad ſcribendum duo volumina, videlicet Antiphoniarum unum, & Graduale cum Sequentiis per Johannem Hachmayr de Eslinga ſub anno Chriſti 1419. *Uterque liber in membrana elegantiſſimè eſt exaratus, & magno ſumptu ſtetiſſe neceſſe eſt.*

§. III.

§. III.

Fridericus Abbas XXXV.

1. Nobili Stettnerorum genere oriundus Petro successit eodem anno 1420. Mense Octobri. Qui an adolescens ad claustrum venerit, an à Sacerdotio vel Rectoratu alicujus Ecclesiæ, dubitandi causa nobis suboritur. Nam anno 1414. Caspar & Erasmus Armigeri de Geben fundaverunt Beneficium in Capella cæmeterii apud Parochialem Ecclesiam Hagenhyl pro parentibus suis defunctis: quod Albertus tertius à Stauff, Episcopus Ratisbonensis, confirmavit certis pactis, *quæ omnia & singula honorabilis vir Dominus Fridericus Stettner Rector dictæ Parochialis Ecclesiæ in Hagenhyl coram nobis attentavit, eisque pro se & successoribus suis dictæ Ecclesiæ in Hagenhyl Rectoribus liberè & expresse consensit*, anno supradicto die 25. Mensis Octobris. (a) Affirmare nil certi possumus: Stettnerorum verò nomen in Monumentis, Genealogicis tabulis, & Historiis celebre invenimus, Hundio (b) Falckensteinio (c) & Corbiniano Khammo (d) testibus: quorum primus in scuto gentilitio caput Leoninum eos ostentâsse affirmat.

2. Duodecim annis, quibus præfuit, varia ad monasterii utilitatem gessit, ut paupertatem illius elevaret, quæ in Instrumentaria appendice pro viribus aperiemus. Prædium quoddam Tyrolense in Gratsch Fridericus locavit novo colono per F. Stephanum Paur œconomum, præter quem alius nobis ex monachis tunc degentibus non innotuit.

3. Singulare illius temporis est, quod memoriam mereatur, nempe cœpta S. Ordinis nostri reformatio. De ea, quæ tempore Friderici Abbatis apud nos facta est, ita scribit Joachimus noster in Syntagmate statutorum fol. 2. *Incipiunt consuetudines & ceremoniæ regulares, quas Domini Visitatores imitandas monasterio Wessobrunnensi servandásque sanxerunt, secundùm quod in Charta visitationis & libro ceremoniarum de anno Domini MCCCCXXVI. per eos traditis expressum est.* Celebratum fuerat eodem anno die 21. Aprilis ex præscripto Concilii Constantiensis Capitulum Ordinis Provinciale septimum Erfordiæ, præsidentibus Joanne Uraugiensi, Henrico Brunsuicensi, Georgio S. Ægidii Norimbergensi, & Nicolao Anhusano Abbatibus: è quibus delecti monasterium nostrum de more visitârunt. (e)

4. Quo animo hanc visitationem Fridericus exceperit, quóve ardore ejus observantiam monachis suis inculcaverit, aut quali exemplo ipse

prai-

præiverit, scriptum non invenio. Difficultate rem non caruisse credibile est, vissisque Abbas visitantium votis non satisfecisse. Nam 1432 (f) die undecima Maii celebratum fuit Capitulum Ordinis Provinciale octavum Augustæ Vindelicorum ad S. Udalricum, ubi præsedere Ortwinus S. Petri Erfordiæ Abbas, (g) Joannes in Steina, & Henricus in Amorbach: eodémque anno (ut ait Chronographus noster) (h) Fridericus Abbas noster *repente deponitur*. Hæc sententia non Friderico magis, quàm monasterio nostro gravis fuit. Depositus enim annis triginta tribus supervixit Weilhemii vicino nobis oppido. Ubi si Parochum egisset, quia pleno tunc in Ecclesiam illam jure gaudebamus, tolerabile videretur, licèt sine omni monasterii detrimento fieri vix potuisset: quia verò, ùt alius noster Leopolderi Codex docet (i) per aliquos annos præbendam accepit, difficillimum accidere debuit. At meliora quævis sentire præstat, cùm defuncti corpus ad monasterium fuerit honorificè reportatum, & in sacello S. Benedicti, communi bonorum Præsulum sepulchro, honorificè tumulatum. Vix non adducor ut credam, eumdem fuisse Fridericum hunc Abbatem cum illo *honorabili viro Domino Friderico* (k) superiùs memorato, æquè divite ac nobili, qui monasterio nostro, tunc admodum pauperi, facultates suas intulerit, monachum induerit, &, licèt Abbatis dignitate dejectus, humaniùs & honorificentiùs habitus sit, tamquam Benefactor. Non tamen diffiteor, eum alicubi accusari, quòd *plures possessiones alienaverit à monasterio*. Sit fides penes authorem. (l)

(a) *Hund. Metrop. Tomo 2. fol. 295.* (b) *Ejusdem* Stammen-Buch *parte 2. fol. 352. articulo*: Wart/ *recenset Joannem Törringer*, Jacobum Stettner, *& Oertlinum Trenbeck tanquam sigillatores cujusdam contractus initi Monachii 1363.* (c) *Falckenstein Antiquit. Nordgav. de Ep. Eystad. P. II. §. CXVII. fol. 279. in Genealogia Werdensteiniana refert Conradum de Stetten, cujus uxor Anna de Werdenstein, filia uxor Jacobi Kechler, mater Veronica Kechlerin de Schwandorff, avia Georgii de Werdenstein, Ordinis Teutonici Equitis.* (d) *A Cl. P. Corb. Khamm memorantur* David à Stetten *Duumvir*, & Chrystophorus à Stetten *Ædilis. Hier. Aug. P. I. Cathed. fol. 383.* (e) *Chron. Hirsaug. Tom. II. fol. 372.* (f) *Idem Chron. fol. 382.* (g) *Hoc Monasterium Scotis originem debet, & adhuc in Academia Erfordiensi cathedram possidet.* (h) *Codice G. fol. 177.* (i) *Codex E. fol. 30.* (k) *Suprà hoc §. num. I.* (l) *Codex E. fol. antè cit. Cæterùm in Parte II. Instrumentaria de Friderico proferemus, quæ ipsius industriam commendent.*

§ IV.

Urbanus Abbas XXXVI.

1. URbanus, in Manuscriptis nostris Codicibus Ybanus vocatur, nempe Eobanus, quod nomen illo ævo non infrequens erat, ùt Eobanus Hessus Poëtices Norimbergæ Professor, & postquam novam sancti Sebaldi aram à civibus magno sumptu erectam insigni carmine celebrâsset, ad Lutheri partes transfuga. (a) S. Eobanus verò S. Bonifacii Frisonum Apostoli socius indefessus, ab illo Chorepiscopus creatus, cúmque illo socius Martyrii effectus fuit: ejúsque ac S. Adelarii corpora, primùm in monasterio B. Virginis Erfordiæ collocata, deinde Fuldam translata. (b) Nos Urbanum vocabimus; cùm talis jam vocetur in Chronico Benedictoburano ad annum 1433. in Mantissa Caroli Stengelii inter Abbates Fuessenses. (c)

2. Genus porrò Abbatis Urbani nobilissimum fuit, Rotensteiniorum scilicet, qui in codice quodam nostro manuscripto sæculi XV. inter nobiles, jam Caroli Magni ævo celebres, numerantur. Verùm sit sua huic codici fides: nobis alii certiores sufficiunt: ùt Wilhelmus de Rottenstein, cujus filia Seguna proavia fuit Joan. Georgii de Halweil Episcopi Constantiensis: (d) item alia de Rotenstein proavia fuit Diethelmi Blarer de Wartensee, cujus filii Joannes Jacobus Præpositus & Princeps Elvacensis, Wolfgangus Eustettensis Canonicus fuit. (e) Georgius de Rottenstein inter Commendatores Ordinis Teutonici vigesimus primus numeratur. (f) Castrum Kapfenburg emptionis titulo 1364. nomine totius Ordinis Teutonici comparavit Marquardus, Zoller dictus, nobilis de Rottenstein commendator Mergentheimensis, postea primus Kapfenburgensis. (g) Conradus de Rotenstein Eques, cujus filia Corona fuit uxor Hauptii de Pappenheim, mater quatuor filiorum & unius filiæ: quibus sororis suæ liberis Ludovicus de Rottenstein Eques Coronæ frater, & ultimus sui nominis legavit Rotenstein, Grunenbach & Kalda in Algoja. (h)

3. Urbanus Abbas coenobii ingressus regimen, quod breve erat habiturus, industriam suam in pluribus monstravit, tum prædiis redimendis tum debitis dissolvendis. (i) Chronicon Benedictoburanum nos docet, Urbanum Abbatem nostrum anno 1433. Augustæ Vindelicorum interfuisse testem, cùm Gregorius Abbas Benedictoburanus ab exactione debiti, quod nobilis

quidam Bojus eidem intentaverat, coram Joanne Kautsch Vicario Generali se liberaret. (k)

4. Cæterùm justo major in famulos suos indulgentia Urbanum dignitate movit; illi enim heri sui bonitate abusi, & quidlibet impunè licere rati, ac fortè ex ipsa ejusdem nobilitate audentiores, una nocte in Foresto, sive ex insidiis sive per rixam, tres viros, monasterii subditos, trucidârunt. Tametsi porrò famulorum scelus luere Abbas non debuerat, ipse tamen Urbanus, vir mitis & alieni sceleris dolore concussus, cedere maluit, &, cùm aliàs emendatio disciplinæ vehementiùs urgeretur, dignitatem apud nos gestam in manus Udalrici Stöckl resignavit undecima die mensis Martii: ex quo arguimus famulorum crimen per Bacchanaliorum ferias fuisse patratum, ipso tempore audaciam inflammante.

5. Quod tamen facinus, quàm parum Urbani famæ detraxerit, ex eo patet, quòd eodem anno discessûs à nobis sui, fuerit denuo Abbas assumptus monasterii S. Magni in Faucibus Juliis: ubi sex annis præfuisse, ac demum monasterii montis S. Mariæ in Tyroli factus dicitur. (l) Addit Martinus Abbas Faucensis libello de vita & miraculis S. Magni, eundem Urbanum ad sepulchrum Domini Hierosolymas & ad limina Apostolorum peregrinationem suscepisse. Nostra verò Chronica Urbanum in Faucibus depositum transtulisse se ad monasterium S. Mariæ V. in monte Vinschgew cum unico servo, ibique in præbendarium fuisse susceptum. Quo tempore omni regiminis ullius curâ vacuus, satis otii nactus est, quo & sibi soli vacaret, & religiosis intentus operibus Palæstinam Romámque inviseret. Ex itinere reversus in monasterio Mariæ-Montano obiit anno incerto, ipso verò festo S. Marci Evangelistæ.

6. Porrò si Abbatem Martinum, Stengelium, Khammum, relatósque ab iis Catalogos Faucensium attendamus, magna nobis Wessofontanis controversia oritur de annis, quibus Urbanus apud nos præfuerit. Nam Martinus Abbas eum Faucibus præfuisse asserit ab anno 1410. & resignâsse post annos sexdecim: item ait: *priusquam ad nos* (Faucenses) *veniret, fuit etiam Abbas Wessebrunnensis*: ergo ante annum 1410. cùm tamen manifestis argumentis pateat, & coætaneis documentis ostendatur, Fridericum Stettner ab anno 1420. usque ad 1432. præfuisse; ejusdem successorem Urbanum usque ad annum 1438. sexenniô gubernâsse. Annos Urbani non alios esse, quàm à nobis assignatos, coætanea Instrumenta monstrabunt.

7. Ut compendio dicam, quomodo Urbanus dignitate cesserit, Reformatio illa Tegernseensis, de qua proximè loquemur, incitamento fuit, sed maximè patratæ à famulis Abbatis subditorum cædes peraecommodam ansam præbuêre. Arrepta igitur occasione renovandæ disciplinæ Petrus Episcopus Augustanus, & Wilhelmus III. Bavariæ Dux collatis consiliis Urbano persuasêre, ut sponte cederet: nec difficilis ille, quippe servorum suorum crimine commotus, assensit, eò etiam libentiùs, quòd eidem pacta quædam indulgerentur, de quibus adhuc habetur, si non ipsum Instrumentum, saltem illius inscriptio his verbis: *Resignatio & Concordatio Ybani Abbatis cum successore suo Udalrico Stöcklin.* (m) Non dubito, quin hæc humanitas sanguinis ejus equestris reverentiæ, & placandis ejusdem consanguineis fuerit impensa.

8. Cæterùm hujus Abbatis tempore Petrus de Schaumburg S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Vitalis, Episcopus Augustanus authoritate sua confirmavit fœdus illud inter sacerdotes Landspergensis & Pözenhusani Capitulorum pro defunctorum solatio initum, de quo superius ad annum 1370. sub Paulo I. Abbate XXXI. egimus. Datum est confirmationis Instrumentum Augustæ 3. Calendas Octobris anno 1435.

(a) *Bav. S. Volum. II. fol. 61.* (b) *Eckhart Franc. Orient. Tom. I. fol. 544.* (c) *Mantissa fol. 58.* (d) *Falckenstein Hist. Eustad. P. II. fol. 84. Cave errorem typi; nam & pro 82. impressum est 84.*, (e) *Idem ibid. fol. 36.* (f) *Hier. Aug. in Auctario Partis I. Cathed. fol. 129. ad annum 1525.* (g) *Eodem Auctario fol. 131. num. 340.* (h) *Hund. Stammen-Buch fol. 165. circa med.* (i) *Cod. A. fol. 7. Anno D. 1433.* in die Purificationis Virginis hat Abbt Yban die Güetter zu Mauren und Grueben abgelöst. *Item ibid. eod. fol.* Anno D. 1437. am Chotember freytag in der vasten hat der gemain rat der stat München unserm Gotzhaus Wezzesprunn gegeben einen spruchbrief umb etliche schuld an einer glocken. &c. (k) *Chron. BBur. P. I. fol. 176.* (l) *Hier. Aug. P. III. Regul. fol. 277. & Martin. Abb. in Vita S. Magni fol. 255. ubi Ybanus vocatur.* (m) Cod. A. fol. 40. col. 2.



CAPUT

CAPUT III.

Udalricus VI. Abbas XXXVII.

§. I.

Udalrici postulatio.

1. Quantumcumque studii impenderit Petrus I. Abbas ad gerendum Concilio Constantiensi morem, & promovendam disciplinæ monasticæ reformationem, nihilominus, ut humana omnia facilè defluunt in deterius, illo vix mortuo refrigescere denuò fervor cœpit sub Friderico & Urbano successoribus, sicut acta eorum lectorem docuêre. Commodùm tunc maximè calebat disciplinæ regularis studium in celeberrimo monasterio Tegernseensi, in quod auspicio Wilhelmi Bavariæ Ducis, promovente Rmo D. Joanne Grüenwalder Frisingensi in spiritualibus Vicario, Mellicensis reformatio anno Domini 1426. felicissimè fuit introducta. Fusè hac de re agunt monumenta vetera Historiam inclyti Monasterii Tegernseensis illustrantia apud Pezium. (a) Cœpit protinus monasterium virtutis laude longè latèque clarescere, ita ut viri graves & eruditi illuc convolarent & monasticum habitum peterent, quorum facilè dux fuit Joannes Keck Giengensis sacræ Paginæ & Artium Professor. Igitur serenissimo Bavariæ Duci, monasterii nostri ruinas consideranti, placuit ex eodem florentissimo monasterio virum petere, qui seriò tandem stabiliret tam disciplinam, quàm fortunas Wessofontanas. Misit igitur, monachis nostris minimè invitis, & Casparo Abbate Tegernseensi annuente, R. P. Udalricum Stöcklin de Rotach virum ùt genere, ita virtute nobilem, qui res nostras restitueret, & in ordinem redigeret dissipata. Venit ad monasterium nostrum circa festum S. Gregorii M. Papæ, & facta cum Urbano Rottensteinio compositione, cujus suprà mentionem fecimus, magna Episcopi & Principum voluptate, Abbas assumitur. Quando confirmationem & Benedictionem cum Pontificalibus adeptus fuerit (adeptum verò fuisse certum est, cùm inter mitratos fuerit pictus) nullibi adnotatum invenio.

(a) *Tom. III. Anecdotorum, Parte III. à columna 537.*

§. II.

Studium Divini Cultûs.

2. PRimum Udalrici negotium fuit, accendere suos ad peragendum ferventiùs divinæ Psalmodiæ officium. Quare ipso anno, quo advenerat, vix mensis spatio tolerare potuit desiderium suum, statimque post Pascha, quod tunc in diem decimum tertium Aprilis inciderat, procuravit duas ingentes picturas Christi Domini crucifixi, publicè in utraque parte Chori appendendas, ut utraque psallentium Religiosorum series, dulcissimi Redemptoris sui, cujus amore sæculum reliquerant, consideratione ad devotam divinæ in se pietatis memoriam, & gratiarum actionem, accenderetur.

3. Et quoniam omnia relinquentibus & sequentibus Christum in hoc etiam sæculo centuplum promittitur, nempe ut nihil necessarium desit timentibus eum, hac etiam ex parte Udalricus fratribus providere voluit. Invenerat totam aliquam dormitorii partem præ mera vetustate collapsam, jámque Religiosorum cultui inutilem factam. Quare ut nemo querelam de habitationis suæ incommodis movere posset, simúlque majori etiam Candidatorum numero locus pararetur, partem illam collapsi ædificii à fundamentis novam, multóque altiorem eduxit: præterea ad ægrotorum solatium sub ipso dormitorio valetudinarium struxit valde commodum, in cujus una parte cœnarent, in altera quiescerent.

4. Neque Religiosis tantùm suis, sed etiam omnibus Parochiæ Wessofontanæ subjectis consultum voluit. Hos ut ad divina Officia diebus festis ferventiùs frequentanda alliceret, Indulgentiarum thesaurum sollicitè inquisivit. Obtulit se peropportuna occasio, cùm Joannes S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de Bavaria nuncupatus, & tunc quidem Generalis Synodi Basileensis ac Sedis Apostolicæ per Germaniam Legatus à Latere, Norimbergæ præsens versaretur. Ab hoc Udalricus Abbas obtinuit litteras, quibus authoritate sibi concessa certas elargitur Indulgentias ab illis lucrandas, qui monasterii nostri Ecclesiam in Festis Domini & aliis quibusdam visitarent, & ad ædificii restaurationem aliquid conferrent. Datæ sunt litteræ *Norimbergæ Bambergensis Diœcesis anno 1441. Felicis Papæ V. anno primo.* Eodem anno V. Idus Januarii Pontificia authoritate concessum est (forte per eumdem Joannem Cardinalem) ut *quicunque sextis feriis sub pulsum campanæ horâ meridiei apud dictum* (Wessofontanum) *monasterium flexis genibus ob reverentiam & memoriam Passionis Christi cum devotione dixerint unum Pater noster, Ave Maria, & Credo, quoties id fecerint, toties habeant unum annum & unam quadragenam Indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis.* Hoc loco addit Stephanus noster hæc verba: *Vide de cæteris Festivitatibus pleniùs litteras Johannis Cardinalis.*

5. Ne-

5. Nequis in errorem inducatur, ut putet eo tempore revera sedisse Felicem quemdam Pontificem, cùm Catalogus Pontificum ex magno Bullario desumptus nullum hujus nominis anno supradicto, imò toto illo sæculo, Papam referat: sciat, Felicem hunc fuisse Pseudopapam, atque ita Joannem etiam illegitimum Cardinalem. Invenit tamen uterque multos, qui ipsorum partes tuerentur. Joannes verò à Felice deceptus, ut alii non pauci, fuit alioquin sanguine nobilissimo oriundus, nobilior etiam doctrinâ, quippe sacrorum Canonum Doctor, Canonicus Cathedralis & Vicarius Generalis Episcopi Frisingensis, à Bertholdo Episcopo Brixinensi constitutus Præpositus Inchingensis, à Capitulo Cathedrali anno 1421. electus Episcopus Frisingensis, sed non confirmatus, donec tandem, cedente Henrico Schlikhio Episcopo, quietam Episcopatûs Frisingensis possessionem anno 1448. obtinuit, post quatuor annos regiminis defunctus, & in Cathedrali templo sepultus. (b)

6. Udalricus Abbas ad stabiliendam disciplinam monasticam nihil intermisit. Anno 1439. die 16. Aprilis celebrabatur Ordinis nostri Capitulum Provinciale decimum à tempore Concilii Constantiensis. Congregatum id fuit Norimbergæ in monasterio S. Ægidii. Præsederunt Hartungus S. Petri Erfordiæ, Georgius S. Ægidii Norimbergæ, Nicolaus S. Blasii in Silva nigra, & Henricus in Amorbach Abbates. His totique consessui exhibita fuit Constitutio Basileensis Concilii pro reformatione nostri Ordinis eodem anno edita, Abbatibus ad observantiam commendata & ab ipsis reverenter accepta. Interfuisse huic Abbatum Capitulo Udalricum nostrum persuadet mihi insignis ejusdem pro Religione zelus, neque ipsum ob loci distantiam excusatione uti voluisse crediderim. (c)

7. Imò videtur mihi fructus quidam ejusdem Capituli fuisse consilium illud perquam salutare, quod Udalricus proximè sequente suscepit. Ne soli sibi omnis disciplinæ monasticæ cura incumberet, & incepta semel Reformatio ut ætatem ferret, ex inclyto monasterio Weihenstephanensi prope Frisingam insignem virum petiit Leonardum Vettinger, hospitem apud nos, ut præferebat, revera adjutorem sibi futurum. Nec difficilis in Udalrici nostri vota Eberhardus S. Stephani Abbas fuit, quippe qui ipse Concilio Basileensi interfuit, & magno Religionis nostræ zelo flagrabat, ubicunque occasio eandem amplificandi sese offerret. Venit igitur Leonardus anno 1440. ineunte, vixit cum nostris ut verè domesticus, in omnibus religionis exercitiis accuratus, charitate erga omnes insigni: ac propterea omnibus charus, ita ut cuivis bono cælitùs datus esse videretur. Anno igitur 1441. omnium censensu & Abbatis maximè vo-

to

to solemne stabilitatis apud nos votum nuncupavit, & eodem mox anno die 25. Maji, in festo nempe S. Urbani, Prior est electus. Eumdem paulò pòst Udalrici successorem in Abbatis dignitate videbimus. (d)

(b) *Vid. Chronicon Frisingense Germanicum à fol. 231. usque ad 242.* (c) *Tritthem. Chron. Hirsaug. Tomo II. fol. 400.* (d) *De illo Eberhardo agit Hund. Metrop. T. III. fol. 479.*

§. III.

Diversa Udalrici negotia tum domestica, tum externa.

8. STabilito quoad interiorem disciplinam monasterii statu, Udalricus ad temporalia quoque in ordinem redigenda se convertit. Ac imprimis anno 1441. feriâ tertiâ post Inventionem S. Crucis datæ inveniuntur litteræ, vi quarum Bartholomæus, Nobilis de Wal monasterio nostro remittit Advocatiam quandam super prædium aliquod Morenvveisense. Eodem anno cum Alberto Duce Bavariæ Abbas villam Menzinganam, de qua per Udalricum Höhenkircher empta sub eodem egimus, permutavit pro aliis commodis possessionibus, sicut ex Hundio discimus. (e) Anno sequente feriâ quintâ post festum S. Elisabethæ concessit Udalricus vitalitium quoddam in Partenkirch Joanni Arnolter, uxori ejus Barbaræ, & Wilhelmo fratri: pro quo annuatim in censum solvere jussi sunt circa festum S. Galli duas libras monetæ Veronensis.

9. Ut creditoribus quibusdam, quos decessores ejus fecerant, satisfaceret, vendidit Udalricus Udalrico Weichsner & hæredibus ejus prædium quoddam Vilgertshovense: aliud quoque Margaretæ Weichsherin, quæ transmisit illud in Thomam Erhard. Omnes isti erant cives Landspergenses. Videbimus autem illa denuò redempta per Abbatem Casparum Gözium. Interim manifesta necessitas Udalricum nostrum ad hæc alienanda adigebat.

10. Ædificia etiam quædam extra Clausuram erant necessaria. Hospitum commoditati provisurus, juxta Abbatis habitationem Udalricus exstruxit diversoria, in quibus commodè reficerentur, & pernoctarent. Ab Ecclesia S. Joannis parochiali (ut hortum Religiosis destinatum faceret ampliorem) murum duxit usque ad portam atrii, per quam parochianis aditus

aditus ad utramque, monasterii nempe, & Parochiæ, Ecclesiam patet. Inde adjecit horreum ex ligno longum & capacissimum versùs Aquilonem, cujus hodie ne vestigia quidem supersunt.

11. Denique cum Gregorio Abbate Benedictoburano Udalricus noster ab Eugenio Papa IV. jussus est defendere & vindicare monasterium Ettalense, cùm diversa illius Jura fuissent diminuta, bonáque distracta, datis etiam desuper litteris, confectis publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renuntiationibus & pœnis adjectis, quæ omnia cedebant in gravem illius monasterii læsionem. Litteræ Apostolicæ datæ sunt Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo nono, septimo Idus Maji, Pontificatûs Eugenii anno nono, quæ per extensum videri possunt apud Hundium. (f)

(e) *Tom. 3. Metropol. 485.* (f) *Tom. 2. Metrop. fol. 318.*

§. IV.

Obitus Udalrici Abbatis.

12. Videtur Abbas iste infirma plerumque valetudine fuisse, & breve vitæ suæ tempus futurum præsensisse. Cur enim adjutorem officii Leonardum altero statim anno accerseret, nisi quòd viribus suis tantæ, quantam invenerat, ruinæ resarciendæ suffecturis diffideret, quæ sola satis ipsum videbatur fatigatura? Sensit, non dubito, primo statim anno difficultates non modicas in rebus ad œconomiam pertinentibus, quas sibi primùm extricandas sumebat, disciplinæ maximâ parte in Leonardi Prioris humeros rejecta, cujus tamen ipse, quantum per externas curas licebat, supremam inspectionem gerebat. Prævidens igitur facilè se oneri succubiturum, consulere voluit animæ non suæ solùm suæ, sed & suorum, dum plures sibi post obitum suum intercessores conciliare studuit, inito nempe mortuali fœdere anno 1439. cum Carthusiensibus Norimbergæ tunc cœnobium possidentibus. Prima hæc confœderatio invenitur apud Wessofontanos. Cur autem non prius aliqua cum Benedictinis, vel Canonicis Regularibus, monasterio nostro vicinioribus? Occasionem nempe præbuit Capitulum Provinciale Ordinis nostri eodem anno Norimbergæ celebratum, ùt supra diximus; (g) unde confirmatur opinio mea, Udalricum nostrum Capitulo illi præsentem adfuisse. Non æquè facile est divinare, aliud tale foe-

dus cum Canonicis regularibus celeberrimi monasterii Rohrensis in Diœcesi Ratisbonensi qua occasione fuerit initum, & quidem anno 1440. Initum tamen fuit, & in hodiernum diem perdurat. (h)

13. Hæc quæ hactenus retulimus, cùm solerter providéque gessisset, citiùs, quàm res monasterii peterent, Udalricus Abbas nobis ereptus est, brevi morbo extinctus anno 1443. die 6. Maji, quo S. Joannis Apostoli ante portam latinam memoria colitur, cùm ab annó 1438. die undecima Martii per annos quinque & menses duos magna cum vigilantia, nec minoribus curis, præfuisset. Sepulcrum accepit in sacello S. Benedicti juxta januam sacri odæi, sub lapide longo, sed sine inciso epitaphio aut effigie. Supplevit illud Stephanus Leopolder his elogiis: *Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio in die S. Joannis Apostoli ante portam latinam obiit venerandus & religiosus Nobilis Udalricus Stöckl Abbas Wessinsbrunnensis bonæ memoriæ, Inceptor Reformationis vitæ monasticæ: præfuit valde laudabiliter & religiosè, ex maxima paupertate Ecclesiam suam fideliter liberaturus, si diutius supervixisset.* (i)

(g) *Hoc Capite §. II. num. 6.* (h) *MS. B. circa finem sub rubrica* Y. Litteræ fraternitatis. (i) *Codex C. fol. 181. & Cod. E. fol. 31.*

CAPUT IV.

Leonardus I. Abbas XXXVIII.

§. I.

Leonardi electio.

1. LEonardus ingenuo & gentilitiis insignibus ornato sanguine natus, monachus antea Weichenstephanensis, postea monasterio nostro per editam professionem aggregatus, cùm Prioris munere optimè per biennium fuisset perfunctus, anno 1443. eodem mense Majo, quo decessor obierat, Abbas est electus, præsente Jodoco Vicario Generali Augustano.

2. Celeriter omnia Leonardo successêre; nam Udalrico, 11. Maji mortuo, suffectus Præsul, ejusdem anni & Mensis die 18. confirmatus fuit

fuit Augustæ Vindelicorum in ipso Episcopali Palatio: die 19. solemnem Benedictionem, sicut & pridie confirmationem, suscepit in Ecclesia S. Elisabethæ, ædibus Abbatis Cæsariensis annexa: ubi & honoratissimos solemnitatis testes festivo prandio excepit. (a)

3. De Jodoco illo Vicario Generali Augustano posset nobis moveri controversia, utpote quem anno 1443. nondum eo functum officio tam Corbinianus Khamm, quàm Carolus Stengelius asserunt. Iste in Mantissa (b) ad annum 1460. eum differt, & annis 20. officium tenuisse affirmat: Khammus verò cœpisse eum anno 1461. dicit & ex epitaphio monstrat, mortuum fuisse anno 1471. adeóque decem tantùm annis Vicarium fuisse. Adducit testimonium Bruschii, & Musarum Fultenbacensium, & harum quidem ex carmine hoc ordine monasterii sui administratores recensentium Wilhelmum Mader, Martinum Dieminger, Jodocum Abbatem antea Urspergensem. (c) In tantis dubiis malim sentire & credere, quòd Stephanus noster anno 1502. jam monachus factus, & temporibus Leonardo vicinioribus scriptum reliquit, ex documentis majorum, accuratè à tempore aliquot Abbatum Chronologiam texentium.

Similem curam vix exspectare possim ex monasterio Fultenbacensi, administrationi Vicariorum commisso; cùm facilè ordo Vicariorum à posteris potuerit perverti: & alia eisdem in parte III. Hierarchiæ regularis Chronologia tribuatur. (d) Neque Stengelio aut Khammo, utpote inter se diversis, tantam tribuere fidem, ut geminorum Codicum (e) antiquitatem ausim postponere.

4. Cæterùm Jodocus iste ex Religioso Roggenburgensi Abbas Urspergensis postulatus, relictâ Abbatia, ad dignitatem Vicariatûs ascendit, Bruschio & Khammo testibus.

(a) *Cod. E. fol. 32.* (b) *Mantissa fol. 19.* (c) *Hier. P. I. Cathed. fol. 500. n. 34.* (d) *Ibid. fol. 288. 289.* (e) *Nempe Cod. E. l. c. & Cod. C. fol. 181. ubi ait, Leonardum Weihenstephanii ad S. Ordinem fuisse susceptum anno 1417. die 1. Maji.*



§. II.

Ruinarum temporalium restauratio.

5. Cùm biennio integro, quo Prioris munere fungebatur Leonardus, disciplinæ consuluisset, & obsequentes fratrum animos sibi paràsset, electus Abbas ad externas monasterii necessitates curam suam extendit, ut quo minùs deesset singulorum utilitati, eò promptiùs currerent viam mandatorum DEI. Ut tuto & commodo loco decimæ ex agro Landspergensi collectæ servarentur, ædificavit Leonardus Landspergæ spatiosum horreum & granarium, ubi fruges reponerentur, & flagellarentur: eidem horreo adstruxit domum, in qua operarii alerentur, & Religiosus granario præfectus, si necessitas exigeret, laborantibus invigilare vel monasterii negotia procurare jussus, honestum receptaculum inveniret. Expendit in horreum istud & domum centum quinquaginta quinque libras denariorum monacensium. In atrio deinde monasterii exteriore aliud ingens granarium idque capacissimum à fundamentis excitavit, & intra triennium consummavit, quod hodiernum in diem usui est peropportuno. Piscinam quoque quadratis ex lapidibus struxit, in quam ex ipsis Wessonis fontibus limpidissimas aquas derivavit: sicut & in fontem, quem medio in atrio ligneum fabricari jussit ad publicam omnium utilitatem, & ut in promptu semper esset, unde incendiis obsisteretur. His omnibus etiam novam pistrinam & molendinum adjecit ex lapide, cùm antea tantùm lignea essent: utrumque muro circumdedit. Hæc de ædificiis à Leonardo ad œconomiæ utilitatem excitatis.

6. Libertatem à teloniis pro vino ex Tyroli evehendo obtinuit à serenissimis Austriæ Ducibus Friderico & Sigismundo. Udalrico Buast prope Bolzanum locavit hortum & domum, pro quibus ille annuatim quatuor urnas vini monasterio pendere obligatus fuit. Alia minoris momenti omittimus, & ad sacra transimus.



§. III.

§. III.

Leonardi ſtudium pro domo Dei, pro diſciplinæ augmento, pro juribus ſacris monaſterii.

7. TEmplum Weſſofontanum, quod ad Leonardi uſque ætatem ligneis tantùm tabulis tegebatur, ùt hodiedum alia plura, Abbas noſter ſolido ex quadratis ſaxis fornice totum obduxit: ſicut & odæum ſacrum, quod ara ſumma à templo dividit. Turrim novâ campanâ auxit, cui hæc inſcripta verba leguntur: *O Rex gloriæ Chriſte, veni cum pace.* Ad augmentum ſacræ ſupellectilis emit argenteam Chriſti crucifixi effigiem, ſexdecim libris monacenſium perſolutis: ſcyphum etiam magnum argenteum & deauratum ab Oſvvaldo Moſauer Monachii comparavit ſexaginta florenis Rhenenſibus.

8. Quantum ad diſciplinæ propagationem attinet, ſua ipſe manu anno 1451. in unum volumen collegit omnia ſtatuta & viſitationum decreta, quæ hucusque monaſterio noſtro fuerunt tradita, ſicut teſtatur Joachimus Abbas, qui ea recentiori calamo faciliùs legenda reſcripſit & ad poſteros tranſmiſit.

9. Providè hæc Leonardus paraverat adventuris quamprimum viſitatoribus; nam eodem anno Capitulum Provinciale ordinis noſtri XIV. die 23. Maji celebratum fuit Herbipoli, in monaſterio ſancti Stephani. Nicolaus Cuſanus S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, Epiſcopus Brixinenſis (prope Sabionam nempe) Apoſtolicus à latere Legatus, ipſe Capitulo cum 4. Abbatibus præſedit, ſcilicet S. Ægidii Norimbergenſi, S. Burckardi Herbipolitano, S. Petri Erfordienſi, & S. Gotthardi Hildesheimenſi, ordinis noſtri per Moguntinam Provinciam Viſitatoribus. Quanto ardore idem Purpuratus inſtiterit, ſuaſerit, curas ſuas & operas impenderit ad S. ordinis noſtri decorem, ſatis Trithemius explicat. (f) Eodem interea anno venêre ad fontes quoque noſtros Patres Viſitatores per Alemaniam deputati: collecta ab Abbate Leonardo ſtatuta, ſibi oblata & communi Monachorum huiatium aſſenſu jam ſuſcepta approbaverunt authoritate ſua, & obſervanda commendârunt.

10. Anno dein 1452. ſupervenit ſupra laudatus Cardinalis Nicolaus, & integro triduo à Leonardo Abbate exoratus apud nos manſit hoſpes ſuaviſſimus exhibitâ ſibi ab Abbate collectarum obſervantiarum ſerie, at-

 tenté-

tentéque perlectâ, *rogatus, ut super harum obligatione, suâ, imò Apostolica potius authoritate, qua fungebatur, pro futuro robur susciperent, propria manu sua signavit, respondens, quemadmodum ipsis Visitatoribus, ita & sibi per omnia in eisdem temp'acitum esse &c.* Hæc ex Joachimo Monacho olim nostro, dein Abbate San-Petrensi, tunc apud nos Priore, accepimus. (g)

11. Neque his contentus Leonardus noster constitutionem Benedictinam, à Benedicto XII. Pontifice pro reformatione ordinis nostri anno 1336. editam, quadriennio verò pòst ab eodem elucidatam, à suorum quodam describi jussit, & observandam inculcavit in illis, quæ in aliis statutis non essent satis clara & explicata.

12. Et quoniam juxta S. Regulam nostram *otiositas inimica est animæ*, ad hanc è monasterio eliminandam totus incubuit, rudiores honestis manuum operibus, litteratos frequenti scriptione occupavit. Leonardus est, cujus ætate resuscitata est veterum Codicum solers descriptio: & licèt ejus ætatis elementa perquam informia & ad legendum difficilia, diligentiam tamen mirari librorum copia & magnitudo jubet. Hoc laudandum nescio, magis, an dolendum sit, quòd nemo eorum, qui scripsêre, nomen suum prodiderit. Solum invenio Urbanum Subdiaconum & Monachum Wessofontanum, qui circa annum Domini 1455. descripsit Diadema Monachorum Smaragdi Abbatis: Tractatum de charitate DEI & proximi: de arte moriendi. Ipse Leonardus præter illam Constitutionum collectionem, è latina in linguam Teutonicam transtulit & anno 1459. descriptam reliquit Regulam SS. Patris nostri Benedicti, usui fratrum Conversorum seu Laicorum servituram: ad cujus calcem hi sive versus, sive rhythmi, pro illius ævi ruditate compositi, subjiciuntur: *Nomen scriptoris si tu cognoscere velis, si LEON- ponatur, & HAR- addatur, & DUS adjungatur, qui scripsit, ita vocatur.*

13. Pro stabiliendis authoritate Apostolica monasterii juribus & possessionibus summo Pontifici Pio II. Leonardus supplicavit, & obtinuit insignem Bullam anno 1458. Idibus Januarii Romæ apud S. Petrum, Pontificatûs ejus anno primo editam, qua sanctissimus Pater monasterium nostrum in suam protectionem suscipit, omniáque bona & immunitates confirmat. Pius II. antea Æneas Sylvius Piccolomineus dictus, pronior in vota Leonardi facilè sperabatur; fuit enim Æneas Sylvius, utpote Nicodemi Episcopi Frisingensis olim Secretarius, Leonardo nostro jam dudum notus in monasterio primæ suæ Professionis Frisingæ proximo commoranti, priusquam hinc ad Fontes nostros transiret.

14. Eo-

14. Eodem anno fundamenta sunt jacta Parochialis Ecclesiæ S. Viti Landspergæ: primum lapidem posuit Abbas noster Leonardus. Quo tempore cautum voluit monasterio nostro, nequid juri decimarum Landspergensium nobis decederet, quod timebatur, quia anno priore Abbas & Conventus Senatui Landspergensi condescendit, ut iste, salvo nobis jure præsentandi, Vicarium perpetuum Landspergæ, & alios ibidem Beneficiatos, jus haberet eosdem nominandi. Factum hoc erat civium bono, ut filiis suis ad statum clericalem aspirantibus faciliùs providere de Ecclesiastico Beneficio possent, atque promptiores monasterii commodis promovendis forent. (h) Weilhemii verò, cujus Ecclesia Parochialis pleno etiam jure monasterio nostro dudum fuit annexa, acrior excitata contentio est; nam coloni Wielenbacenses, quibus Capellanus Weilheimensis sacra ministrat, plura, quàm deberi credebantur, à Curato suo officia apud Leonardum Abbatem postulabant. Res devoluta est ad Petrum Episcopum, & Cardinalem, qui omnia singulatim designavit, & omne dubium sustulit.

(f) *Chron. Hirsaug. Tom. II. fol. 423.* (g) *Syntagma Joachimi post Indicem antiquum fol. 2.* (h) *Cod. A. fol. 40. hanc synopsin exhibet*: Condescensio nominationis Landspergensium ex parte Parochiæ & aliarum Missarum ibidem, *nempe Beneficiorum fundatorum.*

§. IV.

Externa negotia & obitus Leonardi Abbatis.

15. Cùm Ernestus Bavariæ Dux diem obiisset supremam, qui in Monte sancto Andecensi Collegium Canonicorum fundaverat, Albertus III. ejusdem successor, DEO inspirante aliud consilium pro majori loci veneratione cepit. Videbat de septem Canonicis non nisi unicum Andecii residere, adeóque perparum SS. trium Hostiarum, & innumerabilium Reliquiarum cultum promoveri.

16. Memor quoque ab antiquo locum per Benedictinos cultum, majori Religione floruisse, Nicolaum Cusanum, S. Petri ad vincula Cardinalem, consilii sui certiorem factum, ad montem sanctum adduxit, ut sacrum Thesaurum inspiceret. Purpuratus hic Præsul summo Pontifici consilium Ducis significavit, nec tardum invenit in hujus vota. Nam paulò pòst sanctissimus Pater solemnem Bullam ad Albertum Ducem transs-

transmisit, qua Wilhelmo Abbati Benedictoburano mandabatur, ut certis conditionibus observatis, collegium Canonicorum in monasterium ordinis Benedictini Apostolica authoritate converteretur. Illas ut impleret, biennium Albertus adhibuit, Bullam interim ad Wilhelmum Abbatem misit; qui, cùm petitas conditiones impletas cerneret, transmutationi diem præfixit 17. Martii, anni 1455.

16. Cùm igitur dicta dies affulsisset, Wilhelmus Abbas in monte sancto comparuit, & præmissis præmittendis, ad executionem Pontificiæ Bullæ processit, vidénsque omnes à Sanctissimo præscriptas conditiones impletas, in communi triclinio Præposituram in Abbatiam mutavit. Solemnitati intererat ipse Albértus III. ejus nominis Bavariæ Dux, Casparus Ayndorffer Tegernseensis, Erhardus Eberspergensis, Wilhelmus Schyrensis, & Leonardus noster Wessofontanus, Abbates; Georgius Raittenbuchensis, Conradus Diessensis, Henricus Pollinganus, Præpositi: præterea Bernardus Tegernseensis, & Georgius Wessofontanus, Priores: E statu verò sæculari complures Illustrissimi cum duobus Notariis. (i)

17. Eodem anno, instante Alberto Duce, in festo S. Georgii venêre ad montem sanctum in locum 7. Canonicorum totidem monachi Benedictini ex monasterio Tegernseensi, quibus præesse Administrator jussus est Eberhardus Stöcklinus, Udalrici Abbatis nuper nostri germanus, aut certè cognatus, & Professionis eodem in monasterio, supradicti Caspari ouris reformato, socius. Qui cùm triennio novum S. Montis monasterium feliciter administrâsset, anno 1458. Dominicâ S. Jacobi festum præcedente in Abbatem solemniter est consecratus. (k)

18. Leonardus noster, hoc S. Ordinis augmento recreatus, cùm suo, suorúmque post mortem solatio fœdera plura iniisset, cum Weihenstephanensibus (l) Raittenbuchensibus (m) Ettalensibus (n) Diessensibus (o) Pollinganis (p) Neocellensibus (q) Donawerdanis, (r) diem supremam post biennium lætus excepit die 2. Julii, ipso Deiparæ Elisabetham visitantis festo, anno 1460. cùm præfuisset annos 17. sepultúsque est in capella S. Benedicti, communi Abbatum conditorio. Tumulo impositus lapis prægrandis, cui Leonardi effigies, cum ejusdem scuto gentilitio, & sequenti epitaphio insculpta, hos versus seu lineas exhibet:

Sint Domino grati cuncti illic tumulati
Abbatum omnium, qui sunt, erunt & fuerunt
Atque Leonhardi, qui decessit annoque tali,
Millesimo quadringentesimo, sexagesimo.

(i) Om-

(i) *Omnia hæc leguntur explicatiùs in Chronico Benedictoburano Cap. XX. §. III. fol. 186. & seq. Uberiùs in opere, quod Meichelbeckius ibidem allegat* (Himmel auf Erden, seu Cœlum in terris) *germanicè edito, P. III. cap. 4. à fol. 123. & seqq.* (k) Cœlum in terris *fol. 162.* (l) *Anno 1449.* (m) *eod. anno.* (n) *An. 1450.* (o) *eodem.* (p) *eodem.* (q) *anno 1451.* (r) *anno 1453.*



SÆCULUM OCTAVUM *WESSOFONTANUM*,

CAPUT I.

Paulus II. Abbas XXXIX.

§. I.

Pauli II. Electio.

1. PAulo hujus nominis secundo, in Abbatum serie trigesimo nono, natalem dedit ditio Wessofontana, eadémque Parœcia regenerationis lavacrum. Religionem in cœnobio nostro professus, & ad severiorem disciplinam educatus, per varia officia providè administrata ad gerendum Prioris munus ascendit. Leonardo decessore 2. Julii, in festo Visitationis B. V. piè defuncto, nulla fuit fratribus hæsitatio, quem sibi præficerent. Quarto statim ejusdem mensis die, quo sancti Udalrici Episcopi Augustani solemnitas celebrabatur, concordibus votis electus fuit Paulus noster, promptóque Episcopi consensu, decimo pòst die Abbas confirmatus; consecratus verò 4. Idus Augusti in festo Laurentii Martyris à Joanne Tulbeck Episcopo Frisingensi: fortè quòd Eminentissimus Petrus de Schaumburg impeditus esset, eo maximè anno, quo satis occupabatur turbis Elvacensibus, ejusdémque monasterii in Collegium Canonicorum conversione: vel quòd Augustæ Martino Dieminger nondum successisset Jodocus Aursperg. Joannes verò Episcopus Frisingensis, qui tunc cum Benedicto-Buranis de quibusdam pascendi, piscandíque juribus contendebat, potuit à Petro Cardinale invitatus consecrationis hujus officium ex itinere præstare. (a)

 2. Tan-

2. Tantæ celeritati in eligendo & consecrando Paulo ansam sine dubio præbuit nota viri virtus, & meritorum fama, ac indubia spes, inter summos eum Præsules futurum. Nec profectò illa quemquam fefellit, sicut acta Pauli re ipsa monstrârunt.

(a) *Chron. Benedictobur. fol. 246. ad annum 1469. quo Paulus noster electus est.*

§. II.

Acta Pauli pro cultu divino & Religionis augmento.

3. VIx electus in Abbatem Paulus monasterium renovavit, & omnia loca regularia ad meliorem formam redegit, quæ etiam ab eodem Joanne Episcopo consecrari curavit, quo tempore ipse consecrationem accepit.

4. Ad promovendum decorem domûs Dei pro divinis officiis varia vestimenta, sedilia, picturas, illas præcipuè apud Aram Deiparæ in cœlos assumptæ in sacello Abbatis, procuravit, templum monasterii novis altaribus auxit, primo trium sanctorum Regum, altero sancti Wolfgangi Episcopi Ratisbonensis honori dedicato: atque hoc posterius quidem ad preces Nobilissimi viri Pauli de Freyberg, & uxoris ejus Ursulæ: familia verò Freybergica sepulturam propè idem altare sibi pridem elegerat. (b)

5. Ut arctiori clausuræ consuleret, hortulum conventûs designavit, muroque cinxit. Triclinium elegantibus picturis exornari jussit. Presbyterium templi, sacellum S. Mariæ Magdalenæ, & totum dormitorium lapideo pavimento stravit.

6. Curam singularem impendit antiquo sacello Beatissimæ Virginis in cœlum assumptæ, quod vulgò *antiquum monasterium* (das alte Münster) vocabatur. Novam veteri illi, & pro ea ætate splendidam formam Paulus dedit: novo illud & ampliore odæo instruxit: Organo etiam pneumatico locupletavit: tribus altaribus decoravit: campanellam adjunxit. Nil aliud ad has impensas Paulum impulit, nisi antiqua loci religio; vetus enim, & à trecentis annis propagata opinio est, sacellum illud antiquam fuisse & principem monasterii nostri Ecclesiam, donec nempe major hæc, vel alia à Thassilone fundatore, vel ab Adalberone Abbate, post illatam ab Hungaris ruinam construeretur. (c)

7. Nova huic ædi conciliata religio fuit tunc, cùm septem Martyrum integræ exuviæ è loco exantlatæ pro Christo mortis in eamdem fuissent translatæ, honorificéque depositæ. Accessit anno 1130. Beatæ Diemudis nostræ virginale corpusculum, ad latus Beatorum Martyrum, tenui tantùm pariete interposito, eodem sepulchro conditum. Crevit utrorumque honor posterioribus annis; nam circa annum 1227. Conradus Pozzo,

Pozzo, ante hac Plebanus Landſpergenſis & Pyrgenſis, fundavit perpetuum Anniverſarium cum Vigiliis & ſacrificio celebrandum, & quidem in hoc ſacello Beatiſſimæ Virginis, *ubi Corpuſculum præmiſſa Diemudis eſt humatum.* (d)

8. Antiquum S. Othilia Virgo cultum in Diœceſi Auguſtana obtinuit, ejúsque memoria die 13. Decembris in officio divino variis locis ſolemniter celebratur. Paulus Abbas anno 1483. ejusdem honori ſacellum in Agro Rottenſi à fundamentis erexit, ídque duobus altaribus, præter illud ſanctæ Ottiliæ auxit, quam anno ſequente die 13. Menſis Auguſti conſecrari fecit. Anniverſariam tamen Dedicationis memoriam in Dominicam 1. Auguſti rejici Epiſcopus juſſit. Frequens ad ſacellum iſtud recurſus fidelium ab antiquo jam fuit, hodiéque cernitur, eorum maximè, qui cœcitatis periculo, & cuicunque oculorum ægrimoniæ levamen quærunt. Nec defuit diva ſe invocantibus, quin petitum beneficium daret. Unum è multis inſigne tabula magna prope aram ſuſpenſa rhythmis germanicis teſtatur, puellam videlicet Dieſſenſem, nondum ſexènnem, ſed à nativitate cœcam, multis tandem precibus à parentibus extorſiſſe, ut ſe ad ſanctam Othiliam ducerent, certam, ſe ibi lumen recepturam. Ducitur cœcula, ſacellum inter parentum manus ingreditur, ad aram ducitur, cùm ſubitò illuminata pueriliter parentem rogat: hunc mihi quæſo infantulum emas; viderat enim pueri JEſu figuram in ara poſitam. Tum parentes hortati, ut ſoſpitatrici ſuæ gratias ageret, & gratitudinis ſuæ officio perfuncti cum filiola, jam ducis non indiga, læti Dieſſam reverſi ſunt. Hodie hæc Eccleſia turricula lateritia, & orichalco tecta, novóque ſacrario aucta, à multis accolis S. Othiliæ cultoribus maximè in thaumaturgæ hujus ſanctæ Virginis feſto, frequentatur.

(b) *Hund. Metrop. Tom. III. fol. 485.* (c) *Lucem aliquam affert ſuperiùs Secul. I. cap. I. §. III. num. 41.* (d) *Vid. Sec. IV. cap. VIII. §. II.*

§. III.

Romana Privilegia Pauli Abbatis precibus conceſſa.

9. Vigilantiſſimus pro juribus monaſterii noſtri Abbas ad ſummum Pontificem Paulum II. ſupplices litteras dedit, tum generatim pro confirmandis omnibus monaſterii bonis, tum ſingulariter pro iis, quæ in Eccleſias Rottenſem & Iſſinganam monaſterio competebant. Promptiſſi-

 mum

mum in vota sua Abbas Pontificem invenit, nec magno labore Bullam obtinuit, qua sanctissimus Pater *omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus sive per privilegia, vel alia indulta, nobis & monasterio nostro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, aut aliis Christi fidelibus nobis & monasterio nostro rationabiliter indultas, specialiter autem decimas, primitias, agros, terras, possessiones, fructus, redditus, proventus, aliáque mobilia & immobilia bona ad dictum monasterium legitimè spectantia: nec non sancti Joannis Baptistæ in Rot, & Margarethæ in Yssingen, ac alias Augustanæ Diœcesis Moguntinæ provinciæ Parochiales Ecclesias &c. Authoritate Apostolica* confirmavit. Romæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXX. undecimo Cal. April. Pontificatûs anno septimo. De utraque Ecclesia & veteri nostro in eas jure jam alibi à nobis actum est, Bullam integram secunda parte daturis. (e)

10. Mortuo dein Paulo II. summo Pontifice, ejúsque successore Sixto IV. apud Innocentium Octavum Abbas noster generalem omnium bonorum nostrorum confirmationem pari facilitate obtinuit, Romæ expeditam anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIII. Idus Junii, Pontificatus sui anno quarto.

11. A Pontificibus ad Cardinales descendimus, qui haud minùs promptos Pauli Abbatis precibus se præbuêre. Pro sacello Beatissimæ Virginis in cœlum assumptæ, de quo paulò antè dixeramus, sollicitus Abbas, & devotos ad illud Deiparæ cultores allecturus, non alia ratione meliùs fine suo potiturum se arbitratus est, quàm si populus Christianus oblatis Indulgentiarum thesauris ad exhibendam frequentiám excitaretur. Tempore igitur Sixti V. Pontificis votum precésque suas Purpuratis Patribus exposuit, qui pro sua, qua tunc valebant, authoritate litteras dedêre refertas gratiarum. Quatuordecim fuêre Cardinales, singulique centum dies de injunctis eis pœnitentiis relaxârunt iis fidelibus, qui quatuor Deiparæ festis verè pœnitentes & confessi in festis illius Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis & Purificationis visitarent, & ad sacelli prædicti reparationem manus porrigerent adjutrices. Ad tantam verò liberalitatem Purpurati Patres movebantur, cupientes, *ut capella Beatæ Mariæ Virginis sita in ambitu monasterii S. Petri in Wessobrunn Augustensis Diœcesis, in qua, ut accepimus, jacent septem corpora Martyrum tempore S. Udalrici ab Ungaris Martyrizatorum, congruis frequentetur honoribus &c.* Datæ erant hæ litteræ anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio die tertia Aprilis, SS. Patris Sixti Papæ Quarti anno duodecimo. (f) Verùm hæc de summorum Pontificum & Purpuratorum Patrum favoribus

bus dicta sufficiant, ut Paulo nostro tam monasterii commoda, quàm Divini honoris augmenta mirificè cordi fuisse intelligamus. Videre nunc restat, quid etiam patriæ, quid viciniæ nostræ obsequiorum præstiterit.

(e) *Si nempe per opusculi hujus & temporis angustias licuerit. Interim videatur Index.* (f) *Has Cardinalium litteras recitavimus supra fol. 73. §. III. Testimon. II.*

§. IV.

Officia publica.

12. Dividiæ, ac simultates, quæ inter fratres Albertum & Christophorum Bavariæ Duces exarserant, non alio magis alebantur fomite, quàm Nicolao Abenspergæ Dynasta, qui pertinaciter Alberto natu majori adhærebat: credebatur ergo, hoc uno sublato posse pacem conciliari, & gratiam inter fratres coalescere: at res eò tandem recidit, ut, quæ inter eos gliscebant controversiæ, non certiori, nisi publico vicinorum Principum & selectorum Bavariæ Ordinum arbitrio, dirimendæ viderentur. Anno Domini 1485. statuta dies designata judicii sedes Monachium: advenerunt post Paschales ferias Joannes Palatinus Rhenanus, Præpositus Augustanus, & hic quidem, agmine Themidi formidando quingentorum equitum stipatus. Lecti ex omni numero Principum & Ordinum Provinciæ viri sexaginta quatuor, quorum arbitrio controversia finiretur. Quosdam, & fortè præcipuos ex Ordinibus, vetus nobis Catalogus exhibet in compendio, ex quo hoc loco solos Prælatos monasteriorum dabo. Comparuère ergo ex superiore Bavaria Deputati Paulus Abbas Wessofontanus, Joannes Vendius Præpositus Pollinganus, Obsignatores Conradus Abbas Tegernseensis, & Paulus noster, cum Præposito Undenstorfensi. Ex Bavaria inferiore Abbates Prüellensis, & Monasteriensis: Obsignatores verò Abbates Altachensis, Pruseningensis, cum Prüellensi. Pleniorem Equitum & Civitatum seriem parte secunda in gratiam nobilitatis artisque proferam.

13. Videbatur res plena difficultatis & incerti exitus fore, fuissétque certè, nisi Alberti sapientia breviorem ad claudendum Jani templum viam invenisset. Christophorum fratrem ad colloquium invitat, venire hæsitanti spondet fore, ut suæ eum facilitatis non pœniteret: venientem humanissimè excipit: suadet, felicius solos inter fratres controversiam expedi-

peditum iri, quàm si diversorum arbitrio permitteretur, quorum animi diversis trahi affectibus magis, quàm veritate possent: neminem certè Christophoro tam æquum, quàm se ipsum, fratrem fratri, fore. Illum premi ære alieno: id omne Albertum dissoluturum de suo: si pristini proventus tenuiores viderentur, ultro se offerre quaterna in singulos annos aureorum millia: Landspergensium loco Schongaviam fore, mansurum Weilhemium, ad Palam additam iri Lechspergam, & annexas quæsturas. Delinitus verborum suavitate Christophorus, unáque cum fratre progressus in Comitium supervacuo labore Proceres liberavit, palam professus, sibi ab Alberto abunde satisfactum esse, nec superesse aliud, quàm ut, quæ jam privatim convenissent, in tabulas referrentur. (g) Quibus celeriter communi lætitia confectis, suóque sigillo obsignatis Paulus noster officio suo perfunctus ad cœnobium rediit. Cùm ultimùm jam viso Monachio, Prælatorum inter Provinciæ Ordines natu maximus esset.

13. Non minùs memoria dignum est, quod subjungo. Præpositus & Canonici Pollingenses, cùm ab immemorabili tempore monasterio suo incorporatas tenerent Ecclesias Eberfinganam, Oettinganam, Apfdorfensem, S. Hippolyti apud oppidum Weilheim, & Walleshusanam, pro earum secura possessione summo Pontifici Paulo secundo supplicaverant. Pontifex eorum votis annuens Abbati nostro Paulo per Bullam 1470. 10. Cal. Aprilis editam confirmationis promulgandæ negotium committit. Id Paulus Abbas debita solemnitate præstitit in cœnobio nostro Wessofontano, ubi suo & totius monasterii nomine comparuit Joannes Præpositus Pollinganus, cum Georgio Gebhart Weilheimensi & Benedicto Weigling Birgensi Plebanis: Notarii munus obeunte Joanne Wirsing sigillifero Augustano, anno Domini 1471. die 13. Augusti. Eandem incorporationem confirmârunt Bavariæ Duces Albertus sapiens Monachii anno 1477. & Christophorus 1481. Weilhemii litteris subsignatis. (h)

(g) *Adlzreitter Annal. Boic. P. II. lib. IX. num. XLIII. &c. colum. 197. & 198.*
(h) *Totam Commissionem & Expeditionem habemus typo impressam.*

§. V.

Pauli Abbatis cura pro mortuis.

14. ANtiquissimus mos sacrarum Fraternitatum, quas inter se religiosæ communitates inierant, ad præstanda defunctis subsidia, hac denuo

nuo ætate refloruit, qua per Concilium primum Basileense, tum Constantiense, ordinis nostri restaurari cœperat disciplina. Paulus noster majorum insistens vestigiis, plures quàm alius quisquam Abbatum, Fraternitates iniit. Primo statim acceptæ dignitatis anno salutari ejusmodi fœdere sibi suisque devinxit Benedictoburanos & Staingadienses: post annos quatuor cum Biburgensibus, Ordinis tunc nostri, & Congregationis Castellensis Monachis: paulò pòst cum Eberspergensibus, & Augustanis S. Udalrici Religiosis: demum cum Prislingensibus, S. Magni Faucensibus, Rottensibus ad Oenum, Andecensibus, & Seeonensibus. Juvat horum postremorum litteras hoc loco ponere, ut Lector rationem videat, qua olim monasteria in sacrum fœdus coire consueverint. (i)

„ 15. Reuerendo in Christo Patri Domino Paulo Abbati, Venerabilibus ac Religiosis Patribus & Fratribus Johanni Priori, totique „ Conventui monasterii sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Wessenprunn ordinis sancti Benedicti Augustensis Diœcesis Erhardus DEI „ permissione Abbas, Georgius Prior, totúsque Conventus monasterii S. Lamperti in Sevvn, Salisburgensis Diœcesis, fraternæ caritatis affectum in effectu cum felici translatione hujus erumpnose calamitatis „ ad gloriam immortalem. Cum invidia & fraude maligni seductoris „ totius humani generis conditio per peccatum adéò sit excæcata, infecta, & virtute depressa, ut magis quod non licet, quàm quod expediat „ prosequatur: nec sumus sufficientes aliquid ex nobis tanquam ex nobis cogitare, multo verò minùs prosequi & perficere, rationabile quidem videtur & congruum, ut qui ollas carnium cum cepis & alleis „ carnalium voluptatum & terrenarum affectionum in Egipto febrosæ & „ mundialis dolositatis reliquerunt, viam lucis tramite trium dierum, videlicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ, in desertum sanctæ religionis processerunt, & manum operosæ virtutis ad aratrum spiritualis profectûs apposuerunt, non post tergum videntes, sed veloci cursu cœptam viam proficiscantur, ut non caduca sed vera bona sine fine „ mansura quærant, & ad eadem, de virtute in virtutem incessanter „ ambulando feliciter tandem perveniant. Quod nos nullo medio validiùs & perfectiùs fieri judicamus, quàm devotis & sinceris orationibus, quæ sunt vera instrumenta nostræ salutis dicente Jacobo Apostolo: orate pro invicem ut salvemini. Sed neque oratio, aut quodcunque aliud bonum sine charitate, quæ omnia facit communia & quæ omnia potest, supremo placet largitori. Amplectamur igitur eandem, „ ut fusis pro invicem piis obsecrationibus, quod unum membrum imbecillitate præventum nequeat perficere, alterius profectu & virtute

„ sup-

„ supplicatur. Igitur vestræ sinceræ charitatis affectus & piæ intentionis „ fervor, quem ad nos immeritos & ad nostrum monasterium concepistis, uberiùs orationibus adjuvari suffragiisque irrigari, ut quo largiùs „ à Patre luminum super vos gratiarum coruscat illustratio, eo caritas „ vestra in ipso feliciùs proficiat. Nos igitur tali vestræ caritatis affectu „ allecti, & vestræ religionis ac honestatis percelebri fama attracti matura deliberatione præhabita decrevimus sinum charitatis nostræ in „ singulare vestræ confraternitatis consortium dilatare: ita ut plenæ „ fraternitatis ac bonorum omnium communionis in Missis, „ orationibus, eleemosinis, abstinentiis, ac aliis virtutum exercitiis, quæ divina clementia per devotos nostros comilitones præsentes & futuros dignabitur operari, vobis omnibus, præsentibus „ & futuris, cordiali affectu in sinceritate spiritus hilariter ac pleno „ desiderio elargimur in vita pariter & in morte. Adjicientes, ut cum „ obitus fratris unius aut plurium prædicti Monasterii vestri professi vel „ professorum nobis intimatus fuerit, vigilias & Missam defunctorum „ cum cerimoniis juxta consuetudinem nostri monasterii persolvemus: „ insuper & singuli sacerdotes Missas legentes singulas Missas, clerici verò Missas non legentes officium defunctorum totum, vesperas „ & vigilias novem lectionum cum laudibus, sed & fratres Conversi laici centum Pater noster cum totidem Ave Maria dicere tenebuntur, id „ idem à vobis pro nostris vicissim obligari cupientes. Ut autem hæc „ irrefragabiliter futuris temporibus inviolata permaneant, præsentes „ vobis transmittimus litteras sigillorum nostrorum munimine consignatas. Datum in nostro prætacto monasterio anno Domini millesimo, „ quadringentesimo octogesimo quinto feria secunda post Gregorii „ Papæ. „ (k)

(l) *Inita sunt hæc Fœdera cum Bburanis & Staingad. 1460. Biburgensibus 1464. Eberspergensibus 1465. Prislingensibus 1467. Füssensibus 1479. Rottensibus 1484. Augustanis S. Udalrici, Andecensibus, & Seonensibus 1485.* (k) *Has litteras exhibet Cod. B. in fine.*

§. VI.

Obitus Pauli II. Abbatis.

16. Præter ea, quæ Paulus ad divinum cultum, Religionis augmentum, disciplinæ vigorem, patriæ viciniæque obsequium præstitit, œconomiæ etiam fructuosius gubernandæ providit. Nam & à telo- niis

niis in Tyroli pro vino Athesino pendendis libertatem à Rege Sigismundo obtinuit, obtentámque renovari iteratò impetravit. Ædificavit furnum ad coquendos lateres, & propè lacum Cellensem accommodatam secandis arboribus molam. Domûs villanæ partem anteriorem exstruxit, ampliorémque capiendæ familiæ fecit. Domum quoque novam erexit pro præbendariis, atque ita priscam consuetudinem in ordine nostro antiquitùs vigentem & à S. Wilhelmo Hirsaugiensi propagatam resuscitavit, juxta quam pii fideles laici vel virium debilitate, vel negotiorum terrestrium satietate, vel senectutis onere fessi, vitæ reliquias in divino obsequio quietiùs transigendi desiderio, ad cœnobia se recipiebant, facultatum suarum residuum monasterio consignabant; si non haberent, servitia sua præstabant; & vicissim præbendam, seu statutam cibi potúsque portionem à Conventu recipiebant, unáque in domo extra clausuram, intra tamen monasterii limites convivebant, labori manuum suis vel Ecclesiæ commodis promovendis intenti. (l)

17. Tot, tantísque laboribus per annos viginti sex fatigatus, plenúsque meritorum Abbas præstantissimus, supremam diem obiit anno 1486. die 18. Februarii, quo inciderat sabbatum ante Dominicam Reminiscere. Decebat nempe tali die, Deiparæ sacra, mori Mariophilum, qui tam ferventer pro illius sacelli ornatu laboravit. Quam vivus tenerrimè dilexerat, in illius sacello tanquam materno gremio mortuus sepeliri exoptavit, & obtinuit. Tumulo impositum fuit prægrande marmor, totam defuncti figuram exhibens. Limbum lapidis implent versus seu rhythmi ad asperam illius sæculi incudem infeliciter fabricati:

Hic omnes transeuntes verba percipite,
Et mente sincera auscultate,
Quod hic jacent in fossa
Pauli secundi Abbatis ossa.

Verùm nihil jam moratur Paulus epitaphium qualecunque; nam

Qui legit æternæ se scriptum in codice vitæ,
Insculptum tumulo non petit elogium.

(l) *Codex E. omnia hæc ædificia recenset fol. 34. & 35. Stephani nostri manu exarata.*

§. VII.

Frater Abbatis Sebastianus Ranck, Parochus in Peyren.

18. VIr iste memoriâ dignus est, qui non solùm religione, sed etiam prudentia, eruditione & officiis monasterium nostrum sibi devinxit. Amor fratris germani (Pauli videlicet Abbatis) & patriæ Wessofontanæ virum incenderant, ut nihil aliud animo foveret, nihil cogitaret aliud, quàm quomodo promoveret commoda nostra. Parochiam Peyrensem nostri hodie Patronatûs, cui subjecta est arx Greiffenbergica, curabat Sebastianus, eámque sibi existimationem conciliaverat, ut negotia diversa ipsi ab Episcopis committerentur. Paulo Abbate in Præsulem electo, vir iste germano suo multò junior, litterariis præter animarum curam laboribus se occupabat. Possidemus hodieque librum (cui titulus: *Collectura monasteriorum Sebastiani Ranck*, adscriptus est) propria ipsius manu exaratum, Episcopatuum, Ecclesiarum tam secularium quàm Regularium fundationes continentem non in sola Bavaria, sed foris etiam constructarum. Ætatem Andreæ Ratisbonensis, & Viti Arenbeckii si consideres, facilè suspiceris, Sebastianum à primo multa mutuâsse, alteri nonnulla etiam de suo subministrâsse: (m) adeò non sententiæ solùm, sed & verba quandoque conveniunt. Ceterùm hunc monasteriorum Collectaneum non indignum putavit Monachus quidam noster Anonymus, quem sæculo 16. elegantiore charactere rescriberet, auctúmque pleniore Thassilonis historiâ, posteritati relinqueret. Sebastiano ad historiam nostram, præter alia multa, debemus Catalogum ordinum Provinciæ Monachii præsentium, cùm Alberti & Christophori Ducum controversiæ, de quibus supra, componerentur. Paulò ante obitum fratris, singulari erga SS. quatuordecim Auxiliatores religione actus, Româ suis precibus & expensis pro fidelibus, illorum aram in Ecclesia monasterii nostri positam devotè frequentantibus, obtinuit litteras quatuordecim Cardinalium sigillis munitas: quorum quilibet confessis, & communicatis in festis SS. Petri & Pauli, Thomæque Apostolorum, Sebastiani Martyris, ac Dedicationis ejusdem altaris centum dierum indulgentias concessit, Romæ 1485. die vigesima nonâ Novembris, Innocentii VIII. Papæ anno secundo.

19. De-

19. Defuncto jam Abbate germano nihil tamen ab amore in monasterium suo Sebastianus remisit. Nam Joannis quoque, qui Paulo in Præsulatu successit, Electioni testis & adjutor adfuit, ut mox ostendemus. Et cùm in Augustana curia contentio dirimeretur, quid Parochiæ Partensis monasterio nostro incorporatæ Curioni deberetur ad congruam sustentationem, itidem Sebastianus assistebat. Transactionis porrò hujus historiam sub Joanne Abbate elucidabimus: de aliis Sebastiani meritis & obitu nihil sub manum venit: Deus illius obsequia remuneretur in gloria.

(m) *Vide Tom. III. Anecdot. Pezii Dissert. Isagog. in Partem III. fol. XXV.*

CAPUT II.

De Joanne, & Petro II. Abbatibus.

§. I.

Joannes Abbas XL.

1. JOanni cognomento Molitori natalem lucem Isna contulit, Imperialis Suevorum civitas. Inde clarescente novi monasterii Andecensis famâ deductus in Bavariam, ad sacrum ordinem ibidem susceptus sic se probavit Andreæ Abbati, ut in Capellanum fuerit ab eo assumptus, futurus ab epistolis, aliórumque laborum adjutor.

2. Paulo Ranckio Abbate nostro Februarii die 13. defuncto ad novi Antistitis electionem, tum Episcopi, tum Bavariæ Ducum Authoritate constituta est dies quarta Martii. Aderant Abbates Andreas Andecensis, & Narcissus Benedictoburanus: aderat Jacobus Wirsing, Joannis de Werdenperg Episcopi Augustani nuper 10. Jan. defuncti sigillifer: aderant & vocati testes Sebastianus Ranck Abbatis defuncti frater, & Georgius Hüngerlein de Weilheim presbyteri. Fratres nostri, qui eligendi jure gaudebant, ultro compromiserunt, in supradictos Dominos Abbates, quemcunque illi monasterio utilem nominâssent Abbatem, Præsulem se veneraturos.

3. Electus ergo fuit P. Joannes Molitor, Andreæ Abbatis Andecensis Capellanus, qui modestissimus tota contentione renitebatur, nec sperratam, minus ambitam dignitatem offerentibus. Nihilominus obedire coactus est, *ut introduceretur observantia Regularis.* Nescio, quænam disciplinæ corruptio, aut languor saltem, irrepere potuerit, ut extraneus optaretur Præsul, & ipsi Majores nostri tantæ rei curam alieno arbitrio gerendam committerent, cùm nuperrimè ab Udalrico Stöckl Tegernseensi incepta, à Leonardo Vöttinger Weihenstephanensi egregiè propagata fuerit disciplina, & cultus divinus insigniter auctus à Paulo Ranckio Wessofontano: nisi fortè postremis annis remitti cœperit fervor, cùm Abbatem Paulum abesse sæpiùs cogerent publica negotia Patriæ, inter cujus Patres conscriptos fuerat adlectus, ut superiùs in ejus Actis narravimus.

4. Sabbatum erat ante Dominicam quartam Quadragesimæ, cùm Joannes proclamatus est Abbas. Proximo dein sabbato, undecimâ Martii Augustæ confirmatus, & duodecima sequente, qua S. Gregorii Papæ festivitas in Dominicam Passionis inciderat, in Abbatem fuit consecratus. Vacabat tunc sedes Episcopalis, donec tandem Friderici III. Imperatoris, & filii ejus Maximiliani commendatione, Episcopus renuntiatus fuit Fridericus Comes de Zolleren, decessoris sui ex sorore nepos, magnus Catholicæ Religionis zelotes. (a)

5. Prima Joannis sollicitudo fuit, ut monasterii bonis, toties leben, fraudes, insidias & detrimenta passis, firmitatem afferret. Impetravit ergo ab Innocentio VIII. Bullam, qua omnia potestate Apostolica confirmantur Romæ ad S. Petrum, tertio Idus Junii, Pontificatûs anno quarto. Deinde ut non solùm hactenus parta tueretur, sed etiam novis redditibus monasterium augeret, quo lætiores Domino servirent monachi, jugum disciplinæ æquiùs ferrent, numero etiam augerentur, paucior um onera sublevaturi, Alberto Bavariæ Duci ejus nominis quarto supplex commendatitias ad summum Pontificem Innocentium VIII. litteras petiit. Nec difficilis in preces dux fuit, cùm Joannem nôsset Montis sancti Andecensis antea inquilinum, quem in locum tam ipse, quàm Chunigundis conjux Friderici III. Imperatoris filia tenerrimè afficiebantur. Accessit, quòd monasterium nostrum *à progenitoribus suis fundatum* pro certo habens, hoc etiam nomine illud commendaret, singulariter petens, ut Ecclesia S. Petri Peissingana monasterio nostro cum fructibus suis uniretur. Pontifex Ducis petitioni, quem Romæ olim hospitem noverat, unde etiam rediens cognomentum sapientis retulerat, promptus annuit, & Apo-

stolicas litteras expedivit, in quibus monasterium nostrum *ob singularem devotionis affectum* laudat, dictámque Parochiam, salvis Vicario perpetuo necessariæ sustentationis adminiculis, cœnobio nostro pleno jure incorporat. Romæ ad S. Petrum anno 1488. 16. Cal. Septembris.

6. Supererat, ut Vicario perpetuo certi redditus assignarentur. Arbitrium devolutum fuit ad Vicarium generalem Reverendissimi D. Friderici Episcopi Augustani, qui Vicario tunc Ecclesiam curanti, D. Joanni Plöm, congruos redditus tum pecuniarios, tum ex agris recipiendos assignavit literis Augustæ datis, anno 1487. die 5. Cal. Sept.

7. Simile negotium Joanni Abbati obortum fuit anno 1490. cùm D. Udalricus Schüssler, Vicarius Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Parr, certam congruæ sustentationis suæ definitionem peteret. Descendit Abbas ipse Augustam cum F. Vito Maurer Conventuali Wessofontano, ubi Venerabilium virorum Joannis Vischor Friderici Episcopi sigilliferi, Joannis Mantsee curiæ Augustanæ causarum Procuratori, aliorúmque consilio compositio tandem certis conditionibus facta est, quas hìc enarrare longum esset. Inter testes aderat Sebastianus Ranck, suprà memoratus, monasterii nostri studiosissimus. Notarius autem publicus & instrumenti desuper confecti Author Joannes Andree Clericus Augustensis & Doctor, publicus Imperiali authoritate Notarius. Quamvis porrò Fridericus Episcopus 1491. compositionem hanc authoritate sua confirmaverit, anno tamen sequente novus iterum processus judiciarius est institutus, sicut ex summario quodam intellige. (b) Invenio etiam in rhapsodia quadam solo titulo expressas litteras pro decimis majoribus ex certis agris Dürgenfeldensibus, per Vitum monasteaii nostri Priorem vindicatis; alias item Henrici Molitoris Plebani in Gerenshausen, Pizlingæ in Abbatis nostri præsentia conditas. His non contentus Joannes Abbas nonnulla etiam ædificia struxit, tum Landspergæ, tum etiam in monasterio nostro, & hìc quidem turrim cum carceribus & portam atrii, quæ in hodiernum diem perdurant, antiquæ simplicitatis documenta.

8. Quis crederet, Abbatem tam industrium paucos post annos dignitate sua exutum iri? sive id majori vel Bavariæ Ducum, vel Episcopi authoritate factum sit, sive monachorum querelis, nihil scriptum invenio. Hoc ultimum suspicari, fundamento non videtur carere. Forsitan altioris potestatis metu vel reverentiâ extorta fuit illa eligentium compromissio in egregios Abbates, quos suprà laudavimus. Forsan Dux ipse Albertus, qui zelo magno ferebatur in ordinem Ecclesiasticum, ubicun-

que posset, reformandum, pondus adjecit: fortè fratres pacato Pauli Ranckii sollicito & laudabili sane 26. annorum regimine demulsi existimabant, de suo tandem gremio nonneminem posse inveniri gerendæ dignitati parem, ut extraneo non indigerent. Quidquid fuerit causæ, animorum quædam amaritudo nonnullos stimulâsse videtur, ut quidquid Joannes in varias causas, ædificia, gratias procurandas expenderet, exactissimè ad infimum usque teruntium annotarent. Quo fine nisi ut Joannem œconomiæ imperitum vel minùs parcum quàm monasterii paupertas ferret, arguerent? Eò res tandem devoluta est, ut Joannes dignitate cederet, quam tam æquo animo posuit, quàm ægro susceperat.

9. Stephanus noster ex inventis tum documentis, tum auditis Seniorum narrationibus, qui ad ætatem suam pertigerant, Joannis extrema his ferè verbis refert: Prædictus *D. Joannes Abbas anno Christi 1493. in ipso sanctissimi Patris Benedicti festo cum omni devotione summum peregit officium in Pontificalibus, & considerans, se esse involutum curis mundanis, & coram subditis suis minùs sufficientem, timens hujus caduci sæculi naufragium, animæque suæ volens prævenire detrimentum, deliberato animo revolvens illud dictum:* Fratres sobrii estote, *Illustrissimo Principe consentiente, volens se exonerare, resignavit Abbatiam, & absolutus est per D. Henricum de Liechtenau Doctorem, ac Vicarium, in festo S. Benedicti, qua erat quinta feria ante Dominicam Judica. Sic absolutus sine omni pensione liberè exivit, nihil petens à monasterio, atque, ut agnus mansuetus & pius, ductus est ad monasterium Schyrense*, cùm explêsset apud nos ab electione sua annos septem, & decem dies. Schyræ verò post annos septendecim in religiosa quiete transactos pientissimè obiit anno 1510.

10. Ex Leopoldi narratione facilè colligimus, Joannem fuisse virum placidum, tranquillum, & perquam religiosum, oneréque præsulatûs ita volentem sese exonerâsse, ut nullo alio impulsu opus esset. Pulcherrimum præbuit mansuetudinis & æquanimitatis exemplum, dum obtento jam Alberti Ducis in abdicationem assensu, à quo stabiliri potuisset, & coram præsente Generali Vicario, mox absolutionem ab officio impertituro, tenerâ in sanctissimum Patriarcham nostrum pietate summum DEO sacrificium Pontificio ritu celebravit.

11. Quam minimè commodi sui studiosus, & ab omni avaritiæ labe immunis esset, novo exemplo monstravit, cùm pensionem, aliàs renuntianti Abbati assignari solitam, recusavit: quam tamen alii inferioris no-

tæ præsules extorqueri sibi passi non sunt, ut Fridericus Stettner, & Urbanus de Rottenstein, quos suo loco descripsimus.

12. Cùm ab Henrico nobili de Liechtenau, postremo sui stemmatis, Canonico, Scholastico, Vicario, ac demum Episcopo Augustano, absolutionem accepisset, minùs ægrè amissam dignitatem tulit, quàm qui à dulci somnio evigilans contemnit, quod se habuisse agnoscit. Nec sine numine Divûm contigisse existimem, quòd Schyram abierit ex nostris Fontibus, quos majori dein calamitate turbatos, alius ex Schyrensi coenobio Præsul erat ad serenitatem reducturus, & quidem superstite Joanne, ut videns reparatas denuò ruinas nostras lætior cum Simeone moriens cantaret: *Nunc dimittis servum tuum Domine.*

13. Neque omittendum hoc loco triste incendium, quo celeberrimum monasterium Benedictoburanum anno 1490. in cineres consedit. Clarissimus Meichelbeckius narrat duos ex illo monachos, sicut alios alibi, in monasterio nostro fuisse hospites, donec illud restauraretur. Divinâ hoc providentiâ factum est, ut nostris quoque apud eosdem pateret janua, paulò pòst alia calamitate dispergendis. (c)

14. Sicut alii Abbates cum aliis monasteriis pia pro defunctis foedera inierunt, ita simile Joannes Abbas pepigit cum Canonicis summæ Ecclesiæ Augustanæ anno 1487. quod certis limitibus temperatum, hodiedum viget.

(a) *Hier. Aug. P. I. Cathed. fol. 296. num. 1. 2. &c.* (b) *Cod. A. fol. 7.* (c) *Chron. Bbur. Parte I. fol. 203.*

§. II.

Petrus II. Abbas XLI.

1. EX monasterio Tegernseensi, quod summa disciplinæ laude & insignium virorum famâ clarebat, post Udalricum Reformatorem, hunc etiam Petrum Abbatem accepimus. Gente Silesius erat, nativitate Wratislaviensis.

2. Vix Joannes Abbas discesserat, venit seu majorum authoritate, seu fratrum voto Petrus iste ad Fontes nostros, paucósque post dies Dilin-

lingam se contulit, ubi ipsa Dominica Palmarum, quæ fit 31. Martii inciderat, in Ecclesia ibidem Parochiali consecratus est Abbas.

3. Principio statim vigilantiæ laudem sibi comparavit tantam, ut videretur monasterium novo hoc Præsule respiraturum, certè quantum ad disciplinæ observantiam attinet. Dominicâ dein tertiâ post Pascha, die 23. Aprilis, Capitulo Provinciali Hirsaugiæ celebrato interfuisse novum Abbatem credimus. Præsidebant huic Joannes Trithemius Spanheimensis, Conradus Wiblingensis, Bartholomæus S. Crucis Donauvverdæ, & Andreas Montis S. Michaelis Bambergæ Abbates. Fridericus II. Episcopus Augustanus, pro nostri monasterii commodo vigil, deputatos à Capitulo Visitatores monuit, ut quàm primum possent, ad Fontes nostros venirent, necessitates inspicerent, lapsa erigerent, obedientiam Abbati novo fideliter præstandam, fratribus inculcarent. Venerunt itaque eodem anno 28. Novembris Bartholomæus S. Crucis Donawerdæ, & Joannes S. Ægidii Norimbergæ Abbates: quorum alter triennio pòst in capitulo Selgenstadii celebrato etiam præsedit. Quid actum sit in hac visitatione, charta docet ab his Abbatibus ad observantiam nobis relicta, è qua pauca alio loco dabimus. Summa, quantum ad statum monasterii attinet, hæc est: *Comperimus idem monasterium per sollicitudinem moderni Prælati in spiritualibus competenter stare: in temporalibus verò occasione debitorum dudum contractorum satis collapsum.*

4. Pauca Petri Abbatis acta, quæ scripta reperimus, hæc sunt. Ædificia quædam tum extra claustrum pro villa, tum intra monasterium erexit. Ad alleviandam egestatem Fratres quosdam ad alia monasteria in tempus aliquod sustentandos misit: inter quos F. Antonius Scheffler in monasterio Tegernseensi commoratus scripsit eleganti charactere Regulam S. P. Benedicti pro choro nostro, quæ in hæc usque tempora usurpatur. Denique Landspergensibus facultatem dedit, ut ipsi, salvo nobis jure præsentandi, Concionatorem sibi nominarent. Nullum tunc apparebat periculum damni publici, quod emergere posset libertate hac relicta populo, quia de Luthero nemo cogitabat. Præierat quidem lugubre Hussitarum exemplum, qui ferro & igne in Bavariæ fines grassabantur, verùm horum ipsa crudelitas horrorem piis incutiebat, & ab amplectenda secta deterrebat. Paulò pòst, cùm sub ovina pelle lupi coeperunt prorepere, & è vicino jam ululare, majori cautela opus erat. Verùm providit divina bonitas, dum sequente sæculo hæreticæ pesti obviam misit almam Societatem JESU, cujus primum in Bavaria domicilium

cessum Landsbergæ erectum, mirificam lucem Catholicæ pietati accendit, ut alibi referemus.

5. Interea dum Abbas noster laudabili conatu, exiguo tamen fructu, monasterii commodis invigilat, non latuêre Alberti sapientis scientiam angustiæ, quibus premebamur. Videbat non inquilinorum culpâ, non Præsulum desidiâ, sed temporum iniquitate collapsas res: quare extremæ egestati extremum quoque remedium adhibuit. Virum providit insignem ex monasterio Schyrensi, qui eo munitus & adjutus remedio faciliùs miserum cœnobii statum erigeret. Quodnam illud fuerit, Stephanus noster paucis verbis enarrat; *Anno Domini 1498. in die Crispini & Crispiniani conclusum est finaliter, quòd Abbas & omnes fratres essent expellendi & mittendi ad alia loca: & ita factum est.* Quem quidem à monasterio discessum, ùt Stephanus acerbiori vocabulo *expulsionem* diceret, dolor expressisse censendus est, cùm Principi statutum fuerit, non alios introducere, aut veteres inquilinos perpetuo exilio multare. Uno enim vix anno elapso, cùm interim novus Administrator temporalia incredibili labore & vigilantia reparâsset, ac monasterium omni ferme ære alieno liberâsset, quidam denuo ad gremium rediêre (†) multò feliciores aliis, quos eodem ferè tempore non ob inopiam adversa fortuna aliò interim transmisit, sed correctionis impatientia, extincto prioris instituti nomine, pristinis quandoque sedibus extorres fecit, aut mutare domicilia compulit.

(†) *F. Antonius Scheffler nominatur. Paucos reliquos credo in assignatis sibi monasteriis mansisse. At Henricus successor novos suscepit.*



CAPUT III.

Henricus Abbas XLII.

§. I.

Vocatio Henrici, administratio, dignitas Abbatialis.

1. PRæclarus hic Abbas ad instaurandum ex ruinis monasterium nostrum à Deo missus est ex inclyto monasterio Schyrensi, & administrator constitutus anno 1498. die 2. Nov. in commemoratione Fidelium Defunctorum. Interim, dum Clerici sæculares Parochiam administrabant, ipse solus in templo monasterii divina peragebat Officia, illis etiam in laboris partem vocatis. Quantum ad temporalia attinet, primo statim anno variis creditoribus numeratâ pecuniâ satisfecit: & quidem Zächerlino civi Bruggensi solvit florenos Rhenanos viginti, Martino Friz Landspergensi viginti duos, Laurentio cuidam quinquaginta septem, & hæc intra duos menses sunt gesta. Anno dein 1499. eidem Zächerlino solvit florenos triginta quatuor, Domino Joanni Vischer sigillifero Augustano sexdecim, & Martino Friz iterum viginti. Præterea emit in usum monasterii octavam partem curiæ in Faistenau à Joanne Gislrieder seniore florenis viginti duobus, aliam ejusdem curiæ partem à Paulo Gislrieder florenis novemdecim, aliam item ejusdem partem à Joanne Kibler pro totidem florenis: pratum amplum Haydense septem jugerum, duo etiam alia jugera prope Hochgereut (a) florenis triginta octo comparavit à Michaele Schmid Pladlingano. Hæc gessit primo anno Henricus administrator.

2. Quæ cùm comperissent serenissimi Duces, non dubitarunt eundem Celsissimo Episcopo Augustano commendare, confirmandum, & Pontificalibus ornamentis insigniendum. Designatus est igitur Abbas anno sequente 1499. in festo S. Galli, confirmatus in festo SS. Ursulæ & sociarum Martyrum: octavo postea die, nempe in festo S. Narcissi Episcopi & Martyris consecratus, cui solemnitati præter Proëpiscopum Augustanum mitratus etiam adfuit Narcissus Abbas Benedictoburanus. (b) Novus Abbas noster eodem adhuc anno solvit ex debitis florenos viginti. Præterea ad religionem suscepit Casparum Göz, juvenem studiis sublimioribus apprimè excultum, quem post exantlatum S. Tyrocinii annum ad sacros Ordines, & Sacerdotium promovit. Primum sacrificium Casparus celebravit

bravit anno 1501. circa Festum Inventionis S. Crucis, in Dominica Jubilate, & deinceps Abbatem plurimùm juvit, imò ab eodem docilis discipulus plurimùm didicit, ut post septem annos dignus videretur, qui magistro suo peritissimo in dignitate succederet.

(a) *Hoc loco consedisse olim nobiles Greuteros arbitrantur, cùm & arcis rudera supersint, ut alibi diximus.* (b) *Chronic. Bbur. f. 212.*

§. II.

Cultus divinus promotus.

3. QUantò in Divinum Cultum studio ferretur Henricus Abbas, luculentum præbuit argumentum, dum statim Casparum Gözium ad religionem suscepit, primum suum in divinis officiis futurum adjutorem, ut post annuum silentium laus Dei denuo resonaret; eumdémque citò Sacerdotio initiandum curavit, ut piis fundatorum ac benefactorum manibus plurium sacrificiorum fructus in subsidium & solatium veniret. Eodem anno, quo iste sacerdos factus, alios quatuor novos surculos horto religionis inseruit, diversis quidem temporibus, & veluti facultatum suarum modulum dimensus, quantæ ad eos alendos sufficerent; qui anno 1502. tyrocinio probati aptique inventi, ad solemnia vota sunt admissi: decimâ tertiâ Martii F. Joannes Calceator, de quo nihil aliud invenio, ideóque juvenem obiisse credo: nisi idem sit, qui sub Casparo Abbate in Catalogo vocatur Joannes Raistinger; nam eodem die F. Wolfgangus Kolb Peyttinganus (qui deinde Casparo Abbati in dignitate successit) professus fuit: die 24. Junii F. Stephanus Leopolder, Historiographus noster, toties jam memoratus: die 16. Octobris F. Petrus Ramungus, de cujus nobili genere diximus sub Norberto Abbate XIV. (c). Hic est, qui anno 1533. P. Gabrieli Schmid emerito Priori defuncto in eodem munere successit, & anno 1537. piè decessit.

4. Aliud quoque molitus est Henricus, quod ad majorem monasterii quietem, & liberiùs soli Divino cultui ac servitio vacandi facultatem conduceret. Invenerat nempe, & ex tabulario compererat, qualibus tricis involutum & contentionibus tentatum sæpius fuerit Jus Patronatûs, seu præsentandi Vicarium, omnésque Beneficiatos Landspergæ, unde monasterio multæ illatæ molestiæ, quin & expensæ, non necessariæ fuerunt extortæ. Quare pacis ergo & quietis Henricus Jus istud præsentandi, cùm

jus nominandi jam aliquamdiu Senatus ibidem civicus obtineret, cessit serenissimo Duci Bavariæ Alberto IV. cujus cessionis litteras habeo, datas anno 1499. Sabbato post festum S. Nicolai Episcopi. Pro juris hujus cessione nihil aliud Henricus à Duce petiit, nisi ut clementer tueretur Decimas Landspergenses, quæ à trecentis jam annis Pontificum & Bavariæ Ducum concessione & authoritate ad monasterium pertinebant, & adhuc pertinent. Et Protectionem quidem decimarum, quoties necessitas exigeret, serenissimus Dux adpromisit: jus verò præsentandi non acceptavit, Abbatem hortatus, ut hanc ultimam juris sui portionem monasterio servaret, nec Ecclesiæ illius Patronatum ob quæcunque tædia relinqueret, sed tranquilliora tempora exspectaret. Votum Abbatis optimum in finem, ut diploma sonat, collimabat, nempe *in auxilium & promotionem sanctæ observantiæ, ad laudem & honorem omnipotentis Dei & S. Petri*, qua sanctior intentio inveniri non potuisset.

5. Hæc laudis divinæ & sanctæ observantiæ propagandæ sollicitudo Abbatem adegit, nullis ut sumptibus parceret ad utriusque augmentum. Chorum enim libris novis instruxit, Antiphonaria duo & Collectarium comparavit, antiquum Lectionarium, & Graduale cum cæteris ad rubricam Mellicensem correxit: neque pauca Ecclesiæ S. Petri ornamenta procuravit, inter quæ cupa argentea, quadraginta tribus florenis empta. Præterea sacrarium & reliquias Sanctorum ornatu vario & imaginibus decoravit.

6. Ut subditam monasterio plebem ad divina officia, ad audiendum divinum verbum, & mysteria devotiùs frequentanda pelliceret, Parochialem Ecclesiam Wessofontanam SS. Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ restauravit, & multò ampliorem, quàm fuerat, fecit, & *per omnia de novo construxit*. Sigehardus Abbas nonus eam fundaverat, ut alibi diximus, anno 1128. Herimannus Episcopus confirmârat: Henricus Abbas novam condere cœpit anno 1506. & post biennium consummavit: quam Casparus Abbas consecrari curavit. Erat autem instructa quatuor altaribus. Ara princeps specialiter dedicata est in honorem SS. Joannis Baptistæ & Evangelistæ totius Ecclesiæ Patronorum, cujus dedicatio semper celebratur Dominicâ proximâ post festum S. Galli Abbatis. In aquilonari latere ara altera in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Alia in latere meridionali consecrata est specialiter in honorem S. Agathæ Virginis & Martyris. Alia, quæ in medio Ecclesiæ erat posita, dedicata fuit omnibus sanctis: verùm posterior hæc, ut populus accurrens amplius inveniret spatium, jam pridem destructa est.

(c) *Fol. 194.*

§. III.

§. III.

Auctæ & firmatæ monasterii facultates.

7. COmpendio utitur Stephanus noster, dum de Henrico Abbate refert: *hic Deo devotus Abbas multa bona in suo regimine monasterio contulit: multa prædia per prædecessores suos à monasterio alienata, & aliis impignerata redemit, & plura noviter emit.* Cœpimus jam supra quædam industriæ exempla de Præsule isto narrare. Videamus nunc cætera, quæ intra decennii spatium nobis præstitit emolumenta.

8. Anno Domini 1500. emit Henricus octavam partem prædii Thomæ Gislrieder pro novemdecim florenis, feriâ quartâ ante Palmas. Feria 6. ante Dominicam Jubilate à serenissimo Principe Bavariæ Wolfgango redemit (d) totam villam in Aich pro duobus & octoginta florenis. Hæc fuerat ad vitam hactenus locata Erhardo Perfelder: quem memoro propter familiam Perfallensem. Anno sequente emit curiam quamdam Morenweisii sitam, & Advocatiam super prædium quoddam Müllhusanum prope Penzingam pro trecentis & 45. florenis à viro nobili Wilhelmo Vogt, cujus familiæ jam fuit, iterúmque fiet mentio. Emit item domum & pratum quoddam Haidense quadraginta tribus florenis. Anno 1502. redemit vitalitium à cive quodam Pfaffenhovensi pro centum duodecim aureis. Anno proximo redemit curiam Erftinganam à cive Landspergensi pro centum aureis. Item ab alio perpetuos septem florenos, quos annuatim debebamus, redemit Abbas aureis centum 47. Emit quoque partem Curiæ in Lochhofen pro viginti florenis. Paulo pòst ab Augustino Kolner, Cancellario Alberti Ducis, redemit duas libras perpetuas, altari S. Corbiniani Monachii impignoratas, datis illi quadraginta sex libris denariorum. Iterum viginti perpetuos aureos Monachii pendendos redemit quadringentis florenis. Emit & pratum aliquod uno & triginta florenis. Demum 21. die Novembris perpetuos decem aureos redemit à colono quodam Peulensi pro ducentis florenis. Anno 1504. redemit duos aureos perpetuos à Georgio Heusern pro florenis quadraginta. Emit & sequente anno quartam partem Curiæ Graffensis pro florenis viginti novem. A duobus civibus Landspergensibus emit domum, hortum, & certos agros pro 70. florenis. Et jam ante redemerat quinque aureos perpetuos aureis centum. Anno 1506. emit Abbas à coquo Alberti Ducis duas Curias in Foresto, (e) & Hobam in Hagenlehen pro sexcentis florenis, quæ in Feudum illi concessæ fuerant ab Erhardo Perfelder: redemit Henricus ab isto jus suum in ea prædia septuaginta quinque florenis. Eodem anno redemit molendinum Pezenhusanum à Röchlingero de Haldenberg florenis quadringentis.

9. Miretur quis hoc loco, qua arte, industria, dexteritate vir unus tam multa monasterio per emptionem comparare, tam multa redimere potuerit, unde argentum & aurum sumpserit in tantas expensas, additis præsertim sumptibus, quibus non solùm varia Ecclesiæ S. Petri ornamenta, monasterii ædificium nova parte auctum, sed etiam Parochialis S. Joannis Ecclesia ferè à fundamentis intra biennium educta stetit. Et nondum de solutione veterum debitorum satis dixi. Adjicienda tantùm jam enarratis est anno 1500. facta per Abbatem redemptio duodecim annuarum scapharum siliginis Joanni Vogelio debitarum: præstitit hanc Abbas persolutis eidem ducentis quadraginta tribus florenis. Ad debita antiqua progredior.

10. Anno 1500. Wernero de Morenweis solvit septuaginta florenos, Joanni Lanx triginta duos, civi cuidam Landspergensi florenos viginti, Bartholomæo Mynner ibidem civi quadraginta duos. Sicut eodem anno Joanni II. Abbati Ettalensi Abbas noster ex debitis persolvit triginta duos florenos, ita anno mox subsequente Henrico Abbati Tegernseensi, diversis tamen vicibus, florenos centum nonaginta septem. Villicæ cuidam satisfecit florenis viginti, Nicolao Hundertpfund florenis tredecim. Anno dein 1503. Weichsnero cuidam, civi Landspergensi, reddidit debitos sexaginta florenos. *Anno Domini 1507. emit & absolvit* Henricus *in antiquis debitis à diversis* creditoribus *mille quadringentos quadraginta octo florenos.* Nescirem hæc, nisi à Leopoldero nostro scripta tenerem. Porrò licèt œconomica hæc non cuilibet erudito lectori placitura sciam, nonnullis tamen quin usui futura sint, non dubito: tum propter indicatas quasdam familias veteres, tum ad excitandam in illis, quos Deus & obedientia in messem hanc misit, industriam œconomicam, & maximè ad admirandam divinam providentiam, quæ numquam destituit fideliter servientes Deo, & in ipsius bonitate confidentes. *Quærite primùm regnum Dei & hæc omnia adjicientur vobis.* (f)

(d) *In partitione Bavariæ sub Alberto IV. facta, Weilhemium & Landsperga cesserunt Wolfgango Duci: vicinia ergo negotium facilius reddidit.* Chron. Bbur. f. 218. (e) Mantelhöf *vocatas.* (f) *Dum hic œconomos excito,*

- - - fungor vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Horat.

§. IV.

Gratiæ Julii II. Pontificis, & Regis Maximiliani.

11. NEscio, quid causæ fuerit, Henricúmque Abbatem permoverit, ut Julio II. summo Pontifici pro confirmatione omnium monasterii bono-

honorum supplicaret, & præcipuè duas partes decimæ in Tättenschwang, ab antiquo jam nostris usibus attributæ, authoritate Apostolica roborari peteret. An fortè insidias timuerit, vel contra adversariorum dolos præmunire se voluerit, ignorare me fateor. Concepta est Bulla terminis primùm generalibus, quibus ejusmodi aliæ stylo Curiæ solent: quare & illam recitare supersedeo. Quantum ad dictas decimas attinet, appono: *specialiter autem duas partes decimarum Parochialis Ecclesiæ, seu illius perpetuæ Vicariæ in Tettenschwang dictæ Diœcesis, ac alias decimas* &c. *vobis & per vos eidem monasterio authoritate Apostolica confirmamus.* Datæ sunt hæ litteræ Pontificiæ *Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, nono Calendas Apriles, Pontificatûs nostri anno tertio.* Hodie nulla circa has decimas controversia movetur.

12. Etiam vinearum Tyrolensium curam Henricus habuit, tanquam in ditione Domui Austriacæ subjecta sitarum. Quare Maximiliano I. Archiduci, jámque Regi Romanorum anno 1486. die 16. Februarii Francofurti electo per litteras supplex factus libertatem à teloniis pro vino nostro evehendo obtinuit. Diplomati libertatis hujus, imò potiùs Diplomatis apographo Notarii authoritate firmato, subscripsit Joannes Præpositus Pollinganus, ejus nominis tertius, vir insignis parsimoniæ & prudentiæ, qui monasterium suum religione, ædificiis, libris, & redditibus auxit, quod hodiedum viris tam doctrinâ, quàm virtute præcellentibus resplendet, *velut inter ignes luna minores.* Verùm de Maximiliano I. quem paulo post hospitem apud Fontes nostros videbimus, alibi redibit sermo.

§. V.

Cultus rei litterariæ.

13. JAm ab Udalrici VI. regimine nonnulli erant apud nos monachi, qui vel suopte ingenio inventa scriberent, vel indefessa manu ab aliis excogitata describerent, ut Bibliothecam locupletarent. Henrici nostri ætate magis exarsit scribendi studium, cujus testes sunt Codices multi chartacei optimorum authorum â monachis nostris descripti. Deploranda tantum est cum Clarissimo Pezio characteris obscuritas & informitas, quam interdum festinandi ardor, sæpius ipsa ævi ruditas invexerat, nonnumquam laboris impatientia. Queritur ille inventum à se apud nos librum *diversa Historiæ Austriacæ monumenta ostentantem, sed continentibus lituris & lacunis adeò fœdatum, ut nihil certi extundi potuerit.* (g) Verùm, ut dixi, laboris impa-

impatientia (quia in pœnam quandoque injungebatur scriptio) in causa erat, sicut apud Hæfftenum versus ille testatur: (h)

Explicit iste liber, de pœna sum modo liber.

14. Cœterum Henricus solertissimos habuit monachos, & inter eos ducem Casparum Gözium, asseclam deinde hujus Stephanum Leopolder, de cujus laboribus singulari loco agetur. Quanto in bonas litteras studio flagraret Abbas, manifestum fit ex eo, quòd apud Wessonis Fontes typographiam quoque introduxerit, & aliquamdiu artificem sustentârit Lucam Zeissenmayr. Invenimus in Bibliotheca nostra duos adhuc libros ab eodem impressos, nempe viginti Citharas aureas interprete Magistro Joanne Nider Ord. Prædicatorum Fratre ex latino in vernaculum idioma translatas. Præfigitur operi approbatio à Magistro Joanne Parocho ad S. Mauritium Augustæ Vindelicorum concepta his verbis: „ Si in cujusquam „ Latini viri manus liber iste inciderit, non Alemannum, sed Cassianum „ loqui, volo intelligat, nec styli barbaries terreat, verùm sententiarum „ veritas alliciat. Uti multa latina sic barbara essent, & Hieronymus „ minimè vapularet, & Augustinus haud longius apud Christianos exu„ laret. Quatenus autem manifestius, quod legis, lector intelligas, hic „ liber à quodam egregio sacrarum litterarum Professore Mag. Joanne „ Nider Ord. Prædic. fratre de Latino in vulgarem Nürembergæ transla„ tus est. „ In fine libri hæc verba leguntur impressa: „ *Laudabilem istud* „ *& utilem librum impressit Lucas Zeyssenmayr apud Wessonis fontes, & complevit* „ *feria secunda hebdomadis prima in Quadragesima, anno millesimo quingentesimo* „ *quinto*.„

15. Alius præterea invenitur liber itidem Teutonicâ linguâ ab eodem Luca Zeissenmayr apud Fontes nostros typo editus, cujus titulus in latinum translatus ita sonat: *Pulchra Chronica de Imperatore Ludovico quarto, quomodo per ipsum ædificata & fundata fuerit Ecclesia B. Dòmina nostra in Etal. Impressa per Lucam Zeyssenmäyr in Wessobrunn.* Annus, quo liber hic prodiit, nec in fronte, nec in calce libri proditur. Fortè alia quoque opuscula Lucas impressit, quæ à me ignorantur. Hæc sola interim sufficiant ad ostendendam Henrici Abbatis pro bonis litteris curam. Cæterùm credo, eo ævo, quo nondum Cameræ Cæsareæ subjectum erat jus imprimendi libros, sed liberè à quocunque, qui artem didicisset, exercebatur, typographos, quoties & ubi vellent, sedem vixisse, atque ita & Lucam nostrum aliò migrâsse. Ita mihi vir quidam eruditissimus moris tunc fuisse asseruit.

(g) *Pez. Anecd. Tom. I. Dissert. Isag. fol. XIX.* (h) *Hæfften. Tract. III. Disquis. II. fol. 807.*

§. VI.

§. VI.

Obitus Henrici & sepultura.

16. TAmetsi ad acta Henrici non pertineat, ab historia tamen Wessofontana alienum non est ea referre, quæ ejusdem tempore contigerunt, & propiùs hodie ad monasterium nostrum spectant, sicuti Hofmarchia & Ecclesia Iffeldorffensis. Anno igitur, ùt Chronicon Benedictoburanum testatur (i) millesimo quingentesimo tertio Narcissus Abbas Benedictoburanus, qui Henrico nostro consecrando mittatus adstiterat, ut diximus, (k) cum Ecclesia S. Viti in Iffeldorff fecit commutationem quarumdam decimarum, datis eidem Ecclesiæ decimis suis in agris quibusdam Iffeldorffensibus, & receptis aliis Antorffensibus Luysæ flumini vicinis. De parochia Iffeldorffensi monasterio nostro posterioribus annis concessa diximus aliquid sub B. Walthone. (l)

17. Demum Henricus Abbas, jam senex & vicinam mortem præsentiens, animæ quidem suæ, tum & Religiosorum, quos in Christo genuerat, consulturus, exemplo decessorum suorum mortuale fœdus iniit cum monasterio Tegernseensi, quod mutuis litteris munitum fuit anno 1505.

18. Triennio indè vix elapso Henricus, anno nimirum 1508. diuturnis jam calculi doloribus vexatus, ac tandem victus, Abbatis dignitate sponte se abdicavit, eámque P. Casparo Göz primo suo in sacra Religione filio *propria & bona voluntate cum omnium fratrum suorum consilio & deliberato animo*, sibi præsentissimus, & in monasterii commoda attentissimus *resignavit*. Facta est resignatio die 16. Februarii. Mensis deinde Martii die 23. postquam SS. P. N. Benedicti festum inter dolorum spinas patientissime volutatus transegisset, diem clausit extremum vespere circa horam completorii in corona circumstantium & fidelissimum Pastorem amarè deflentium filiorum.

19. Quàm sinceræ fuerint horum lacrymæ, abundè ostendit honor exequiis ejus impensus. Præterquam enim, quod eum in sacello S. Benedicti cum aliis bene meritis & laudatissimis Abbatibus sepeliverint, magnum lapidem sepulcralem effigie ejus insigniêrunt, & epitaphio, brevi quidem, sed eleganti & pii affectûs pleno, quod ipsemet triginta abhinc annis descripsi & in adversaria mea intuli hoc tenore:

Qui Marius patriæ fuerat, qui Tullius ore,
Qui gravitate Cato, Religione Numa,
Abbas Henricus Præsul celeberrimus eheu!
Occidit, hac tristi contumulatus humo.

20. Neque paucis his distichis contenti aliud amplius elogium magna in tabula scriptum juxta optimi Patris sepulturam suspenderunt, quod Stephanus Leopolder in Codice quodam reliquit. Audiamus.

Mole sub hac premeris Hainrich venerabilis Abbâ,
Cujus posteritas nomen in astra feret.
Alter Wessosprunn fundator jure vocaris
Pro tantis meritis, innumerísque bonis,
Æra monasterii exolvendo mutua nostri
Plurima, pauperiem férsque levásque gravem.
Prædia sunt per te & bona plurima reddita nobis,
Jámque labore tuo nostra palæstra viget.
Quis tibi condignas, Pater ô memorande, rependat
Grates pro meritis, muneribúsque tuis?
Hinc tibi sideream Deus optimus annuat arcem,
Æternâ faciens te requiete frui.
Hic tibi perpetui persolvat munera regni,
Atque ferat meritis præmia digna tuis:
Concedátque suam faciem te visere lætum.
Clare Pater, faustè perpetuóque vale.

(i) *Part. I. Cap. 28. fol. 214.* (k) *Hac Cap. §. I. num. 2.* (l) *Parte I. fol. 165. num. 11.*



CAPUT

CAPUT IV.

Casparus Abbas XLIII.

§. I.

Caspari electio, & confirmatio.

1. CAsparo Gözio, cujus mentionem jam supra fecimus (a) natal dedit Ponsala vicus prope Rainense Bavariæ oppidum supra L ci & Danubii confluentes situs. Resignatam sibi à Decessore d gnitatem (b) suscepit in præsentia Reverendissimi Domini J annis Alantze Vicarii Generalis Augustani, plurimórumque spectabiliu virorum, tam Celsissimi Episcopi, quàm Serenissimi Ducis authorita missorum. Deinde confirmationem accepit in Dominica Lætare, Ben dictionem verò in Dominica Palmarum apud Fontes nostros.

2. Caspari de monasterio nostro præclara merita Stephanus nost in synopsin contrahit, cùm dicit: „Præfuit laudabiliter octodecim anni „ ac plurimis prædiis emptis & ab aliis redemptis monasterium suum al „ solutum statuit; insuper maximis ædificiis & structuris monasteriu „ suum ornavit; similiter sacristiam Reliquiis sanctorum, Bibliothecar „ verò maximo numero librorum, nimirum nongentorum, decoravit „ prout singula satis clarent intuenti.

3. Quantùm quidem ad sanctorum reliquias attinet, mirum no est, quod spectabilem thesaurum collegerit, cùm plures jam annos sa crarii curam ex officio gesserit: Bibliothecæ verò augendæ calcar fuit Hen rici decessoris exemplum, ab eóque excitatus amor litterarum. Ne deerant facultates, cùm *monasterium* omni ære alieno *absolutum* statuerit sicut ex Leopoldero paulò antè intelleximus. Verùm nunc jam ad sin gula descendamus.

(a) *Cap. praeced. §. I. num. 2.* (b) *Eodem cap. §. VI. num. 18.*

§. II.

Zelus Caspari pro cultu divino, & monastica disciplina.

4. INveneratCasparus consummatam jam ferè à decessore suo Henrico Parochialem S. Joannis Ecclesiam: ipse anno 1509. Chorum in ea construxit, eamdémque consecrari fecit à Reverendissimo Domino Marco Avunculo Episcopo Nazianzeno, Vicario in Pontificalibus Generali. (c) Deinde ad interiora monasterii conversus disciplinam monasticam egregiè conservavit, insigniter aucto monachorum numero, qui mihi nimius videretur, nisi crederem, ex prioribus ante Henricum Abbatem ob magnam cœnobii paupertatem dimissis, plures postliminio rediisse, revocatos, receptósque fuisse. Hujus opinionis meæ fundamentum statim aperiam.

5. Anno Domini post millesimum quingentesimum decimo tertio jam scriptas ex archivio nostro accepi litteras Pontificias, die 17. Martii datas à Julio II. Papa, quibus iste copiosas concedit indulgentias omnibus illis Christi fidelibus, qui ad instaurandum Constantiensis Ecclesiæ Cathedralis ædificium manus porrigerent adjutrices. Mirum est, quomodo Ecclesia, cui tam ampla diœcesis, qualis à Pistorio describitur, (d) illa ætate parebat, quæque magno illo Concilio Constantiensi non exiguum poterat capere incrementum, ad hanc necessitatem fuerit redacta. Verum non scrutanda, sed adoranda sunt judicia Dei.

6. Mihi sufficit ex his litteris Julii II. Pontificis excerpere Catalogum omnium monachorum, qui eodem anno datarum in cœnobio nostro vixerunt. Eumdem curioso lectori communicare non supervacuum puto, tum ut insignis Caspari Abbatis zelus commendetur, tum ut divina providentia nobiscum adoretur, quæ monasterium nostrum nuperrimè ad incitas fermè redactum tantis modico tempore incrementis auxit, verúmque fecit illud S. P. Benedicti S. Regulæ capite secundo votum, ut Casparus Abbas *non solum detrimenta gregis sibi commissi non pateretur, verum etiam in augmentatione boni gregis gauderet.* Hoc itaque ordine descripti inveniuntur Religiosi tunc viventes.

Casparus Abbas.
Augustinus Prior. (e)
Bartholomæus Supprior.
Georgius Ziegler.

Wolfgangus Kolb, futurus Caspari Abbatis successor.
Joannes Raistinger, aliàs Calceator vocatus.
Petrus Ramung, postea Prior.
Stephanus Leopolder, Chronographus noster.
Sebastianus Pichlmayr &
Gabriel de Kolgrueb, ambo professi anno 1508.
Paulus, cujus cognomen excidit.
F. Thomas senior, &
F. Thomas junior, Conversi.

His accessêre anno 1517. Leonardus Knilling Garmischgaviensis, anno 1518. Benedictus Jäger Weilheimensis, qui Wolfgango Kolbio Abbati successit, & anno 1522. Conradus Rumpf Landspergensis ab Abbate Casparo suscepti.

7. Fuit eodem tempore Joannes Rosmarck apud nos monachus, ut scheda emissæ Professionis testatur, quem ego ob similitudinem characteris authorem crederem Collectanei de Viris Illustribus, nisi inusta famæ illius macula me ab hac opinione dimoveret. At fortè accusatus quidem fuit, verùm denuò absolutus: certè post bimestrem Augustæ custodiam ad monasterium fuit remissus, atque post aliquot annos in peristilio sepultus. Nomen demortui, priusquam veteris cœnobii reliquiæ, in quibus ipse tyro habitavi, solo æquarentur, legi ego in pariete supra tumulum nomen F. Joannis Rosmarck, nec procul ab ipso nomen F. Stephani Leopolder. Fuit certè collectanei hujus author, quisquis vocetur, vir eruditus & industrius, quem Clar. Pezius usui non modico in historia litteraria futurum judicavit, si opus ad finem perduxisset. (f) Cæterùm, tametsi Luthero minimè faveat, & scriptores *Lutherizantes* acri censurâ perstringat, Erasmum tamen Roterodamum miris laudibus extollit, ejúsque adversarios acerbè pungit & irridet. Quæ causa fuisse potest, cur ad examen Augustam fuerit vocatus. Si Alphabetum totum perfecisset, (deducitur verò solùm ad literarum G.) operæ pretium foret, Collectaneum hunc publica luce donari.

(c) *Vid. Khamm Hier. Aug. Part. I. Cath. fol. 503. & 504.* (d) *Tom. III. script. rer. Germ. à fol. 782. usque ad fol. 800. inclusivè.* (e) *Cognomento Burckart, eodem Prioris officio functus jam sub Henrico, & functurus sub Wolfgango Abbatibus.* (f) *Anecd. tom. I. Dissert. Isagog. fol. XIX.*

§. III.

Esus carnium concessus.

8. Multis contentionibus agitata olim fuit quæstio, num monacho Regulam S. Benedicti professo concedi possit esus carnium quadrupedum, nisi infirmo tantùm. Fusissimè hac de re agit Hæftenus in Disquisitionibus monasticis, (g) ad quas lectorem remittimus. Progressi fuêre quidam, etiam virtute & doctrinâ celebres viri, eò usque, ut carnes quidem quadrupedum interdictas affirmarent, avium tamen carnes licitè comedi posse concederent. Solum Rhabanum Maurum adduxisse sufficiat, ita loquentem: *Avium usum credo inde à Patribus permissum esse, eo quòd ex eodem elemento, de quo & pisces, creata sunt. Nam in Regula monachorum non invenimus aliarum carnium esum eis contradictum, nisi quadrupedum.* (h)

9. Verùm propter infirmos, quadrupedum etiam esus jam pridem concessus fuerat, hac tamen lege, ut qui vellent, & licentiam à Superioribus obtinuissent, reficerentur in valetudinario: eadem carnibus vescendi facultas data est omnibus, quos Abbas ad cœnaculum suum invitâsset. Ea verò conditio huic favori erat apposita, ut dimidia pars fratrum semper in consueto Refectorio reficeretur, & abstinentiam ab omni carne observaret. Verùm ut de nostro monasterio loquar, invenimus monachos nostros rigidiori semper consuetudini adhæsisse, cujus insigne testimonium exhibet Reformationis charta à Reverendissimis Deputatis provinciæ Moguntinæ Bartholomæo S. Crucis Werdensi, & Joanne S. Ægidii Norimbergensi Abbatibus relicta, in qua sub rubrica: *De abstinentia à carnibus*, hæc verba inveniuntur: „Esum carnium & ciborum „cum carnibus, aut carnium pinguedine conditorum, *sicut strictè observatum reperimus*, omnibus præsentibus & futuris hujus monasterii mo„nachis sanis & fortibus secundùm Regulam & ex speciali commissione „Domini Legati prænominati prohibemus. (i) Imò tanto rigore à nostris jejunia ecclesiastica observabantur, ut bytyro, caseo, ovis vesci nefas esset.

10. Similia utut priore jam sæculo fuerint statuta & observata, docuit tamen experientia, variis hunc rigorem incommodis subjacere. Nam non exigua hinc in singulis monasteriis difformitas oriebatur, cùm dimi-

dia

cum pæne monachorum pars in regulari cœnaculo, altera in valetudinario accumberet, atque, dum illa religiosis exercitiis & divino officio operam daret, altera hæc ob infirmitatem plus sibi quietis indultum arbitraretur, unde novis contra istos statutis opus fuisse in antiquis Recessibus invenimus. Animadversum quoque est, propter perpetuam carnium abstinentiam in monasteriis nostris observatam pauciores jam Candidatos ad Ordinem nostrum aspirâsse, utpote quibus facilis patebat aditus ad alios ordines, tum stabilitatem loci professos, tum etiam locum mutare solitos, in quibus jam dudum esus carnium inoleverat. Imò cum Cistercienfibus, per quos Ordo noster olim fuerat reformatus, ab Alexandro VI. summo Pontifice fuit circa hunc esum generaliter dispensatum jam anno Domini 1498. (k) Et licet Congregatio Bursfeldensis morem à carnibus abstinendi rigidè retinendum censeret, Moguntinæ tamen Provinciæ Capitulum sub Joanne Vinsternau Abbate Neresheimensi, & Capituli Præside esum carnium, certis diebus, omnibus concessit. (l)

11. Itaque ejusdem Capituli Moguntinæ Provinciæ authoritate cum licentia summi Pontificis sequente anno 1522. apud nostros etiam Fontes receptus est esus carnium, sicut in aliis cœnobiis plerisque, quamquam ægro multorum assensu. Ut de aliorum propterea querelis taceam, nostro Stephano Leopolder parùm probatam fuisse hanc dispensationem, ex eo licet conjicere, quòd ita scribat: *Anno 1522. in profesto S. Agathe Virginis monachorum carnis esio incepit. Eodem anno Camera in pistrino exuritur in die decollationis S. Johannis Baptistæ post matutinas.* His verbis non obscurè videtur innuere, admisso carnium usui tribuendam esse exustionem, cum S. Agatha in hac occidentali Bavariæ regione contra incendia invocetur, sicut S. Florianus in orientali. At nolens Casparus contra torrentem niti, & tot aliorum Abbatum exempla non sequi, prudenter, nec sine monasterii utilitate, dispensationem recepit.

(g) *Lib. X. tract. VI.* (h) Ibid. Disquis. II. fol. 930. col. 2. (i) *Fuit hic Legatus Nicolaus de Cusa S. Petri ad vincula Cardinalis.* (k) Hæfften. *Disq. Mon. Lib. 10. Tr. 6. Disq. 14. fol. 957. col. 1.* (l) *Hier. Aug. P. III. Regul. fol. 113. num. 66. 67.*



§. IV.

§. IV.

Ædificia Caspari Abbatis.

22. POstquam Casparus monasterium nostrum omni ære alieno liberavit, cunctisque debitis absolutum statuit, ad diversa ædificia molienda manum adjecit. Atque inprimis monachorum valetudini consulturus novum balneum struxit, deinde hortulum regulari cœnaculo subjectum muro circumdedit. Ambitum monasterii, hactenus tabulis ligneis coopertum, lateritio fornice texit, & lapideis columnis suffulsit. Jecit & fundamenta, magnámque partem ædificavit villæ Cellensis prope lacum cognominem pro fœtura pecorum & jumentorum. Cellam vinariam lapideo fornice munivit. Rivulum Schvvarzenbach, olim Sbaravvaresbach dictum, aggere objecto, excepit, & in lacum coëgit, qui hodie Streebergensis vocatur, & non exiguum monasterio emolumentum præstat. In ipso cœnobio magnam custodiendis piscibus piscinam quadris lapidibus septam ædificavit. Granarium Geretshusanum à fundamentis novum exstruxit: molendinum item in pomœrio monasterii. Apud Engelsriedensem villam fluvium Rotam effossa tellure excepit, lacúmque formavit in fœturam piscium, hodiedum monasterio utilissimum. Duas cameras ædificavit pro sacerdotibus sæcularibus, qui tunc temporis Parochiam Wessofontanam & vicina templa procurabant. Ecclesiarum quoque curam habuit; nam in templo Tättenschvvangensi novum Chorum construxit: Issinganum verò lapideo tecto operuit. Antiquum Abbatis diversorium destruxit, & novum illúdque elegantissimum à fundamentis erexit. Cœpit etiam vias publicas, Weilhemium & Landspergam versùs, commerciorum causâ, sternere. Cœmeterium Wessofontanum novo & altiori muro cinxit atque conclusit. Venatoriæ supellectili servandæ canibúsque alendis proprias ædes eduxit. Turrim supra monasterii exteriorem portam & carcerem ædificavit. Multa alia omittimus minoris notæ, cùm hæc sola sufficiant ad commendandam Caspari industriam & indefessum studium, emolumenta monasterii in dies promovendi.

§. V.

§. V.

Magni hospites à Casparo excepti, aliáque externa negotia, & obitus Abbatis.

13. ANno Domini 1515. quarto calendas Junii, nempe vigesimo nono Maji, ipso festo S. Maximini Episcopi Trevirensis Maximilianus Imperator monasterium nostrum præsentiâ suâ honorare dignatus est, & apud nos pernoctare. Causa, qua impulsus Imperator anno illo in Bavariam venerit, fuisse potuit, tum quòd paulò antè inter Bavariæ Duces ipse pacem restituerit, contra quam Kunegunda Maximiliani Imperatoris soror, Wilhelmi Ducis mater, remis velisque egerat: tum ut sororem viduam, jam tunc in Parthenone Pittrichiano degentem, inviseret. Vel utraque, vel alterutra ratio Imperatorem tunc in Bavariam traxisse videtur. (m)

14. Anno deinde 1523. in profesto S. Galli Wilhelmus Bavariæ D. ad monasterium nostrum ex venatione ursorum divertit, quamvis eo die venatus nihil ceperit. In ipso verò S. Galli festo circa Forestum & silvam Pirschvvald vocatam ingentis molis ursum comprehendit: unde lætus ad monasterium rediit, iterúmque pernoctavit, tertio die ad alia lustra excutienda digressus. Aprorum hodie, nulla ursorum ampliùs latibula in vicinia novimus.

15. Miscuit dulcibus etiam amara Deus; nam anno 1521. in vico Foresti, qui Schlitten vocatur, pestis exorta aliquot jam homines extinxerat, nec levis timor viciniam omnem invaserat. Verùm precibus publicis & votis placatum Numen auræ pestilenti limites posuit, ne ulteriùs grassaretur.

16. In monasterio Benedictoburano novi Abbatis electioni anno eodem præsedêre Jacobus Heinrichmann Canonicus & Vicarius Generalis Augustanus, Casparus Abbas Wessofontanus, & Sebastianus Ilsung Clericus Augustanus Jurium Doctor, quibus universus Conventus potestatem dedit, Mathiam Reichel Wembdinganum, hactenus Adjutorem, in Abbatem pronunciandi. Publicationem fecit Abbas Wessofontanus: confirmationem verò electionis Vicarius Generalis Mathiæ impendit. (n)

17. Aliud negotium Abbati nostro fuit Monachii, cùm Georgius Stainhobl Clericus Frisingensis ad Beneficium quoddam Ecclesiæ Collegiatæ ad B. Virginem ibidem nominaretur anno 1524. Aderat tunc Georgius Abbas Fürstenfeldensis, Præpositus S. Mariæ, Abbates Ettalensis, Tegernseensis, Benedictoburanus, & Casparus noster Wessofontanus. Fuit ibi recitata Bulla Clementis Papæ VII. data apud S. Petrum Romæ anno 1523. 18. Calendas Februarias, qua jus nominandi Wilhelmo & Ludovico Bavariæ Ducibus fuit assertum.

18. Cæterùm Casparus Abbas, cùm fœdera in solatium defunctorum iniisset cum Beyrbergensibus Canonicis Regularibus, (o) Ottobu-ranis, (p) Sehyrensibus, (q) Nideraltahensibus Benedictinis, (r) Scheftlariensibus Ord. Præmonstratensis, (s) ad æternitatem transiit, communi omnium luctu, anno 1525. feriâ secundâ, qua die colebatur festum S. Dionysii Episcopi & Martyris. Ægrum fuisse indicavit facies solito tristior, cùm in communi refectorio accumberet eo die, proxima nocte extinctus, vir optimè de monasterio meritus, sive disciplinam & litterarum culturam, sive œconomiam spectes. Latet tamen sepulcrum ejus, sicut & successoris Wolfgangi, fortè quòd S. Benedicti Capella non caperet; reliqui enim Abbates omnes, uno excepto, in Ecclesia S. Petri deinceps tumulati quiescunt.

(m) *Conf. Adlzreitter P. II. Annal. col. 230. 231. Raderus Vol. II. Bav. S. à fol. 368.* (n) *Chron. Bbur. P. I. fol. 225.* (o) *Anno 1510.* (p) *Eod. anno.* (q) *1511.* (r) *1514.* (s) *1517.*

§. VI.

Appendix de Vilgertshovio.

19. Non possum hoc loco omittere, quin proferam, quæ de Vilgertshovensi vico reperio sub Casparo Abbate gesta. Udalricus VI. Abbas, & hucusque ultimus hujus nominis, ex monasterio Tegernseensi ad nos vocatus, monasterium perquam egenum, quin & debitis oppressum invenerat: quare & coactus fuit quædam alienare, ut creditoribus magnarum summarum satisfaceret. Sors hæc tetigit Vilgertshovensia quatuor, & unum Puechense, prædia, quæ tradita sunt Udalrico Weichsner civi Landspergensi & omnibus hæredibus ejus. Margaretha Weichsneri uxor, marito defuncto, vendidit eadem Thomæ Erhard,

hard[t], itidem civi Landspergensi. Thomas iste omnia hæc transmisit in filios suos Udalricum & Joannem.

20. Casparus Abbas portionem monasterio nostro tam vicinam, ex necessitate quidem alienatam, neutiquam tamen negligendam putavit, divinitus forte monitus, quem in florem & splendorem locus iste olim esset surrecturus. Itaque à Conrado & Casparo Joannis Erhardi filiis, à Paulo Erhard Udalrici filio, à Margaretha Michaëlis Erhard vidua & liberis ejus ab Anna Joannis cognomento Vilgertshoveri vidua, à Wolfgango Mayr Penzingano jus hæreditarium ex Vilgertshovio, à Georgio Wielenbacher & Margaretha Erhardin, à Joanne Erhard in Diemendorff, omnia jura sibi in Vilgertshovium competentia Casparus Abbas sumptu non modico redemit. Hæc omnia nescirem, nisi Stephanus Leopolder in Catalogo totius Archivi tunc exsistentis accuratè annotata reliquisset. (t) Erhardii post jura sua in Vilgertshovium vendita non reliquêre viciniam, sed multi adhuc vivunt in propinquo, ex quibus Ven. & Clar. Vir P. Thomas Aquinas Erhard Wessofontanus; libris in lucem editis, & promoto Vilgertshovii cultu Mariano celeberrimus. Verùm tam de Thoma, quàm de Vilgertshovio largior alibi sermo recurret.

(t) *MS. F. pag. 23.*

CAPUT V.

De Wolfgango & Benedicto Abbatibus.

§. I.

Wolfgangus I. Abbas XLIV.

1. Wolfgangus cognomento Kolb, natus Bittengovvæ seu Peutingæ juxta Schongavium in Bavaria, per annos aliquot Cellerarii & œconomi munere cum laude functus, anno 1525. in Abbatem electus est tertio Calendas Novembres, nempe trigesimo Octobris, qui est Vigilia S. Wolfgangi Episcopi Ratisbonensis. Sabbato post festivitatem omnium sanctorum confirmatus est Augustæ Vindelicorum & sequenti Dominica in Ecclesia SS. Udalrici & Afræ consecratus. Reversus inde ad Wessonis fontes offici-

um Abbatiale ex Episcopi commissione suscepit *per Plebanum nostrum Rassonem de Landsperg*, nempe Parochum illius civitatis. Hæc omnia Stephanus Leopolder memoriæ reliquit, iisdémque verbis Chronicum suum tertium & ultimum finivit. Quæ deinceps scripturi sumus, usque ad ea, quæ ipsi vidimus, vel vivis testibus accepimus, ea omnia diversis, dispersisque chartis, libris censualibus, baptismalibus, schediasmatis etiam relictis debemus: aliqua authenticis copiis ex archivo, & authoribus exteris debentur.

2. Ex ratiociniis & prædiorum enarrationibus patet, nonnulla bona per Wolfgangum Abbatem fuisse monasterio comparata tum apud Fontes nostros, tum Weilhemii, ubi anno 1529. Prætor fuisse legitur Simon Stettner, quod ob Friderici Abbatis ex familia Stettnerorum oriundi memoriam dicimus. Plura commoda erat allaturus hic Abbas, si diutius superstiti esse licuisset. Verùm seu epidemico morbo, seu senectute confectos, plures è nostris mors atra in tumulum dejecit. Primus omnium descendit venerabilis Pater Augustinus Purckard, sub Henrico, Casparo, & Wolfgango Abbatibus zelosissimus Prior. Hunc alius ex alio ad sepulchrum secuti sunt, RR. PP. Leonardus Peissenberger, Sebastianus Pichelmayr, Leonardus Knilling, & F. Thomas Körner Conversus. Triennio post Augustinum obiit de monasterio nostro meritissimus P. Stephanus Leopolder, cujus scriptiones & labores litterarios postea dabimus. Tot suorum funera restituturus fuerat Wolfgangus; jam enim duos tyrones susceperat & ad religiosa vota admiserat, anno 1529. Balthasarum Hitter Pollingæ natum, & anno 1532. Joannem Merckle: huic restaurationi intentum Abbatem morbus confecit, & suorum funera suo quoque cumulare compulit anno Christi post millesimum quingentesimum trigesimo tertio, postquam octo annos monasterium vigilantissimè gubernâsset.

§. II.

De Stephano Leopolder, monacho & Chronographo Wessofontano.

3. STephanus Leopolder primam lucem accepit prope celeberrimum superioris Bavariæ monasterium Tegernseense. Ibi quotidianis monachorum exemplis à primis unguibus excitatus, nil aliud in votis habuit, quàm eamdem religionem amplecti, in qua pietatem & doctrinam

nam de primatu certare conspexerat. Et quoniam non ignorabat, neminem Prophetam acceptum esse in patria sua, útque amicorum consortia vitaret, tamquam religiosæ quietis obstacula, ad nostrum monasterium supplex venit, & quoniam latinæ linguæ usu & Orthographiæ elegantiâ pollebat, ab Henrico Abbate susceptus, anno Domini 1502. solemnia vota vigesimo quarto Junii Deo nuncupavit, nempe ipso festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Variis deinde officiis functus, ùt Custodis, & Cellarii, nulli tamen se ita impendit, sicut muneri Bibliothecarii & Archivarii, id quod multiplicia ipsius scripta luculenter produnt. Eorum, quæ sub manu mea sunt, hunc texo Catalogum.

1. Chronicon Wessofontanum, seu Catalogus omnium Abbatum usque ad annum 1498. perductus.
2. Item Catalogus Abbatum nostrorum paulò adstrictior, sed perductus usque ad Wolfgangum Kolbium anno 1525. electum.
3. Tertius Catalogus Abbatum cum externa historia Ecclesiam & Imperium concernente scriptus *in folio*, ùt dicunt: sed finitur anno 1254. sub Innocentio IV. Pontifice.
4. Quartus Catalogus Abbatum, cæterorum perfectissimus, cujus nos apographum solum habemus: ipse Codex in Tegernseensi Bibliotheca à Clarissimo Pezio fuit inventus.
5. Duplex Catalogus omnium Instrumentorum atque diplomatum in Archivio nostro repositorum, unus in membrana, alter in charta exaratus.
6. Rhapsodia variorum Instrumentorum, tabularum, eventuum, aliarúmque rerum ad monasterii nostri Historiam pertinentium, quæ mihi perutilis fuit.
7. Sermones sive collationes Capitulares devoti patris Bernhardi presbyteri & monachi in Tegernsee, scriptus, sicut in fine legitur, *per me F. Stephanum Leopolder presbyterum & monachum in Wessosprunn, anno 1516.*
8. Chronica Fundationum plurium Episcopatuum, atque monasteriorum tam in Bavaria, quàm extra Bavarorum provinciam situatorum. Codex iste magnam partem descriptus est ex Collectura monasteriorum Sebastiani Ranckii, sed multis locis auctior, maximè de actis Thassilonis ducis.
9. Vita beatæ Mæthildis in Dyezzen, elegantissimè transscripta, cujus Author Engelhardus Abbas.
10. Integrum Antiphonarium bene spissum ad usum Chori Wessofontani.

11. De Fundatione monasterii S. Michaelis in Staffelsee, anno 1521. à Stephano finitum opusculum, ex antiquiore descriptum.

12. Catalogus Abbatum in Tegernsee. In eo sub Aribone XIX. anno Dni MCXI. electo hæc verba leguntur ad marginem; *Hujus Abbatis tempore eligitur Walto nostræ congregationis* (nempe Wessofontanæ; nam Stephanus scripsit) *Abbas, postea inter Sanctos translatus, clarens miraculis.* Et sub Abbate XXI. Ruperto hæc in margine leguntur: *Hujus Abbatis tempore obiit beatus Walto Abbas Wezzinsprunnensis anno Dni MCLVI.* ultimus in hoc Catalogo Abbas legitur *Maurus, priùs Johannes Leyrer de Landsperg, Abbas XLVI. Eligitur anno Domini 1512. quarta die Februarii.*

13. Chronici Hersfeldensis compendium à Stephano excerptum ex Lamberto Schaffnaburgensi.

14. Catalogus Episcoporum Salisburgensium.

15. Catalogus Episcoporum Augustensium.

16. Trina fundatio monasterii Diessensis.

17. De inventione sacratissimi corporis Christi juxta Memmingam civitatem Sueviæ.

18. Catalogus Abbatum SS. Udalrici & Afræ.

19. Collectanea de Historia Imperii & Bavariæ antiquissima. Sunt & alia multa, quæ scripta reliquit Stephanus, ex veteribus membranis transscripta eo ævo, quo jam imminebant monasteriis scriptores antiquis Codicibus inhiantes, mutua documenta sumentes, & restitutionis immemores. Gratias immortales debemus Stephano, qui plurima, velut raptas è naufragio tabulas, collecta nobis reliquit. Obiit vir optimè meritus anno Domini 1532. cùm triginta annos à Professione religiosa monasterio & patriæ egregiè laborâsset.

§. III.

Benedictus II. Abbas XLV.

1. Huic patria Weilhemium fuit, cognomentum Venatoris, teutonicè Jæger, secundùm quod etiam cornu venatorium pro insignibus elegit. De ejusdem actis iterum omnia in obscuris. Stephanus toties nobis laudatus jam fatis concesserat. Magis igitur mortuorum, quàm vivorum sub ejus regimine nomina nobis nota sunt. Ipsum electionis ejus annum funestavit obitus venerabilis P. Gabrielis Schmid Prioris: cui in eodem officio successit Venerabilis P. Petrus Ramigg,

Ramun-

Ramungorum genere oriundus, de hujus stemmatis nobilitate & antiquitate sub Nortberto Abbate diximus. Præfuit Benedictus Abbas viginti novem annis tempore sat longo, & rebus multis gerendis sufficienti. Nec desunt indicia, eum de monasterio bene meritum fuisse; cùm in epitaphio *Restaurator* vocetur. Illud in magno lapide eidem cum figura corporis positum fuit prope aram confraternitatis SS. Rosarii, hodieque è regione successoris spectatur. Obiit anno 1562. quo eumdem secutus ad tumulum fuit P. Wolfgangus Leyrer Subprior, monachus, & Parochus Wessofontanus.

2. Duæ res Benedicto gubernante memoriâ dignæ acciderunt. Primam ex Libro ceremoniarum ad usum Sacristæ per Joachimum Puechauer conscripto eruimus. Consuetudo fuit antiqua, ut populus Wessofontanus solemni processione ad montem sanctum Andecensem proficisceretur pridie festi Ascensionis post Nonam in choro decantatam, sicut fit in hodiernum diem. Verùm supervenit anno 1543. aliunde Reverendus D. Georgius Aman, ex alia Diœcesi sacerdos & Religiosus, atque administrationem Parochiæ Wessofontanæ suscepit. Nondum adhuc mos inoleverat, ascensionem Christi, figurâ ejus in cœlum ascendentis populo exhibitâ celebrandi: ille primus hoc introduxit permittente Abbate, simúlque mirabilem ritum, qui piis quidem devotionem, frigidis autem parùm ædificationis afferre posset. Causam hujus ritûs Georgius de suggestu explicans, plebem quidem novitatis avidam traxit, & à veteri more S. Montem invisendi avertit: at non æquè grata populo fuit translatio peregrinationis hujus ad feriam quartam hebdomadæ Pentecostes; jam enim matutinâ horâ secundâ surgentes ibant oppidani ad Montem sanctum, & eodem die ad Vesperas revertebantur. Credo, in plebe exorta fuisse murmura, quibus motus Georgius à monasterio ultrò discessit, & ad sua rediit. Bona mente ab ipso introductum novum morem crediderim, & bono zelo, fortè & desiderio, suum in catholicæ fidei studium fervorem ostendendi. Idem enim Georgius, Lutheri doctrinis seductus, pertinaciter novatorum opinionibus adhæserat, ac propterea decem annos in carcere, alios quinque honestiùs inclusus, transegerat. Egit deinde pœnitentiam, & tum verbo, tum exemplo pii sacerdotis nomen sibi comparavit. Georgio sub annum 1545. ultrò discedenti successit P. Wolfgangus Leyrer, Raistingæ natus & monasterii nostri Religiosus: qui pristinum agendæ peregrinationis morem reduxit, non tamen dominicæ Ascensionis exhibitionem, sed superfluos ritus sustulit. Atque ita in hodiernum diem antiqua & laudabilis hæc consuetudo in devotæ plebis gratiam perseverat.

3. Quod

3. Quod alterum memoriâ dignum sub Abbate Benedicto contigit, est fuga Cathedralium Canonicorum Ecclesiæ Augustanæ. Pertinet hoc ad historiam nostram non solùm, quòd ejusdem Dioeceseos simus, sed quod fugæ suæ refugium intra Parochiarum nostrarum limites quæsierint: quod nescio, honori magis, quàm dolori nobis cedere debuerit. Videre illustrissima summæ Ecclesiæ capita furori & violentiæ cedere, quantus dolor! eosdem illustrissimos viros hospitio recipere, quantus honor! Audiamus Corbinianum Khamm hac de fuga loquentem: (a) „ Anno 1546. die 18. Februarii *Luthero* ætatis 63. (*Critico* anno, quo judicio *crisique* divinæ rationem erat redditurus) Islebii infelicem animam „ exhalante, & Witterbergæ sepulto, non sepeliebantur *Lutherani*, sed „ vivacioros & insolentiores redditi, *Füessen*, *Reütten*, ipsum fortalitium „ *Ehrenberg* expugnabant: obvia templa & monasteria Algoiæ spoliabant, „ atque *Dilingam* (capitulo Cathedrali illâ fugato, & primitus die 4. Julii „ *Rhainam*, dein 14. Julii *Aicham*, inde die 8. Augusti *Landspergam*, po„ stremò die 13. Augusti *Weilhemium* translato) armis occupant.

4. Hunc fugæ dolorem proximo anno solatus est Deus: Otho Augustanus Episcopus ad Ecclesiam suam rediit, eámque ab hæreticis profanatam expiavit: anno sequente Ecclesiasticum summi templi Senatum Dilingâ reversum recepit. Nos, sicut cum fugientibus dolor communis fuit, ita honorem maximum putamus, & favorem coelitus concessum agnoscimus, eosdem Reverendissimos ac illustrissimos Canonicos in duabus civitatibus, secundùm sanctiorem curam, & antiquo jure nostris, excipere, fovere, & omni debito obsequio venerari potuisse.

(a) *Hierarchia Aug. P. I. Cathedrali fol. 343.*



SÆCU-



SÆCULUM NONUM WESSOFONTANUM,

CAPUT I.

De Leonardo II. Abbate XLVI.

§. I.

Leonardi natales, mores, vocatio.

1. SIcut priori sæculo initium dedit Leonardus I. ita secundum hoc ejusdem nominis Abbas Leonardus II. cognomento Hirschauer. Patria ei fuit Reichlinga, spectabilis & numerosus vicus, præturæ Rauhenlechspergensis. Parentes ingenui, locupletes, & antiquæ germanitatis, Joannes & Elisabetha. Traditione accepimus à senibus, Leonardum fuisse juvenem gigantæi ferè roboris, & effigies ejus integra sepulchrali saxo insculpta non abludit. Dicitur inter eos fuisse, qui in atrio monacensis Palatii prægrandem lapidem trecentarum ferè librarum de terra tollere, & saliendo duodecim pedes in altum se librare potuerint. A parentibus ad hauriendam liberalium artium scientiam admotus, etsi ingenio esset perspicaci, magis tamen ad sagatam quàm togatam Palladem vivida indoles eum trahebat. Verumtamen æternæ salutis desiderio incensus ad monasterium nostrum supplex venit, & ob perspectas animi dotes semel iterúmque receptus fuit, bina tamen vice Palinodiam cecinit, & militiam profanam secutus est, quò eum roboris sui fiducia duxerat. Demum meliori numine afflatus ad sanctiorem militiam rediit, in Benedictinos canones juravit, bonum certamen certavit, atque ita se omnibus mansuetudine, patientia, prudentiáque probavit, ut non dubitarent, defuncto Benedicto II. eundem in Abbatem eligere: quod contigit anno post millesimum quingentesimum sexagesimo secundo. Præfuit integro decennio sine querela, Religiosarum consuetudinum, decessorum

sorum curâ introductarum, tenax: & licèt singularia ejus acta nullibi consignata [illegible], ex fructibus tamen cognosci potest, quòd benedictiones cœlestes regiminí ejus non defuerint. Sicut porrò Leonardus, in parentes suos defunctos pius, ingentem eis sepulchralem lapidem cum eorum epitaphio, suo nomine insignitum posuit, qui hodiedùm prope Ecclesiæ Reichlinganæ januam parieti infixus cernitur, ita ipse majori artificio sculptum à successore accepit, prope hodiernam aram SS. Rosarii spectandum. Ipse Abbas noster, decennio regiminis exacto, obiit anno 1572.

§. II.

Religiosi Wessofontani bene meriti.

2. RElIgiosis nostris meritò annumeramus alienigenam, non solo vicinitatis, sed etiam diuturnæ apud nos commorationis, & maximè mortis jure. Leonardus is erat, cognomento Hofmannus, monachus antehac Andecensis, & ob præclaram spem de se conceptam anno 1561. etiam Abbas sancti Montis Andecensis electus. Verùm cùm solitudinis & litterarum amantiorem, quàm reipublicæ gerendæ peritum se demonstraret, anno 1565. abdicare se præsulatu coactus est, die 26. Maji. (a) Inde deposito honoris onere lætus à monte ad Fontes nostros transiit: ubi uberem eloquentiæ suæ fructum ex concionibus suis haustis, cœlestibus horreis inferendum. Vacanti Parochiæ Wessofontanæ Pastor est datus, officióque suo per annos ferè viginti sub duobus Abbatibus summo zelo perfunctus in pace quievit, egregiúmque in Necrologio nostro elogium est adeptus, felicior dimissâ Præsulis dignitate, quàm acceptâ.

3. Post Leonardum Hoffmannum Andecii curam accepit alius, non ex illo monasterio, sed aliunde constitutus, qui cùm parùm feliciter rem administrare videretur, Principúmque insuper offensam, nescio qua de causa, incurrisset, Abbas ex nostro monasterio illuc anno 1566. postulatus fuit Georgius Zimmerman, vir antiqui candoris, & venerandæ senectutis. Damasiæ hic primam lucem aspexerat: inde ad monasterium nostrum receptus per annos ferè viginti quatuor apud nos Cellerarii & œconomi munus feliciter gesserat. Translatus ad montem sanctum, & electioni acquiescens, cùm de vitæ diuturnitate desperaret, senio simul gravis, & valetudine debilis, persuaderi sibi passus non est, ut

ut vel confirmationem, vel benedictionem Abbatialem susciperet. Et verò præsensisse videtur instantem mortem; nam anno 1569. die 20. Septembris obiit, & in meritorum, certè bonæ voluntatis, ac Monachorum de eo conceptæ spei testimonium, in templo Andecensi, medióque subtus sacrum Odæum loco honorificam sepulturam accepit.

4. Donec monasterio Andecensi de alio Abbate prospiceretur, administratio illius commissa fuit P. Casparo Kürbelio Weilhemii nato, Monacho Wessofontano, quo in munere perstitit usque ad diem 25. Februarii anni millesimi quingentesimi septuagesimi: quo tempore Andecensibus Administrator ac dein Abbas datus est Joachimus Kirchaer, monasterii Ochsenhusani antea Prior, Munderkingensis. Casparus verò noster ad Fontes suos rediit, & per annos complures gesto, sicut jam antè, ita deinceps Prioris officio in bona senectute 1571. diem obiit supremam.

(a) *Hist. Andec. sub. tit.* Himmel auf Erden *fol. 164. de Leonardo, Georgio, & Casparo.*

CAPUT II.

Gregorius I. Abbas XLVII.

§. I.

Electio Gregorii.

1. NAtus est in Toparchia & Parochia Wessofontana honestis valde parentibus, ac studiis admotus, cùm egregium in litteris & virtute profectum fecisset, atque supplici libello suscipi ad monasterium nostrum petiisset, assensum facilè obtinuit.

2. Quibus in religione officiis defunctus fuerit Gregorius, nullo certo indicio scimus. Litteris probè excultum, & divini cultûs studiosum semper fuisse ea comprobant, quæ in Præsulatu gessit. Electus est unanimi monachorum consensu anno 1572. & insignia sibi elegit ex nomine, concham nempe marinam cum scipione viatorio, qualibus uti solent, qui Compostellam in Hispania ad S. Jacobum peregrinati, hinc revertuntur.

 3. Se-

3. Sedes Jacobiorum fuit supra montem, quo ad monasterium & oppidum Diessense via deportat. Nobilem asserere non ausim, nisi ex illis descenderint Jacobii, quorum unus in Codice Weihenstephanensi citatur testis, Adilbertus de Weffinsprunnen. (a) Et planè non procul hinc rudera stetisse antiquæ arcis in silva vicina, Hundius testatur, (b) quæ eodem asserente ad Greuteros pertinebat: à quibus bona, ad illos olim pertinentia, Jacobii, licèt conditione inferiores, satis tamen potentes, ut ex variis contractibus in Archivio nostro asservatis patet, poterant comparâsse. Verùm hæc incerta relinquo, donec certiora argumenta suppetant.

(a) *Hund. Metrop. Tom. III. fol. 471.* (b) *Idem ibid. fol. 485.*

§. II.

Quid Gregorius Abbas præstiterit ad augmentum cultûs divini.

4. PAuca licèt ad posteros transmissa sint, satis tamen pro illo turbulento tempore, quò monasterium recenter innovatum, & paucis eò usque religiosis instructum, præstitisse censeri debet Gregorius. Ad augmentum enim divinæ laudis, & diuturnum cantantium commodum, duobus è charta pergamena voluminibus, quibus Psalmi continebantur, sumptu non exiguo Chorum instruxit. Præterea geminas SS. Apostolorum Petri & Pauli, monasterii nostri Patronorum, statuas pœnè bipalmares, cum basibus, ex solido argento fabrefieri curavit, insignibus suis cuique subjectis, unde illa superiùs descripta sumpsimus.

5. Quod ad cultum divinum & animarum salutem plurimùm hodiedum prodesse videtur, decimas Mundrachingenses, atque unà jus Parochiale comparavit Gregorius, certâ pecuniarum summâ numeratâ, statisque conditionibus divina in loco celebranti præscriptis. Est Mundrachinga vicus Lyco flumini assitus, complectens hodie domos 24. quibus si Lechmillanas quinque ultra flumen ex parte Suevica sitas adjicias, erunt 29. Cùm adessent & præessent adhuc loco Nobiles, proprium alebant sacerdotem, ipsi decimas, nescio unde comparatas, in suos usus emptionis jure convertentes. Ultimus eorum Melchior Vogt de Findingen erat, uxor Anna Vogtin, nata Höchenkircherin. Findinganis ille nobilibus, ex quorum genere Gerbirgam Sanctimonialem Wessofontanam sæculo Christi decimo tertio susceptam retulimus, successerat, & cognomen acce-

ceperat. De familia Hochenkircherorum multa jam dicta sunt sæculo decimo quarto & decimo quinto sub Udalrico de Höchenkirchen Abbate primùm Wessofontano, dein Ettalensi. Porrò Melchioris Vogtii & Annæ Conjugis tres supererant filii: Wilhelmus Vogt in Eresing de Finding, primogenitus: alter Joannes Sebastianus Vogt in ministerio aulæ Cæsareæ: Christophorus Vogt natu minimus, quorum omnium consensus, ùt requirebatur, ita libenter præbebatur. Confectum itaque est instrumentum venditionis decimarum, & à venditoribus dictatæ conditiones, quibus loci curiones tenerentur: nempe, ut singulis septimanis una Missa celebraretur, quocunque commodum esset die: præterea in festis SS. Sebastiani, Blasii, & Innocentûm: in hebdomade Paschali die Mercurii, & Jovis; in festo S. Viti Martyris, qui Patronus est loci primarius, & S. Annæ, Patronæ secundariæ: item Dominicâ ante festum S. Bartholomæi, quo die festum dedicationis fuisse celebratum videtur: & in quatuor anni festis, zu den 4. Hochheiligen Festen. Hodie cum fœnore ad colonorum commoditatem multò plura fiunt, quàm petita sunt, ut suo loco sub Abbate Leonardo Weiss, sæculo decimo septimo fortè referetur. Porrò Instrumentum hoc latinâ & germanicâ linguâ scriptum cum aliis pluribus Parochias Wessofontanas concernentibus collatum, consonum inventum, & subsignatum est à P. Quirino Millon, O. S. B. Professo Tegernseensi, tunc Priore, postea Abbate, Notario Publico Apostolico Jurato: quod factum est Monachii die duodecima Maii, anno 1687.

§. III.

Quid ad studiorum cultum & suorum litteraturam contulerit Gregorius?

6. AMbabus manibus amplectebatur Gregorius S. Tridentini Concilii mandatum de adornandis alumnorum seminariis, unde aliquando viri prodirent studiis & moribus benè exculti, qui populum Christianum, ex pullulante diversarum hæresum varietate si non labefactatum, certè periclitantem, ad sanam doctrinam vel reducerent, vel in officio continerent. Quid hac in re præstiterit Gregorius noster, non meo, sed externo testimonio docere malim. Jam anno 1577. Michæas Ubiserus Glogoviensis Silesius, Poëta Laureatus, dedicaverat D. Gregorio Jacobo, Abbati ad Fontem Wessonis, & D. Benedicto Martio celeberrimi cœnobii Benedictenpurani Præsuli dignissimo, vitam, & miracula sancti Benedicti, Heroico carmine descripta. Subjicit Author aversâ paginâ Elegiam

dedicatoriam, ex qua ea tantùm excerpam, quibus Abbati nostro tum gratias agit, tum gratiam illius captat:

Inde (c) reversa (d) domum, dominum reverenter adito,
Cui Wesprunnensis subdita sceptra domûs:
Qui te dignatur sociâ discumbere mensâ,
Ne dubita, placidâ te quoque fronte leget.
Nam quòd eremicolæ celebras miracula Patris,
Gratior hoc illis nomine forsan eris. &c.

Finito carmine subscribit Author:

Ex Phrontisterio Wessofontan. 6. Cal. Novemb. Anno Domini 1577. Opus deinde orditur his versibus:

Facta canant alii magnorum illustria Regum,
Cæsareósque vehant, qua digni laude, triumphos;
Sancte ego te Benedicte canam &c.

Complectitur carmen omne 317. Hexametros. In fine per peculiare Carmen versu Jambico trimetro & bimetro alternante commendat se *Venerabili & devoto D. Augustino Winterholero, Priori Wessoprunnensi*: post aliquot disticha hoc modo:

Si me favore juveris (ùt potes) tuo,
Portum mea jam tenet ratis.

Impressum est opus Augustæ à Valentino Schönigk anno 1578. Quid Poëta quæsierit, an, ut seminarii Wessofontani didascalus, an, ut etiam Monachus fieret, incertus sum. Certè Fr. Joannes Schweinperger, Prior Staingadensis, uti se in carmine gratulatorio appellat, sic Ubisero accinit:

Te Benedictus amet, Domini qui in nomine venit:
Cui tua scripta sacras, te Benedictus amet.
Ille tibi priscas reparet, charissime, vires,
Ille tamen venam ditet, opésque tuas.

Ex quibus colligas, hominem invalidum, nec jam juvenem, utpote Prioris coætaneum, nil aliud nisi victum stabilem, & opes statui convenien-

alentes quæsivisse. Si obtinuit instructoris officium, quod desiderâsse videtur, haud diu tenuit vel morte sublatus, vel sponte digressus, vel nunquam exauditus. Nam anno pòst tertio alius videtur idem prensâsse Præceptoris officium, & luculentiùs quidem.

7. Atque is est Michaël Villicus Giengensis Suevus, qui Abbati nostro dedicavit, eodem Valentino typographo, *Aurea quædam de moribus præcepta ex Isocratis ac Demonici oratione pro juventute excerpta, heroico carmine reddita, adjunctis Lucii Annæi Senecæ de morum urbanitate dictis pulcherrimis &c. Anno Domini 1580.* Dedicat opus *Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Jacobo celeberrimi monasterii Wessofontani Abbati &c.* hac elegia, cujus initium, & aliqua è medio proferam:

Accipe Wessonis Præsul dignissime fontis
Carmina, quæ facili simplicitate damus. &c.
Tu modò consule pauca boni, nostrósque labores
Mæcenas placida suscipe fronte, precor
Pòst majora dabo, si me ad majora reservet
Tempora, sublimi qui sedet arce, Deus.
Fac saltem foveas artes, quibus itur in altum,
Et placeant Musæ turba sacrata Jovis.
Nec desint vates juvenilia corda regentes
Artibus ingenuis, moribus atque bonis.
Sic Fons Wessonis famâ super æthera notus,
Qua nunc excellit laude, perennis erit.

(c) *nempe ex monasterio Benedictoburano.* (d) *Musam suam alloquitur.*

§. IV.

Acta coætanea, externa & domestica.

8. Vix adierat Præsulatum Gregorius noster, cùm anno proximo 1575. obiit Eminentissimus Dominus Otho Episcopus Augustanus, S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Præsul imcomparabilis, ac heros pro religione catholica invictus. Ejus elogia cùm pagellæ istæ non capiant, lectorem ad Hierarchiam Augustanam remittimus. (e) Eidem successit Joan-

Joannes Egolphus de Knöringen, Episcopus multarum laudum, litterarum & litteratorum amator, dioecesis verò suæ, in quam hæreses jam hinc inde irrepserant, Reformator zelosissimus. Is cùm duos tantùm annos præfuisset, in ejus locum anno 1575. electus fuit Marquardus Comes de Berg, illustris prosapiæ suæ postremus, vir æquitatis tenacissimus, ita, ut pro symbolo ferre soleret: *fiat justitia, & pereat mundus.* Qui cùm subsidium charitativum à Prælatis vicinis petiisset, hi quidem Ducis metu morabantur: eo verò absoluti petitioni acquieverunt, inter quos Gregorius noster pro facultatibus contulit. (f) Et sanè erant tempora, quæ Episcopi opem ac suppetias flagitarent, ut contra invalescentes hæreses arces & munimenta litteraria erigerentur, è quibus præstantes viri ad Ecclesiæ defensionem peterentur.

9. Abbatis hujus tempore, annò nimirum 1576. S. Bennonis, Abbatis ante Hildesheimensis, dein Præpositi Goslariensis, ac demum Episcopi Misnensis in Saxonia, sacrum corpus, & pontificia ornamenta, Monachium in Bavariam nostram translata sunt, ut quem à populis jam hæretico veneno infectis sperare cultum non ampliùs poterant, in Bavaria majorem obtinerent. Primùm quidem in sacello Palatii Electoralis, donec de ratione propagandæ ejus gloriæ decerneretur, honorificè custodiebantur: Verùm anno 1580. solemni pompâ ad insignem Collegiatam Deiparæ Virginis Ecclesiam translata, & in magnifico sacello, ac ara propria fuêre reposita: statimque magnis in afflictos & ægros beneficiis fulgere cœperunt: atque ea quidem memori charta excipiendi aut in populum vulgandi animus nondum erat, ob hæreticorum cavillos, licèt insignia curationum exempla fuerint ostensa. Viginti tamen pòst annos ipsa illorum frequentia rupit silentium. Nos eò minùs de illis silere possumus, quò major & peculiaris quidem in eundem sanctum devotio Wessofontanos tenet: qua de re alibi copiosior sermo redibit. (g)

10. Eodem Abbate ad Superos, ùt speramus, abiit vir Reverendissimus Leonardus Hofmann, Monachus antè & Abbas Andecensis. Is ejusdem monasterii anno 1561. Abbas electus fuit; verùm cùm quinque annos præfuisset, præsulatu se abdicare compulsus, ad nos se recepit, atque Parochiam nostram S. Joannis Wessofontanam per viginti ferè annos egregio zelo administravit, omnésque optimi tam Religiosi, quàm Pastoris partes implevit, in peristylio, communi monachorum sepultura, terræ mandatus, & posterorum memoriæ in Necrologio commendatus.

11. Deni-

23. Denique non vulgare solatium Gregorii afferebat insigne scientiarum incrementum, dum videbat jam Augustæ Vindelicorum, jam Dilingæ publicis litterarum emporiis fundamenta dari, per Religiosissimos Patres Societatis JEsu gubernandis: magis etiam ipsum demulsit domus probationis Landspergæ, quam Schvvickerus comes Helffensteinius moliebatur. Sub horum Patrum disciplina Ingolstadii altiores scientias hausit Wolfgangus Jacobius, Abbatis nostri ex fratre nepos: de quo deinceps plura referentur. Vidisset Gregorius nepotem suum Landspergæ Pastorem: vidisset novum ibidem Societatis laudatæ templum: vidisset in Ecclesia Collegii congregatos magno numero cives, statis diebus divino verbo intentos: vidisset eosdem frequentiore conventu in templo Parœciali congregatos ad cultum divinum, & ad hauriendas vitæ christianæ doctrinas: quæ omnia in ovium suarum Landspergensium salutem redundare conspiciens, non potuisset dolens è solatio lachrymas continere. His grande augmentum accessisset, si, quem ultimo vitæ suæ anno ad sacram Professionem admiserat, Joachimum Puechauer, prævidisset fore Universitatis Salisburgensis excitatorem. Verum Gregorii magnas de publicis emolumentis spes mors abrupit. Honorificum pro meritis suis & facultatibus nostris tumulum in templo nostro accepit, prægrandi effigiem ejus referente saxo, vicino parieti inserto, decorum.

(e) *Hist. Aug. P. I. Cathed. à fol. 339.* (f) *Chron. Benedictobur. P. I. fol. 262.*
(g) *Boll. 16. Junii fol. 304. num. 22.*

§. V.

De Wolfgango Jacobio nobili Poëta Wessofontano.

Filius Wolfgangus, Wolfgangi Abbatis nostri ex fratre nepos, apud Wessonis Fontes in lucem editus, maximæ spei adolescens, & ad amœniores litteras natus, & ad severiores scientias. Sive parentum impensis; sive Patrui munificentiâ Ingolstadii Philosophiæ, dein & Theologiæ operam dedit. Ejus apud Academicos existimationem docent duo opera typis edita, eidem propria Auctorum manu consignata, donataque. Primus erat anno 1580. Michaël Villicus Giengensis Suevus, qui *Annæa de moribus præcepta* Gregorio Abbati nostro, ut supra diximus, dedicata, in limbo hac subscriptione est usus: *Ingenuo & eximiæ spei adolescenti Wolfgango Jacobio hoc epistolium dono dedit Michaël Villicus, hujus*

 operis

operis Author. Anno deinde 1583. Panegyri gratulatoriæ, quinque novis Doctoribus 5. Non. Oct. publicè creatis (h) dedicatæ, subscripsit secundus Author: *Domino Wolfgango Jacobio Fischerus Autor dedit*. Vocatur hic in operis titulo M. Jacobus Fischerus, Poëta laureatus.

2. Spei de se conceptæ respondit Wolfgangus anno 1584. diversis carminibus in lucem datis. *Primum* est, ut à Virgine Deipara auspicaretur labores suos, poëma sacrum in diem Purificationis sanctissimæ DEI Genitricis Mariæ, dedicatum nomine Congregationis Illustri DD. Ladislao lib. Bar. à Terring, Domino in Stein & Peterstein. Constat hoc poëma ducentis octoginta hexametris: cui idem Author Wolfgangus subjunxit Mantissæ loco septem Epigrammata elegiaco & sapphico metro in eandem Purificationem. *Secundum* est inter aliorum Carmina Gratulatoria D. Conrado Vogelio Buochaviensi Suevo dedicata, cùm 6. Cal. Maji Philosophiæ Baccalaureus crearetur, à Wolfgango nostro compositum carmen sapphicum, octodecim strophas complectens. *Tertium* nomine Congregationis Academicæ scriptum de Augustissimo Eucharistiæ sacramento, ac IV. Calendas Junii dedicatum nobili adolescenti Conrado à Rechberg de Hochenrechberg, à Wolfgango Jacobio jam Philosophiæ Baccalaureo, centum octoginta hexametris decantatum. *Quartum* post gratulatoria Edmundi Hollyngi Angli, à Wolfgango Jacobio dedicatum Michaeli Herero Can. Reg. Baumburgensi, & Vito Priessero Alumno Ducali, supremâ Philosophiæ laureâ redimitis. Noster ad Priesserum incipit: *Credo equidem tacito mortalia pectora motu Natura stimulante trahi* &c. ad Hererum verò: *ardua mirabar quondam studia atque labores Immensos, Herere, tuos* &c. *Quintum* est in Epænesi Gratulatoria Jodoco Brumio Hildesheimensi Catholico Saxoni, 4 Cal. Novembris Juris utriusque Doctori creato, inter alios authores à Wolfgango Jacobio hexametris decantatum, quod incipit: *Suave viro lasso turbantibus æquora ventis* &c. Atque hi, præter propria studia, quibus primam Philosophiæ lauream Wolfgangus prensabat, intra unius anni spatium fuêre poëtici labores; ubique lucculentus vigor, gravitas, & naturalis quædam facilitas elucet.

3. Proximo deinde anno 1585. Carmina Natalitia Reverendo ac Doctissimo viro M. Balthasaro Schreyvogelio, sive Adorno, Soc. JEsu Ingolstadii in Ducali collegio Wilhelmiano humaniorum litterarum Professori &c. inscripta, & ipso SS. trium Regum festo consecrata; post alios duos auxit Wolfgangus noster Acrostichi, & altero Epico carmine. Anno deinde 1587. Congratulatio D. Andreæ de Luchis Neapolitano Austriaco, 4. Cal. Maias primam Art. LL. & Philosophiæ lauream adepto, dedicata

(h) ...

dicata est à M. Joanne Hackero Ehingensi LL. studioso, & M. Wolfgango Jacobio, SS. Theologiæ studioso. Wolfgangi nostri carmen 180. hexametros habet, & incipit: *Ergo age Teutonidum celebris regnator aquarum Ister ad Austriacas lætis; nuntius oras* omnibus &c.

4. Eodem anno Eparænesin gratulatoriam ad viginti quatuor pro suprema AA. LL. & Philosophiæ laurea candidatos die XIII. Cal. Augusti composuit solus Wolfgangus Jacobius, primum R. P. Georgio Phedero Soc. JEsu Philosophiæ & Mathematicæ Ingolstadii Professori ac Promotori, dein Candidatis universis, ac deinde singulis gratulatus vario carminum genere, heroico, elegiaco, Phaleucio, Sapphico, Asclepiadeo, Glyconio: ubi mirari quis possit parem per omnia venam ac promptitudinem, ut nihil in poëtico studio inveniri posse videatur, in quo non fuerit dexterrimè versatus.

5. Biennio abhinc supremâ Philosophiæ laureâ decoratus, atque dein ad sanctiora studia transgressus, cùm Theologiæ triennium impendisset, publicas de voto & juramento Theses defendit Præside R. Mathia Mairhofer S. J. pro utraque in SS. Theologia Baccalaureatûs laurea consequenda Candidatus anno 1589. die 7. Julii, easque Reverendissimo D. Benedicto III. Abbati Wessofontano recens electo nuncupavit, ejusdem in se beneficia, à defuncto jam patruo Gregorio Jacob Abbate sibi exhibitis, non inferiora commemorans.

6. Biennio post elapso Wolfgangus noster jam civitatis Landspergensis Parochus erat, ut testatur inscriptio Thesium Dilingæ de Justificatione hominis injusti coram DEO disputatarum Præside Joanne Pelecyo, S. J. quas primus defendens Marcus Lyresius Landspergensis, alumnus Pontificius, idémque Parochus in Bilerthano anno 1591. 4. Martii à se propugnatas eidem misit, his propria manu adscriptis verbis: *Reverendo & Clarissimo viro ac Domino Wolfgango Jacobio SS. Theologiæ Licentiato, Parocho Landspergensi &c.*

7. Quam æstimatus fuerit ab eruditis Wolfgangus, tum ex iis patet, quæ supra diximus, tum ex eo, quòd Andreas de Luchis Austriacus anno 1588. defensas à se Theses Philosophicas eidem miserit: & anno 1595. doctissimus ille Jacobus Gretscherus S. J. alias de Incarnati Verbi mysterio disceptatas propria manu dicatas in domum Landspergam transmiserit, ubi jam tum societatis domicilium florebat.

(h) *Erant hi Joan. Georg. Lerichius, Wilhelmus & Wolfgangus Mühlhofer, Georg. Ayrnschmalz, & Christophorus Gevvoldus ille, qui Additiones in Metropolim Hundii edidit.*

CAPUT III.

Benedictus III. Abbas XLVIII.

§. I.

Natales, Electio, merita Benedicti.

1. BEnedictus Abbas, cognomento Schvvarz, Damasiæ apud Ambronem lacum non tam opulentis, quàm honestis piisque parentibus ortus est. Pater piscatoriam exercebat, non tam sibi, quàm filiis dives, quos paterna sollicitudine educatos, litterisque informatos tandem Religiosos vidit, Jacobum natu majorem Pollingæ Regularem Canonicum, ac demum Præpositum (a); Benedictum juniorem apud Fontes nostros Monachum; & postea Abbatem. Non erubuit uterque Præsul humilis conditionis indicia, pisces, insignibus suis inserere. Benedictus noster, postquam solennibus votis DEO se consecravit, sacerdotio initiatus ita se ad omnia habilem ostendit, ut Parochiæ Wessofontanæ, & œconomiæ, aliáque officia summa cum monasterii utilitate administraturus videretur.

2. Nec verò defuit spei de se conceptæ. Quare cùm obiisset decessor Gregorius Jacob, Abbas meritissimus, & ad futuram novi Antistitis electionem præfixa esset dies 15. Martii, Serenissimus Bavariæ Dux Wilhelmus quintus adesse etiam jussit Reverendissimum Joannem Benedictum Abbatem Benedictoburanum. (b) Electus fuit pro egregiis suis in monasterium meritis Benedictus Schvvarz, cui eodem anno die 7. Julii, Theologicas de voto & Juramento Theses Ingolstadii à se defensas dedicavit Magister Wolfgangus Jacobius Wessenbrunnensis, pro utroque in SS. Theologia Baccalaureatus laurea Candidatus. Erat hic defuncti Gregorii Abbatis ex fratre nepos, & jam antè Benedicto nostro devotus: id in ipsa Thesium dedicatione fatetur, enarratis patrui defuncti beneficiis subjungens: *si verò tua beneficia, reliquis præteritis, perpendam, fateor necesse est, quod*

16.

quod eorum cumulus extiterit semper maximus, & indies magis magisque augeatur. Hæc Jacobius jam presbyter, & mox SS. Theologiæ Licentiatus, biennio post etiam Parochus Landspergensis.

3. Quàm sollicitus hic Præsul fuerit pro cultûs Divini majestate & Ecclesiasticis ceremoniis observandis luculento testimonio est liber observandorum, quem jussu Benedicti Abbatis scripsit, in eoque pro singulis totius anni festivitatibus laudabiles consuetudines ac ritus accuratè expressit F. Joachimus Puechauer, primùm anno 1588. Religionem professus: ex quo undique elucet adolescentis industria & judicium, majori olim dignitati sustinendæ par futurum. Benedictus verò Abbas decessoris sui non immemor, insigne ei epitymbium ex ingenti saxo paravit, ac *Reformatoris* honorifico titulo Gregorium posteris commendavit. Sui quoque memoriam perennem effecit Abbas insignem Divi Benedicti statuam argento fusam sacrario inferens. Hoc etiam gloriæ cedit huic Præsuli, quòd ad monasterium nostrum susceperit atque ad vota solemnia nuncupanda anno 1595. die 15. Augusti admiserit Gregorium Pontanum, qui post duodecim annos factus Abbas diuturnitate regiminis omnium Præsulum nostrorum ætatem superavit, quippe annis quadraginta octo monasterium gubernans.

(a) *Hund. Metrop. Tom. 3. fol. 119.* (b) *Chronic. Benedictobur. Parte I. fol. 268. & Parte II. fol. 240. num. 347.*

§. II.

Visitationes nostri monasterii.

4. ANno 1591. ab Eminentissimo Domino Joanne Othone Episcopo Augustano missus est Reverendissimus D. David Abbas montis sancti ad instituendam monasterii nostri visitationem. Fuerat vir iste Mindelhemii natus, in Ottoburano monasterio professus, deinde monasterii S. Magni in Faucibus Juliis Administrator, demum ad montem sanctum postulatus Abbas anno 1588. die 10. Maji, maximámque sibi famam ubique comparaverat. Venit ergo ad Fontes nostros circa finem Novembris, & cum eo Commissarii Episcopales Joannes Hieronymus Stor ab Ostrach J. U. Licentiatus Cathedralis Augustanæ & Collegiatæ Elvacensis Canonicus, Celsissimi Principis & Episcopi Augustani Vica-

rius in spiritualibus Generalis: & M. Joannes Blaner Canonicus S. Petri Augustæ, ejusdem celsissimi Sigillifer. Charta Visitationis nihil ab aliis chartis abludit; inculcatur enim articulis ferè singulis, ut S. Regula servetur, & à laudabili eatenus servata consuetudine non recedatur. Conceduntur quædam: de quibus hodie nemo cogitat: singulis septimanis confessio sacramentalis indicitur, aliáque præscribuntur, vel potiùs in memoriam revocantur. Circa susceptionem Novitiorum cautum fuit, ut *homines bonæ indolis, etsi pauperrimi, modò magnæ spei sint, recipiantur, qui professi ad aliquod Catholicum Gymnasium, utpote Dilinganum vel Ingolstadiense mitti possint & mittantur &c. Domum revocati non sint otiosi, nec infodiant talentum sibi creditum, sed ad fœnus exponant, alios erudiendo, & concionando, vel etiam scribendo &c.* Circa Divina in templo officia digniùs celebranda præscriptum fuit, ut candelæ in aris ex cera accendantur, non ex sevo: quod tamen antea usitatum fuisse, supra memoratus Joachimi Puechauer liber ceremoniarum docet. Atque ita hæc Visitatio finita est *die trigesimo mensis Novembris, ipso festo S. Andreæ Apostoli, anno Domini millesimo, quingentesimo, nonagesimo primo.* (c)

5. Altera Visitatio ampliore, nempe Pontificia authoritate per utramque Germaniam à Clemente VIII. Pontifice commissa fuit Petro Paulo de Benallis, Abbati ad S. Sabinam Florentiæ. Is ex Italia Augustam Vindelicorum veniens, & Apostolicam Bullam, missionis suæ testem Joanni Ottoni Episcopo exhibens, promptissimum ejus in vota Pontificis animum invenit, omnémque facultatem officium suum liberè exequendi. Eâdem usus, post alia etiam ad nostrum monasterium venit Bullam Papalem commissionis & potestatis sibi commissæ testem exhibuit. Edita hæc erat *Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 14. Julii, anno 1593. Pontificatûs Clementis secundo*, cui inscripti erant *Petrus Paulus de Benallis Abbas & Visitator Apostolicus. M. Vestrius Barbianus.* (d)

6. Religiosi nostri advenientem promptissimè exceperunt, & quia sponte sua ad omnem observantiam propendebant, proposuerunt *Dubia in S. Patris nostri Benedicti Regulam, ad quæ respondit Reverendissimus D. Abbas Monasterii S. Sabinæ prope Florentiam, Petrus Paulus Abbas Cassinensis, cùm à Clemente VIII. Pont. Max. in utramque Germaniam delegatus, Ordinis S. Benedicti Visitatorem & Reformatorem ageret, Anno à Christo nato 1593.* (†) Ita titulus Quæstionum à Monachis propositarum, & Responsionum à Visitatore datarum: inde quàm in respondendo Visitatoris sapientia, tam in interrogando Monachorum pro disciplinæ studio prudentia & solertia elucebat. Servamus hæc omnia P. Joachimi Puechauer fideli calamo

mo descripta. Optandum planè erat, ut visitatio tam fructuosa in omnia Germaniæ monasteria propagaretur. Ast aliter visum Superis.

7. Apostolicus iste Visitator, cùm in Augustana Diœcesi animos promptissimos, & ipsum Episcopum Joannem Othonem consilii sui adjutorem, & promotorem invenisset, non æquè secundis ventis in Frisingensi Diœcesi utebatur; imò ita adversos expertus est, ut consilii captandi causa Romam redire mallet, quàm inter exteros operam perdere. Suspenso interim visitationis negotio monasterium Eberspergense, quod aliquamdiu à Monachis aliunde vocatis administrabatur, authoritate Pontificia translatum est ad Societatem JEsu, & unitum Collegio ejusdem Monacensi, per Bullam Clementis PP. VIII. editam 19. Maii anno 1595. Qua de re Adlzreitterus ita scribit: *Posteaquam temporum malignitas una cum fortunis (quod ferè consequens est) ejusce loci disciplinam, & Religiosorum numerum minuerat, Guilielmus accepto à Clemente VIII. summo Pontifice diplomate impetravit, ut Monachiensi Soc. JEsu collegio adjungeretur. Itaque pridie Calendas Novemb. Rector Monachiensis Collegii in ejus monasterii possessionem immissus est. Res, Dei imprimis beneficio, & secundum Deum favore Principis, & prudentiâ Commissariorum, magna tranquillitate peracta, majori sanè, quàm in re, quæ magnâ invidiâ non careret, sperari poterat.* (e) Hactenus ille pro suo candore, & ex vero. Notiores sunt amplissimi in Ecclesiæ Catholicæ augmentum & ornamentum fructus illi, quos alma JEsu societas eoúsque in Bavaria & affitis regnis protulerat, quàm ut à nobis enarrentur: nec mirum, Religiosissimum Ducem amplioris emolumenti æquissima spe allectum eidem religioni, quibus poterat modis, consulere voluisse. Ut verò res tam *magna tranquillitate* perageretur, præter causas supra memoratas, non exiguum momentum attulit Alexander Abbas Andecensis: qui cùm videret, eò res Eberspergenses devenisse, ut, obtento jam Pontificis pro Societate diplomate, mutari nihil posset, Eberspergam profectus Monachis patientiam suasit, eósque non minoris commodi spe solatus est: etsi enim hoc relinquerent, aliud illis monasterium jam paratum patere, in quo deinceps contenti, restaurata etiam Abbatis dignitate, viverent: Mallerstorffense id esse inferioris Bavariæ cœnobium, quod jam ante Collegio Monacensi unitum, nunc pro Ebersperga Ordini Benedictino stabiliretur. Itaque ad discessum jam comparatos Commissio Ducalis invenit. Accepit Pontificis etiam jussu, Alexander Abbas operæ suæ præmium, pro monasterio suo annuos mille florenos, postea verò Præposituram Päringanam, à Canonicis inquilinis jam diu destitutam. Adeóque aliis in ordinem nostrum beneficiis compensata putari potest monasterii Eberspergensis translatio; nam & Mallerstorffii nova statim rerum facies fulsit,

sit, cùm post annos ferè quadraginta, quibus sub Administratoribus fuit, Paulus Klöcker Thierhauptanus eorum ultimus, conventu Eberspergensi huc veniente auctus, mitráque, Abbatum insigni, decoratus est. (f) Floret hodiedum monasterium hoc viris pietate, doctrináque præclaris: neque nos Ebersspergam amisimus, Udalrici ex Eberspergensi Monacho Abbatis nostri ductu, hodiedum singulari cultu S. Sebastianum Martyrem prosequentes, ut alibi jam narravimus.

c) *Syntagma Joachimi fol. 219. verso.* (d) *Idem Synt. f. 223. verso.* (†) *Id. Synt. f. 225.* (e) *Adlzreitter Part. II. Annal. f. 321. & 322.* (f) *Hund. Metrop. T. II. fol. 465.*

§. III.

Ædificia, & obitus Benedicti III.

8. Videns Benedictus Abbas, locum palæstræ, in quo beati septem contubernales nostri Hungarorum gladio sanguinem pro Christo profuderunt, non eo in honore haberi, qui Martyres Laureatos deceret, majus eorum memoriæ splendidiúsque monumentum ponere decrevit. Erat ad illud usque tempus sacellum è ligno positum, atque nivium & imbrium injuriis pervium; nihil dignum loci sanctitate apparebat, neque Regi Martyrum fieri sacrificia poterant. Abbas igitur, inquilinos hospites, & divinitus in patrocinium ac tutelam monasterio & subdito populo missos, firmiore ad posteros monumento dignos existimans, dejecto veteri ligneo aliud amplius, & ad perpetuitatem firmius è solido saxo sacellum anno 1594. moliri cœpit, elegantibus aris instruxit, eidémque prægrandem illum lapidem, Martyrum olim sanguine respersum inclusit: quem adhuc in religione ac reverentia haberi, ægrísque propter Martyrum merita salutarem quandoque fuisse suprà diximus, cùm de Thientone sociisque Martyribus loqueremur. (g) Sacellum ipsum salutiferæ Crucis nomine dedicatum fuisse, sub Georgio Abbate, Benedicti hujus successore, dicemus. Hodiedum annis singulis in festis Inventionis, Exaltationis S. Crucis, & Dedicationis anniversariæ, Divinum Officium cum sermone panegyrico solemniter in eodem sacello peragitur.

9. Hæc in Martyrum memoriam cùm præstitisset Benedictus, ad ipsam monasterii nostri originem, ipsósque Wessonis Fontes posteritati servandos curas reflexit. Nec hominum memoria fert, nec ullis Codices nostri

nostri usspiam memorant, fontes istos unquam exaruisse, aut publicæ necessitati se subtraxisse. Attendens tamen Abbas, diluvione quadam dissipari, aut alveos suos deserere eos posse, ut maximis fluminibus evenisse legitur, sapienter curavit, ut non jam solo cespite septi nativam super arenam decurrerent, sed saxis quadris undique cincti, vinctique, per siphones in piscinam, similibus saxis firmiter munitam, confluerent, ex qua contra inprovisa incendia semper aquæ copiosæ hauriri, & quotidianæ necessitati abunde subministrari possent. Hoc Fontium nostrorum munimentum Benedictus lapideis muris circumdedit, ostióque conclusit, ne manus invida, vel oculus inferre fascinum possit. Durat hodiedum hæc securitas fontium, & undarum copia: hinc hortum salientes aquæ refrigerant: hinc mystæ in Sacrario manus lavant: hinc in peristylio, in cœnaculo, in hospitum diversorio, in coquina, in pistrino, in officina zythopeptica, in villa ad omnes hominum & pecorum usus, ad omnes evehendas sordes, aquæ copiosæ. In coquina & ipsum veru hoc flumine rotatur. Tantas ob utilitates, & ad renovandam fundationis nostræ memoriam, cùm Thassilo Abbas positos à Benedicto muros fatiscere, & ruinam minitari cerneret, his destructis, novos altiùs eduxit, spatium laxavit, elegantem pergulam in sacelli similitudinem addidit, & in laqueari fundationis historiam.

10. His rebus perfunctus, nondum tamen laborum fessus, sed pro animi sui magnitudine facturus majora, decessit Benedictus anno Domini 1598. cùm annis novem præfuisset singulari cum laude, unde & meruit monumentum omnibus aliis elegantius, nempe ex lapide porphyretico, in quo ipse, pontificiali habitu indutus, pulcherrimáque sculpturâ exhibitus cernitur.

(g) *Superiùs Parte I. fol. 67. num. 6.*



Fff CAPUT

CAPUT IV.

Georgius Abbas XLIX.

§. I.

Georgii patria, electio, insignia, cura disciplinæ.

1. GEorgius cognomento Ybelhör primam lucem apud Wessonis Fontes hausit, honestâ familiâ natus, quæ hodiedum floret per artis anaglypticæ in Austria, Suevia, & Bavaria celebritatem. Religionem professus Georgius pari virtutis & doctrinæ laude floruit; præcipuè verò indefessam industriam & animarum zelum ostendit multis annis Parochiam Wessofontanam administrando. Prioris etiam officium aliquamdiu simul cum cura pastorali gessit. Defuncto igitur Benedicto Abbate, non fuit difficilis deliberatio, quem eligerent fratres: certa merita suffragium ferebant. Joachimus Puechauer ita de electione scriptum reliquit: *Anno à Christi nativitate millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, sexta die mensis Junii, in hujus monasterii Præsulem per modum compromissionis electus & confirmatus est Reverendus in Christo Pater Georgius Ybelhör nominati monasterii Pastor doctissimus.* Sigillum sibi elegit bipartitum: in superiori parte crucem S. Georgii Martyris, qualem nempe equites ejus ordinis ferunt, cum stella ad dextram & sinistram: in parte inferiori arietem ex triplici colle ascendentem.

2. Primum Georgii negotium erat cura monasticæ disciplinæ, quàm ùt Prioris munere functus unicè curabat, ita, ut fortiùs stabiliret, omnes consuetudines, ceremonias, Constitutiones, Visitationum Recessus, unum in volumen congeri fecit: sicut idem, quem supra laudavimus, Joachimus testatur his verbis: „*Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesi-*
„ *mo nono* Reverendus in Christo Pater & Dominus Georgius Ybelhör
„ Abbas Wessenbrunnensis, cum ad monasterii sui decus & ornamentum,
„ tum ad divini cultûs juxta Benedictinæ Theosebiæ & Religionis in-
„ stituta debitam executionem, variis erroribus & mendis, quæ circa
„ describendum hinc inde per librariorum incuriam inciderant sublatis,
„ pristino nitori restituit, legibilique charactere, suis temporibus con-
„ sueto & usitato, transscribi fecit.„ Librum hunc satis spissum collegit,

git, & scripsit ipse Joachimus, viámque sibi ad Prioratum, & Abbatiam faciliorem fecit, haustâ ex eo copiosâ Regularium statutorum scientiâ. Continentur autem in hoc libro sequentia:

I. Charta Visitationis diffusissima, & centum viginti capitibus constans, anno 1426. sub Abbate Friderico Stettner à Visitatoribus Ordinis nostri per Provinciam Moguntinam deputatis.

II. Charta Reformationis Reverendissimi Domini Petri Episcopi Augustani anno 1429. qua confirmantur constitutiones priores, & singularia statuuntur, per triginta quatuor capita.

III. Secunda Reformationis Charta per DD. Abbates Donavverdensem S. Crucis, & Norimbergensem S. Ægidii, sub Abbate Petro Wittiber anno 1493. relicta. Hæc etiam Charta triginta tribus capitibus constat.

IV. Tertia Reformationis Charta anno 1591. jussu Joannis Ottonis Episcopi per Davidem montis sancti Abbatem & Commissarios Episcopales data, varias leges explicat & declarat.

V. Visitatio Apostolica per Petrum Paulum de Benallis S. Sabinæ Abbatem Cassinensem à SS. Domino Clemente VIII. missum ad visitanda utriusque Germaniæ monasteria. Hæc peracta est sola resolutione dubiorum super Regulam S. P. Benedicti.

VI. Corollaria varia ex singularibus, præter Regulam, S. Benedicti scriptis, per diversa cœnobia inventis.

VII. Tractatus de modo visitandi monasteria, ordinarii delegato Abbatibus adjuncto. Et hæc omnia librum ducentis sexaginta novem paginis utraque facie scriptis implent. Unde non solus Abbatis Georgii zelus, sed & Joachimi indefessa diligentia colligi potest.



§. II.

Studium Georgii Abbatis ad propagandum cultum divinum & curam Ecclesiarum.

3. PRæcipuum illud existimo, quòd Georgius sacellum S. Crucis in memoriam Thientonis & sociorum Martyrum à Benedicto decessore suo ex lapididibus ædificatum, consecrari, divinisque officiis publicè celebrandis aptari curaverit. Factum id anno post millesimum sexcentesimo. Chronologiam hanc eruo ex Radero *tabulas MSS. Wessenbrunnensis cœnobii* allegante, ex quibus hæc transscribo: „ in hujus facti (nempe „ martyrii) signum erigebatur paulatim à Christi fidelibus capella lignea, „ quam ante novem annos Reverendus Dominus Benedictus Abbas, (a) „ piæ memoriæ, deposuit zelo divino permotus, & novam de lateri„ bus exstruxit, quam proinde noster modernus Reverendus in Christo „ Pater & Dominus Georgius Abbas (b) ante tres annos consecrari à Re„ verendissimi Episcopi Augustani R. D. suffraganeo summopere sollicita„ vit, & consecrari in honorem S. Crucis fecit.„ Cùm igitur Benedictus Abbas *ante novem annos*, nempe, ùt suprà dictum A. 1594. sacellum ædificaverit, & *ante tres annos* Georgius consecrari fecerit, sequitur illud consecratum anno sæculari MDC. Unde pariter colligitur, quemcunque illum tabularum Wessobrunnensium scriptorem hæc Radero transmisisse anno novi sæculi tertio. Consecravit autem novum sacellum vir insignis Sebastianus Breuningus Episcopus Adramyttenus, cui summas laudes ex merito tribuit Hierarchia Augustana, tanquam viro sanctæ & laudatæ vitæ; ut ex epitaphio patet. (c)

4. Ad officia divina majori cum splendore celebranda procuravit Georgius Abbas pedum Pastorale, quod vidi, valde ponderosum ex argento, & suprema parte metallinum, sed splendidè deauratum: quali qui nunc uteretur, majoribus, quàm hæc fert ætas, viribus eum valere oporteret. Id postea in alia vasa sacra conversum est. Similiter tam pro ærario Wessofontano, quàm incorporatis Ecclesiis plures calices comparavit.

5. Jus Patronatûs in Ecclesiis Parochialibus, etsi nudum & infœcundum, Udalricus Höhenkircher, aliique Abbates nostri sæpiùs quæsierunt & obtinuerunt, eo unicè fructu, ut clientes & subditos, aut subditorum filios, propter parentum & propria ipsorum merita, ad Ecclesiastica

bene-

beneficia promoverent. Sic Ecclesia S. Andreæ in Burgg cum eodem jure ad nos pervenit per Nobiles Vogtios in Erefingen de Vindingen. Wilhelmus enim ejusdem generis, tunc Judex Wessofontanus, fratres ejus Joannes Vogt, Sebastianus Vogt Prætor Clingensis, & Christophorus Vogt anno 1602. die 12. Februarii datis litteris jus Patronatûs dictæ Ecclesiæ Georgio Abbati, Petro Priori, & Conventui solemniter tradiderunt, testibus Carolo *Egloff* Præfecto Paalensi & Landspergensi, & Jeremia Lauginger de Erphting. Henricus verò Episcopus Augustanus factam à *validis viris* * cessionem ratam habuit anno 1603. die 20. Martii. Jus istud Patronatûs nuper sub Thassilone Abbate LV. transmissum est serenissimo Alexandro Sigismundo Episcopo Augustano viâ permutationis, unà cum altero in Ecclesiam Oberfinninganam, prò jure constituendi præsentandique Parochum Ecclesiæ Iffeldorffensis, ex causis, quas inferiùs sub Thassilone Abbate explicabimus.

6. Contrà verò pars juris in Ecclesiam Weilheimensem biennio ante nobis decesserat. Parochiam civitatis monasterio plenè incorporatam pridem docuimus. Verùm successu temporis Parochi de sustentatione nimiùm tenui movebant querelas: præcipuè cùm præter Parochum singularis Prædicator à civitate constitutus, & certa pecuniæ summâ fundatus, senatûs civiúmque arbitrio & nominaretur & Episcopo præsentaretur. Petebatur ergo augmentum congruæ ex decimis nostris, vel undecumque: quod sine monasterii præjudicio se præstare non posse rebatur Abbas. Rem ad Episcopi judicium devolutam expedivit serenissimus Bavariæ Dux Maximilianus, postea Elector, ea conditione, ut Prædicatoris & Parochi munera unirentur, unique homini committerentur, unito etiam Parochiæ Beneficio S. Annæ in Wielenbach: sic tamen, ut Parochus duos Capellanos aleret; unum qui in civitate catecheses haberet vespertinas; alterum qui ad Parochiam Wielenbacensem procurandam excurreret. Nequid autem civitati decederet, sancitum fuit, ut Vicarius Parochiæ alternis vicibus Episcopo præsentaretur, primùm ab Abbate & Conventu Wessofontano, altera vice à civitate. Primus igitur ad officium Parochi à nobis præsentatus fuit R. D. Joannes Albelius, qui hactenus Prædicatoris munus gesserat, & deinceps gessit. Atque ita in hodiernum diem alterna inter monasterium & civitatem Parochi præsentatio perseverat. Acta hæc sunt & decreta anno 1600. die nonâ Sept.

7. Georgius autem Abbas, longiore regimine omnium judicio dignus, nono gestæ dignitatis anno, Christi verò millesimo sexcentesimo

 sexto

sexto iter universæ carnis ingressus est, haud dubiè largiora in cœlo laborum suorum præmia capturus.

(a) *Perperam in Tabulis à Radero allegatis vocatur hujus nominis secundus, cùm Benedictus I. ante B. Thientonem floruerit. Vid. suprà fol. fol. 62. & in fine seculi VIII. Benedictus II.* (b) *Rad. Bav. S. noviss. edit. Volum. II. fol. 274.* (c) *Hierarch. Aug. Parte I. Cathed. fol. 506. num. 5.*

§. III.

Miraculum S. Bennonis in fœmina Wessofontana.

8. ABbatis hujus tempore grande miraculum, Divi Bennonis intercessione operatus est Deus in muliere Wessofontana. Sanctissimi hujus Misnensis Antistitis sacras exuvias, Decessorum suorum exemplo, tutiorem in locum transferre desiderabat Joannes Haubizius ejusdem Ecclesiæ Episcopus, ne hæreticorum in Saxonia prævalentium ludibriis exponerentur, aut omnino pessumirent, omni cultu & reverentia destitutæ. Anxium Præsulem opportunè curis expedivit Albertus Bavariæ Dux, datis ad illum litteris sacrum Thesaurum sibi efflagitans, & tutum apud suos asylum spondens. Annò igitur 1576. corpus S. Bennonis aliæque ejusdem reliquiæ cum Diplomate Joannis Episcopi Monachium feliciter delatæ in loco privato Palatii Ducalis, interim tamen tuto, collocabantur: donec variis impedimentis moram injicientibus anno demum 1580. ad insignem Collegiatam Ecclesiam S. Mariæ maxima solemnitate deportarentur. Positæ primùm fuêre in ipso summo Altari Beatissimæ Virginis; verùm tanta fuit piorum accursio & frequentia ad Bennonis venerationem, ut necessarium fuerit easdem S. Reliquias aliam ad aram transferre, ne quotidiana Canonicorum officia impedimentum paterentur. Et statim neque magna nec multa defuêre exempla, quibus se Divus Hospes in supplices beneficum demonstraret: verùm ea *ob timendas hæreticorum & perfidorum calumnias diu jacuere suppressa: aliud tandem manifestum miraculum, quod anno 1601. cum fœmina, quæ afflicta erat pede, in ipsa Ecclesia contigit,* gloriam Bennonis *in lucem &* ampliorem *venerationem traxit. Miraculum hoc tale fuerat, ut omnes hujus conscii prælo ipsum committi urgerent, quod & externorum regnorum devotos cultores exciret.* Verba hæc sunt Relationis anno 1608. editæ, atque ad Hagiographos Antverpienses plures post annos, petente P. Godefrido Henschenio, transmissæ, qui ingenuè fatetur, Excellentissimo viro Corbiniano Prielmeyer (illi Congregatio-

gationis nostræ Benedictino-Bavaricæ promotori, Benefactori, & filio) se debere ampliorem de S. Bennonis cultu miraculisque notitiam.

9. Miraculum istud, cujus veritas tam manifesta, tam publica erat, diuturnum tandem silentium, quidquid contra calumniaretur Hæresis, rupit, ansámque præbuit integrum volumen idiomate germanico vulgandi miraculorum S. Bennonis. Illud, sicut ex interpretatione latina P. Francisci Halder S. J. Antverpienses exhibent (d) ita transscriptum recitabo.

Miracula Monachii patrata sæculo XVII.

Ex impressis Germanicis, Interprete P. Francisco Halder S. J.

Anno MDCI.

1. Agatha Obermayrin Wessofontana, XL. annos nata, proximis feriis Pentecostes subitò tam acerbos dolores in sinistra tibia sensit, ut diu noctúque quiescere numquam potuerit. Patrocinio deinde spectatorum hominum in Electorale nosocomium promota, XIV. hebdomadas ibi decubuit, fulcri adminiculo ægrè admodum incedens, dum tandem omnino ligneo pede, quem loris corpori alligabat, maxima tamen cum difficultate usa fuit. Et licèt medici in admovendis omnis generis medicamentis partes suas strenuè egerint, operam tamen omnem perdiderunt, ita paulatim excrescente tibia, ut secari, uri, pungi, sine ullo ægrotæ sensu, potuerit. Permisisset illa sibi pedem subter genu omnino abscindi, nisi medici illam ab hoc proposito dehortati, calidum balneum in proximam æstatem præscripsissent. Fortè circa diem D. D. Simoni, & Judæ sacram, extra nosocomium convivio adhibita, multa de S. Bennonis in morbidos prodigiis legi ex ejus historia audiit: unde illa miseriæ suæ admonita, cum lachrymis in cœlum manus sustulit, pollicita, se, quàm primùm liceret, sacrum in D. Bennonis honorem fieri curaturam ad aram sanctæ crucis, ubi diebus solennibus ejus Divi sacræ exuviæ populo spectandæ exhiberi solent, sperans se omnino D. Bennonis patrocinio à tanta calamitate posse liberari. Distulit illa hoc propositum in tertiam usque hebdomadem, licèt continuò, ut illud exequeretur, in somnis admoneretur. Quare XIX. Novembris anno MDCI. sacerdotem D. Leonardum Haner, qui eidem postera luce Sacrum legeret, con-

constituit. Manè confessa P. Carolo Leopold Societatis JEsu Concionatori & Theologo, in templo B. Virgini natæ sacro, cum aliis spectatis matronis, quas interesse voluerat, adfuit, & bis cum eisdem ad oblationem ligneo pede aram accessit. Cùm peracta oblatione in locum suum rediret, subitò, ceu deliquium pateretur, humi collapsa fuit; ubi esset, quid ageret, pœnè ignorans. Cùm tandem sublata, & in sellæ suæ locum perducta fuisset, ad se rediens, calorem quemdam in emortuo pede sensit, eodémque temporis momento ejus digitos commovere potuit. Præ gaudio deinde, vix sui compos, cultrum petiit, ruptisque lignei pedis vinculis, eóque abjecto, suis jam vestigiis aram accedens, ex Mystæ manibus sacram Synaxin sumpsit, corpore & anima, si unquam aliàs, sanissima. Hæc omnia sic gesta esse jurata dixit ipsa Agatha Obermayrin: idem testantur omnes medici proprio Chirographo, in quorum potestate fuit, & Anna Gaßnerin, Anna Kheprunnerin, Sybilla Gandnerin, & aliæ. Ad perpetuam rei memoriam etiam ligneum fulcrum ad D. Bennonis aram asservatur.

10. Miraculi hujus, utcunque prolixè pro dignitate sua relati, memoriam refricandam putavi in gratiam populi Wessofontani, qui singulis annis hodiedum solet pro felici messe ad eundem supplici agmine Vilgertshovium, locum trium ferè horarum itinere dissitum, proficisci, ubi in ara S. Udalrico sacra Divi quoque nostri effigies honoratur. Fit hæc supplicatio semper in ipso sancti Bennonis festo: in cujus Evergetæ honorem, alterum quoque beneficium referre ex eodem libro non piget. (e) Anno igitur 1618. Joannis Stadler Wessofontani quindecim annorum filius Petrus, ob tumorem oculorum à nativitate cœcus tres hebdomades lucem non aspexit. Cui tandem Divus Benno, voventibus pro filio parentibus peregrinationem & sacrum, pulso tumore visum dedit, vigesimo octavo Augusti. Quàm publicum & approbatum est hoc miraculum, tam certa sunt patris, & filii nomina, patria, ac pueri ætas; sic enim liber baptismalis Wessofontanus testatur: *Anno 1603. Joanni Stadler baptizavit Parochus masculum, cui nomen Petrus, Patrinus Joannes Denhart. Actum in profesto DD. Petri & Pauli.* Parochus autem tunc erat P. Joachimus Puechauer, postea Abbas S. Petri Salisburgi, ut ipse ad annum 1598. scribit, se in locum R. P. Georgii Vbelhör, 6. Junii electi Abbatis, Parochum successisse altero statim die, eodémque filiolam Christophori Schmuzer baptizasse."

(d) *Boll. ad diem 16. Jun. fol. 205. miraculo I.* (e) *Eod. die 16. Junii f. 228. mirac. 269.*

CAPUT

CAPUT V.

Gregorius II. Abbas L.

Unus hic Abbas dimidium ferè sæculum gubernando implevit, & licèt turbulentissimis temporibus vixerit, tam multa tamen gessit & tulit, ut ejus Acta in plura capita dividere debeamus.

§. I.

Gregorii Professio, & Electio.

1. A Benedicto III. Abbate ad S. Ordinem & monasterium nostrum susceptus, toto tyrocinii sui tempore tanta dedit virtutis, & ingenii sui specimina, ut superiores ejus summam de eo spem conciperent. Cùm igitur nihil in eo reprehensione, plurima laude digna invenirentur, solemnia vota Deo publicè vovit anno 1595. ipso assumptæ in cœlos Deiparæ festo. Novum ei nomen Abbas Benedictus imposuit, & Gregorium vocavit, tanquam præsentiens, hunc etiam magnum fore. Cognomento Gregorius Prugger vocabatur, sicut & epitaphium ejus exhibet: interim tamen, licèt in publicis libris sæpiùs vocetur Pontanus, id reverentiæ dignitatis, vel sermonis elegantiæ datum potiùs credam, quàm quòd vel Bohemus vel Italus natione fuerit, & clarissimis ac eruditissimis viris, Jacobo, aut Joviano, Pontanis cognatus. Gregorium omnibus ob præclara talenta gratum fuisse, inde colligo, quod vix duodecim à S. Professione annos emensus, suorum animos ita sibi devinxerit, ut eum in locum defuncti doctissimi Abbatis Georgii eligere Præsulem minimè dubitarent. Electus insignia sibi elegit marmoreum pontem, cui rota in medio posita insistebat, volubilitatis symbolum: ne videlicet quantalibet dignitate pollens humanarum rerum vicissitudinis oblivisceretur.

§. II.

Cultus Divinus promotus.

2. TEmporum illorum, quibus Gregorium præesse divina providentia voluit, iniquitas plurima nobis de Abbate tam longævo & celebri

monumenta invidit. Paucæ in tabulario chartæ, & opera in sacrario ejusdem nomine & signis relicta historiam nobis faciunt. Supersunt igitur duæ insignes statuæ, ex argento fusæ, prima Deiparæ Virginis, divinum puerum brachio gestantis: altera S. Sebastiani martyris ad arborem vincti, telisque confossi. His accedit tertia unius parvuli ex sanctis Innocentibus, qui manum clavâ, mortis suæ instrumento, fulcit. Huic eidem clavæ includi fecit Gregorius crusculum de illius infantis corpore, quod integrum olim ab Henrico III. Imperatore donatum possedimus. Verùm de eodem jam dudum in sæculo III. Wessofontano diximus. (a)

3. S. Maximini Episcopi Trevirensis ossa, primùm memorati Imperatoris donum, ad usque Gregorii Abbatis hujus tempora ligneis duobus brachiis eleganter pro ævo illo sculptis, depictisque servabantur. Abbas noster alia duo ex argento fieri cum basibus curavit, humani cubiti magnitudine: ossa sancti ex ligno in argentum transtulit: basibus reliquias vestimentorum ejusdem Divi, vel potiùs involucra sacrorum ossium, inclusit; nihil enim certum asserere veteris testimonii penuria permittit. Atque hæc omnia, à Gregorio sumptibus non exiguis parata, festis primariis in altari summo fidelium venerationi exponuntur.

4. Commodo sacerdotum & subjectarum Ecclesiarum plures calices Gregorius comparavit, quorúm in monasterio quosdam vidisse me memini; unum anno 1640. fabrefactum Ecclesia Mundrachingensis nostra hodiedum servat. Demum ut ipse Abbas majorem sibi pro divini honoris augmento libertatem pararet, sanctissimo Patri Paulo V. Pontifici supplex, facultatem & peculiare privilegium obtinuit consecrandi vasa sacra, altaria &c. Bulla hæc data est anno 1618. decimo sexto Calendas Augusti, nempe die decimo septimo Julii, Romæ ad S. Mariam Majorem.

(a) *Vide suprà fol. 101.*

§. III.

Cultus Deiparæ Virginis à Gregorio fotus, & propagatus.

1. Sicut prima & antiquissima monasterii nostri Ecclesia Deiparæ Virgini dedicata fuit, donec altera major, Divi Petri honoribus sacra, ædificaretur, ita hæreditarius quasi cultus in omnes ferè Abbates Wessofontanos pertransiit. Adalbero Abbas in templo post Hungaricam vastita-

ſtatem reſtaurato ſingularem aram, B. Waltho Abbas novum eide cellum poſuit, Albertus Abbas feſtivum Conceptionis ejus cultum ii duxit, Paulus II. Abbas vetuſtiſſimum illius ſacellum pulcherrima no te reparavit: alii aliis modis in hunc uſque diem cultum ejus ſummo ſt propagârunt. Et Gregorio quidem noſtro ad clavum ſedente, vole juvante, in ambarum civitatum ſecundùm ſanctiorem curam nobis ſ ctarum Parochiales Eccleſias Confraternitas ſacri Roſarii fuit introdu Landſpergæ quidem anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſim geſimo primo, Weilhemii verò trigeſimo, utroque in loco, poſt ex ab introductione hujus ſodalitatis centum annos, celebrato ſumma ſo nitate ſæculari Feſto, hodiernum in diem cœptus Deiparæ cultus no ſum egregiè floret, ſed magnis etiam incrementis augetur.

6. Diſtat duabus ferè leucis à monaſterio noſtro mons excelſu amœnus, latéque ſpectabilis, Peyſſenberg vocatus, ob vicum ejus n nis ad pedem illius ſitum. In hoc monte Deipara antiquam ſibi ſedem git, ex qua in omnes ad ſe fugientes gratiarum cœleſtium canales de ret. Cùm hoc loco Deipara miris in mortales beneficiis coruſcare in ret, fuit inter primos Abbas noſter, qui annuam populo Weſſofon ſupplicationem ad Peyſſenbergenſem Eccleſiam ſuaderet, & inſtituen dictaret. Inde Rottenſes, aliæque circum plebes, juri curæque nc ſubjectæ, adierunt, poſtea multò longinquiores ſecutæ, hodie a Parthenium hunc montem adeunt. Proceſſionem hanc Weſſobrun ſium inſtitutam fuiſſe legimus anno Chriſtiani ſæculi XVII. quadrage nono, cum P. Bernardus Gering, Gregorii hujus in præſulatu ſucce Parochiam Weſſofontanam adminiſtraret. Quod ad hunc annum à nardo annotatum non eò trahimus, ut tunc primùm conſuetudinem introductam, ſed prioribus jam annis cœptam, illo etiam tempore tinuatam dicamus.

7. Interea nova cultui Parthenio per noſtros propagando lux a ſit. Jam ſub Gregorio ejus nominis primo Abbate narravimus, à nc bus viris Wilhelmo, Joanne Sebaſtiano, & Chriſtophoro Vogtiis de dingen anno 1584. certis conditionibus venditas monaſterio noſtro f decimas Eccleſiæ Mundrachinganæ. Jam ante hanc annis multis ſte Eccleſia Vilgertshovenſis, quippe ſæculo undecimo dimidiam partem nata monaſterio ab Egilolfo nobili Laico, eadémque à Friderico Epiſc Curienſi Comite de Montfort anno 1284. indulgentiis fuerat illius ævi re locupletata. Stabat in ejus Altari parvulo, non conſecrato, ſcu effigies Deiparæ, filium è cruce depoſitum ſinu geſtantis. Eandem

hic inventam & antiquatam, sivè recens introductam, nova manus coloribus eleganter imbuit. Nescias, sculptoris, an pictoris artem magis commendes: ita ad excitandum intuentium dolorem facta est. Anno 1741. die 12. Septembris deprehendimus in ejusdem basi descriptas has notas: N. 1618. A. Pictoris nomen per litteras innui credatur, an sculptoris, vel etiam donatoris? dubium relinquimus. Interim certum est, ad ejusdem imaginis similitudinem proximo statim anno Georgium Berthold colonum Mundrachinganum novam procurâsse, & in sacello novo, extra vicum suum propriis impensis ædificato, eandem collocâsse.

8. Accepi ab ipsis coloni hujus Bertholdi posteris, qui hodie supersunt, cùm vicariam loci Parocho operam præstarem, eundem Georgium à Dolorosa matre nostra in somnis fuisse monitum, ut lapidem grandem in Lyci fluminis ripa jacentem (huic enim vicus ille proximus adjacet) inde tolleret, ad vicum deferret, ibidémque sibi sacellum exstrueret. Dubitans somnium inter & oraculum colonus descendit ad flumen, lapidem invenit, sed prægrandem, & ne multis quidem viribus mobilem. Somnium ergo contemnit. Ast iteratò monitus facere, quæ posset, molitur lapidem, spe sua leviorem sentit, vicum versùs devolvit. At lapis in eodem, quo nunc sacellum stat, loco nativam gravitatem recipit, moveri nulla vi ulteriùs nequit. Quare Georgius jam convictus anno 1619. sacellum ædificat, eo maximè consilio, ut, qui ex Suevia Lycum transmittentes in diversa Bavariæ loca piè peregrinari vellent, haberent, ubi respirarent, & dolorosam Matrem in primo Bavariæ limine salutarent. Neque parca in illo etiam loco Deipara erga suos cultores fuit; habemus enim libellum coævum, in quo annotata inveniuntur plura beneficia, ab illo jam tempore supplicantibus collata.

9. Ast postquam Issingensis Ecclesia cum Vilgertshovensi Paulo II. Abbate, Achselschwangensem jam pridem Diessensibus cedente, in jus nostrum transiit, Vilgertshovensis hæc indies celebrior fiebat, & frequentiùs à vicinis agricolis in ea visitabatur & colebatur dolorosa DEI Mater, atque inde sacræ ad hunc locum peregrinationis fundamenta sunt jacta, de quibus alibi amplior loquendi campus aperietur. (b) Interim hæc de cultûs Mariani propagatione prælibâsse sit satis.

(b) *Infra sub Leonardo III. Abbate LIII.*

§. IV.

§. IV.

Studium promovendi scientias, in Reipublicæ emolumentum.

10. Ægrè ferebat Gregorius, avelli à se Joachimum Puechauer, decessoribus suis tam charum, monasterio tam utilem, suúmque antea Priorem discretione & prudentiâ spectatissimum. Verùm cùm urgerent Archiepiscopi Salisburgensis epistolæ, ut eundem monasterio S. Petri Salisburgensi Administratorem concederet, hæque Serenissimi Bavariæ Ducis assensu & voluntate niterentur, reniti ausus non est. Quocunque animi dolore virum de monasteriô nostrô meritissimum, cuique ipse præ se mitram imponendam arbitraretur, dimisit: verùm quamcumque animi ægritudinem felicior eventus lenivit.

11. Vix Joachimus antiquissimi illius, ac olim Cathedralis monasterii administrationem susceperat (id anno 1615. mense Majo contigit) ita dexterè felicitérque rem gessit, ut eodem anno Religiosi per supplicem libellum Archiepiscopo oblatum peterent, illum in Abbatem sibi dari confirmarique. Confirmatus, & consecratus est ejusdem anni mense Decembri. Proximo deinde anno cùm Celsissimus Princeps conquiescere nollet, nisi publicum Lyceum à se erectum cerneret, ejúsque curam Benedictinis committere statuisset; selectus est tanti negotii gerendi administer & dux Joachimus. Hujus dexteritate factum, ut anno 1617. jam scholæ aperirentur; sicut inferiùs in reliquis Joachimi actis referemus. Summa rei devoluta erat ad Abbates, quorum consilia ad sustentandum docendi laborem, & Lycei vigorem, per litteratos monachos ex cœnobiis subministratos, semper conservandum magno studio agitabantur: demum & confecta sunt omnia, dum anno 1618. 8. die Octobris triginta tres Bavariæ & Suevlæ Præsules publico instrumento operam suam Archiepiscopo addixerunt: inter hos octavus subscripsit Gregorius Abbas Wessofontanus.

12. Dum hæc Abbatum studia ad propagandam rem litterariam fervent, ipse Celsissimus Marcus Sitticus, unicum & firmissimum novi Lycei columen, fato eripitur, quo Parnassus noster simul contremuit. Verùm abstulit omnem metum electio Celsissimi Paridis Lodronii, & omnium Præsulum animos erexit. Anno 1619. restaurari eorum fœdus

 voluit,

voluit, & ex eis Præsidem Lycei, ac Provinciarum Assistentes jussit, aliáque statuere, quibus res litteraria Salisburgi stabiliretur. Eodem igitur anno Conventus Abbatum in monasterio SS. Udalrici & Afræ celebrandus Augustam Vindelicorum indictus est: venerunt sex Abbates, cæterorum verò Procuratores, cum facultate in præsentes Reverendissimos Præsules circa rerum summam compromittendi. Abbas noster Gregorius, seu valetudini metuens, seu studium suum dissimulans, & inter capita censeri refugiens, in hoc conventu ipse quidem non comparuit, misit tamen P. Carolum Baader Cellarium, virum prudentem & eruditum, per eúmque decretis subscripsit. Satis Abbas noster studium pro Lyceo, quod fovebat, comprobavit, dum primo scholarum initio de monachis suis Salisburgum misit F. Adamum Blasium, Philosophicis disciplinis erudiendum, ex quibus is haustæ scientiæ monumentum defensis anno 1619. publicis Thesibus statuit.

13. Cùm postea Lyceum Salisburgense per Celsissimum Paridem Archiepiscopum in Academiæ formam fuisset erectum, & Universitatum cæterarum privilegiis Pontificia Cæsareáque authoritate munitum, novo zelo exarsit Gregorius. P. Thomam Ringmayr Monachum Wessofontanum 1626. Salisburgum misit, futurum Philosophiæ, & biennio post etiam Theologiæ Professorem. Anno 1628. die 25. Novembris P. Romanum Steigmayer, itidem Wessofontanum Monachum, supremâ SS. Theologiæ laureâ insigniri fecit: de quo conceptas spes equidem præmatura mors sepelivit; alter autem, nempe Thomas Ringmayr, diuturna doctione in annos viginti sex continuata, Romani silentium compensavit. Verùm tam Joachimi Abbatis, quàm Thomæ Ringmayeri acta singulis articulis dabimus.

§. V.

Acta promiscua Gregorii Abbatis, & comparatio Hofmarchiæ Isseldorffensis.

14. ANno 1610. jussu Celsissimi Principis & Episcopi Augustani Henrici à Knöringen ad Synodum Diœcesanam celebrandam convocati fuêre omnes Ecclesiastici status superiores, quacunque dignitate fulgentes. Inter Abbates Benedictinos, qui omnes comparuerunt, septimus numerabatur Gregorius Abbas Wessofontanus. Synodus

dus cœpta fuit eodem anno die tertiâ mensis Octobris, quæ fuit Dominica. Initium dedit ipse Celsissimus celebrato in Ecclesia Cathedrali summo officio: die Lunæ id ipsum decantavit Abbas SS. Udalrici & Afræ: die Martis Abbas Elchinganus. Proximo Sabbato finita est synodus, & mandata Synodalia, deinceps typis mandata. Superfluum foret omnia synodi acta per ordinem recensere, cùm in *Hierarchia Augustana*, (c) necnon ab A. R. P. Josepho Biner S. J. in *Apparatu suo Eruditionis ad jurisprudentiam præsertim ecclesiasticam*, Augustanis typis nuper edito (d), per plures paginas diffusè recenseantur.

15. Anno 1617. Ægidius Albertinus Serenissimo Bavariæ Duci à secretis Sermones Eucharisticos Petri Bessæi è Gallico idiomate in Germanicum translatos dedicavit Gregorio Pontano Abbati Wessofontano. „ Profitetur in Epistolâ nuncupatoria, non sibi soli, sed omnibus notum „ esse, quo fervore & zelo ad promovendam religionem, devotionem, „ & honoris divini augmentum incumbat: quàm insignem disciplinam „ in commisso sibi celeberrimo monasterio foveat, eósque viros efformet, qui digni fierent ad exterorum quoque monasteriorum gubernacula postulari. „ Nempe Joachimum nostrum, biennio abhinc S. Petri Salisburgensis Abbatem postulatum indicat. Facta est dedicatio die 24. Septembris anno 1617.

16. Anno 1628. pro Joanne nuper defuncto novus in monasterio Benedictoburano Abbas erat eligendus. Mense Majo conspirantibus omnium Religiosorum votis in Abbatem electus est Waldramus, qui hucusque Parochiam Benedictoburanam summa dexteritate regendo summam de se spem excitaverat. Hanc electionem Abbas noster Gregorius Pontanus promulgavit, & Henricus Episcopus confirmavit. Hujus nomine ad nos & Benedictoburam venit Petrus Proëpiscopus Augustanus, cùm pauculis antehac diebus post pestem Augustæ cessantem Augustanis indigenis venia ab Electore nostro facta esset in Bojariam veniendi: eodem tempore vicus Peissenbergensis, Præfecturæ Rauchenlechspergensis, & solitarius locus Luberzriedensis, Præfecturæ Weilheimensis, ob luem interdicti essent.

17. Circa annum 1639. Domini de Höchenkirchen per varios casus & calamitates in eam prolapsi fuerant egestatem, ut cogerentur monasterio Benedictoburano Hofmarchiam suam vendere. Bello Suecico communem rem, & horum nobilium facultates magis attenuante; eò ventum est, ut alteram quoque Hofmarchiam, videlicet Iffeldorffensem Ferdinan-

dinan-

dinando Mariæ Electori commendarent, emptoribus offerendam. Recusaverat Abbas Benedictoburanus; recusaverant alii pro illorum temporum difficultate: cùm ad Gregorium nostrum venitur. Hic maximè se urgeri videns, ac præterea ob promptiorem piscium copiam locum monasterio utilem fore considerans, emptionem in se recepit. Atque ita Hofmarchia hæc monasterio subjecta fuit. De antiqua Iffeldorffensium Dynastarum nobilitate copiosè diximus, cùm de Udalrico V. hujus nominis, Abbate XXXII. ageremus. Postremi hujus arcis possessores erant Wolfgangus Bernardus, & filius ejus Wolfgangus Carolus de Höchenkirchen. Bernardi sororem aut amitam, Annam de Hochenkirchen, Melchiori Vogt de Vinding nuptam invenio, maritóque anno adhuc 1584. superstitem. Invenio etiam circa idem tempus Wolfgangum Josephum de Höhenkirchen, qui litem habens cum venatoribus Terringanis, tandem jus venandi prope Tisslingam evicit. Stabat nobilium arx edito loco, ex quo largus in subjectos lacus prospectus patebat. Suecorum furore excisæ vix rudera hodie supersunt.

18. Quantum ad Ecclesiæ Iffeldorffensis curam attinet, jus præsentandi Parochum ad nostram usque memoriam erat ipsius Celsissimi Episcopi Augustani, qui & Advocatos antiquo more constituebat. Legimus à Joanne ex Comitibus de Werdenberg Episcopo titulum Advocati super hanc Ecclesiam 1470. concessum fuisse nobili viro Joanni Preysing de Wolnzach: qui tamen titulus postea exolevit. Novissimis his temporibus Serenissimus Dominus Alexander Sigismundus, Comes Palatinus Rheni, Episcopus Augustanus, jus præsentandi viâ permutationis monasterio nostro concessit, cùm facultate Religiosum ex nostris Parochiæ præficiendi: contra verò dimisimus, Celsissimóque cessimus duo jura præsentandi ad Ecclesias Purggensem S. Andreæ, & Oberfiningensem S. Crucis, quarum Pastores pleno decimandi jure potiuntur. Interim, præter propiorem curam piscationum, venationum, lignationum Iffeldorffensium, multò æstimabilior nobis thesaurus cum Parochiæ administratione in manus venit; cura nimirum celeberrimi Sacelli prope Iffeldorffium. Colitur in eo Virgo Deipara, atque, ùt à plurimis fidelibus religiosissimè visitur, ita maximis in afflictos collatis beneficiis clarescit. Verùm de hoc Parthenii cultûs seminario loquendi largior nobis campus sub Thassilone Abbate pandetur.

(c) *Hier. Aug. P. I. Cathed. à fol. 400.* (d) *Part. VII. lib. I. Cap. IV. Art. II.*

§. VI.

§. VI.

Famis, pestis, belli calamitates, quibus Gregorii virtus tentata est.

19. QUibus ira Dei calamitatibus Germaniam universam, præcipuè Bojariam nostram flagellavit, eæ nunquam in hanc diem satis ab ullo authore descriptæ sunt. Singularium provinciarum & civitatum ærumnas qui posteritati mandârint, plures sunt. Ego ex Benedictoburanis, Landspergensibus, & nostris Monumentis paucula producam. Prodromus malorum omnium Cometa fuit, qui anno Domini 1618. Sueviam & Bavariam diu terrore concussit. Permanavit Romam usque, & septem ejus colles tremefecit virgæ cælestis nuncius. Quare Urbanus VIII. summus Pontifex pœnitentiam prædicari jussit, & magnum Jubilæum promulgavit. Secuta est Cometam intolerabilis annonæ caritas, per quam frumenti pretium ita increverat, ut unica speltæ scapha viliùs centum florenis emi non potuerit. Accessit Judæorum perfidia, & cùm homines vasa aurea, argentea, cuprea certatim venderent, falsis illi monetis miseros decipiunt, & calamitatem exacuunt.

20. Hanc annonæ caritatem pestis excepit, quam prodidêre in corporibus rubicunda primùm signa, deinde rabies quædam, qua impulsi capita parietibus illidebant. Multi vix ægrotare visi, repente mortui sunt: in viis publicis inveniebantur passim cadavera. Circa Landspergam una sæpè nocte septem vel octo funera in paratas ingentes scrobes dejiciebantur. Longum esset civium terrorem & miseriam enarrare.

21. Anno 1631. Ferdinando Imperatore & Maximiliano Electore nostro subditas sibi provincias veneno hæretico passim tum laborantes, tum periclitantes, repurgare nitentibus, liberæ Imperii civitates jam novæ sectæ dulcore captæ Gustavum Adolphum Suecorum Regem libertatis suæ vindicem implorant. Ille fulguris instar in Germaniam erupit: præit ipsum ubique fuga, Bojorum maximè in montana sese recipientium. Elector noster ad bellum se parat: omnis juventus, vicenos annos nata, civium æquè ac colonorum, ad arma rapiebatur: Landspergenses, viri æque ac fœminæ, aggeres struere, fossas aperire, compellebantur: ingens suggestus à monte Sandaviensi ad usque clivum Pöllingensem ducebatur, ædibus, hortis, agris igne manùque vastatis.

22. Proximo anno 1632. die 5. Maji recepti in civitatem Augustanam Gustavi rumor increbuit, quem mox secutus Tubicen Suecicus deditionem civitatis postulat. Admissus hostilis Tribunus copias secum adductas dimittit, paucis in præsidio relictis, quorum otia varias ad agendas prædas excursiones fallebant. Quietem suam cives florenorum octo millibus emere jubebantur. Præstita jam solutione, cùm rumor novus ingrueret, Cæsarianas legiones in vicino esse, Sueci prædari in civitate incipiunt, mox verò, excubias fuisse à Croatis captas moniti, qua data porta, in fugam præcipites effunduntur.

23. Breve, imò calamitosum hoc gaudium civibus fuit. Vix paululùm Landspergæ morati Croatæ fuerant, cùm Dux eorum Krazius tubâ nunciari civibus jussit, denuò imminere Suecos, urbem defendi non posse: fugerent igitur, & optima quæque efferrent. Egressos ita cives Croatæ invadunt & spoliant: ipsi fugiunt: post octiduum Sueci revertuntur, ferrúmque & ignem minitati intra muros recipiuntur: nemo autem, ne sacerdotes quidem, à tributis eximebatur. Equidem Lutheranus præco in Curia prædicabat, Parochus tamen Catholicus in Parochiali Ecclesia concionabatur. Dux Suecorum Codizkius cives ad muniendam urbem compellebat. Vastabantur iterum, quæcunque labori obstabant.

24. Cùm hæc calamitas tres septimannas & dies quinque durasset, Otto Henricus Fuggerus 16. Augusti cum Cæsarianis deditionem petit, & ne ignem expectent, hortatur. Suecus in urbe dominus milites suos necessario ad defensionem apparatu instruit. Cives perdiu ad muros excubare jussi, noctu templo includebantur, nequid moverent. Fuggerus ignitis globis per biduum injectis Suecos ad pacta compellit: quibus indicto solutóque lytro dimissis ipse ingreditur die 18. Augusti. Acerbius hoc Suecis vulnus erat, quàm ut facilè coiret. Quare Bernardus Dux Weinmarius 27. Octobris civitatem obsessurus revertitur. Resistitur aliquamdiu: ad cives ipsi Fuggero supplices deditionem petunt certis legibus faciendam, ut videlicet populo & urbi ab incendio, cæde, rapinis paceretur. Admissus omnia promissis contraria egit: rebus spoliavit, cives exactionibus cum omni facultate majoribus afflixit, operibus bellicis perpetuo oneravit.

25. Tribus septimannis elapsis die 18. Decembris Fuggerus redit, tormentis civitatem quatit: at Suecis pertinaciter resistentibus, aut dolo aut metu suppetiarum hostilium, eadem nocte recedit. At 28. Decembris

bris majore virorum exercitu fultus revertitur, cogitque Suecos, vitæ solius veniam pactos, ad deditionem. Licuit sic tandem civitati quiescere usque in annum 1633. cùm exercitus Imperii Catholicus prope Monachium hæreret in tentoriis, & omnia Landspergæ tuta viderentur. Medio Aprili mense subitò Dorstensonius Suecorum Dux deditionem Landspergæ postulat, non impetrat à civibus suppetiarum spe ab exercitu fretis. Coloni æque ac cives in armis erant, cúmque hostes quinque diebus muros tormentis, civitatem pyrobolis vexarent, perstitère immobiles. Nihil enim damni ab hostibus passi erant: imò sic animis insurrexerant, ut erumpere etiam in castra auderent: quo impetu dormientes obruunt, multos trucidant, atque inter eos Vigiliarum Præfectum; viros duos nobiles in urbem captos reducunt, tormentum etiam bellicum obturant.

26. Hostis ita exacerbatus, obtentis suppetiis, denuo deditionem petit, discordibus civium studiis: ebriosus quidam & solum se sapere ratus, ponere arma, urbémque dedere persuasit. Verùm priusquam descenderetur ad pacta, media nocte Suecus irrupit, promiscuè cives & colonos in muris positos cædit, obvios quosque linguâ, oculis, auribus, digitis privat: & erant hæc mitiora. Cruciabantur igne multi, nudis corporibus pulvere pyrio respersis, faucibúsque eodem fartis incensi. Lacunarum sordes per infundibulum cogebantur in ventrem, qui militum insultu calcatus hausta reddere cogebatur: & hanc *potionem Sueticam* nuncupabant. Multis frons & cerebrum fune circum contorto rumpebantur. Virgines non paucæ vitam sibi extorqueri, quàm castitatem, maluerunt, dignæ, quas Vates Alsata immortali carmine commendaret. Ecclesia Parochialis multis vix precibus incendium evasit: profanata tamen est sacrilegè, tabernaculum effractum, sacræ hostiæ humi effusæ, pedibus calcatæ: Reliquiæ sanctorum dispersæ, altarium & sacrarii ornamenta militibus in stipendium cessère, altaria pretiosa avehebantur, imagines minùs artificiosæ destruebantur, in frusta scindebantur. Vindictæ divinæ documentum fuit, cùm duorum militum, aram Deiparæ spoliantium, alter confossus, alter gulam fractus interiit. Quantis calamitatibus pressum fuerit Societatis JEsu Collegium, ejúsque Patres, etsi miseri multi eorum misericordiâ vixerint, precibus acerbiora fata evaserint, Historia provinciæ luculentiùs prodet. Sueci tandem crudelitatis saturi, pagum pro urbe reliquerunt.

27. A Majo usque ad Septembre res ità inter Principes erat composita, ut neutra pars in urbem admitteretur. Venit exercitus Cæsareus, qui transitu perhiberi non potuit. In festo S. Michaelis successit Sperreutherus Suecorum Dux, biduo actis spoliis lytrum exigit, obsides abducit, duos etiam Collegii Sacerdotes, quorum ærumnas & liberationem Historia Provinciæ pandet. Tredecim postea annis tranquillè peractis Landsperga denuò à turmis Sueco - Gallicis (fœdus enim inierant) obruitur anno 1646. medio Septembri. Procul tunc aberant copiæ Imperii. In civitate præsidium parvum. Civibus pugnandi nulla voluptas. Pactis agunt, hostémque recipiunt. Fatendum, Gallorum mansuetudine temperatum fuisse Borealium rigorem. Magna tamen pecorum strages fuit in alimoniam præsidii impensa: donec tandem medio Octobri discedendi consilium cepêre, audierant enim jam exercitum Cæsareum imminere. Interea Augustam profecti hostes, cùm repulsam passi essent, irâ concitati Lanspergam revertuntur: ac tardè tandem, post acrem pugnam, conditionibus statis, admittuntur. Et initio quidem ordine omnia gerebantur: at succedentibus pluribus copiis nullum imperium attendebatur. Solutis legibus miles ruebat in prædam, strictis gladiis exigebatur aut æs aut sanguis: vi perfringebantur omnia, defossa quoque eruebantur: ubi nil invenissent, patresfamilias cruciatibus urgebantur, ut proderent. Inde tanta fames in urbe, ut quotidie quindecim ferè homines morerentur, aliqui etiam in plateis deficerent. Duces Galli fuere subsidio: nam & Collegium tuebantur, & ex eo alimenta hostibus æquè, ac amicis, præbebant: Sacerdotes & honestiores civitatis viros in Collegium receperunt.

28. Ac jam ærumnarum saturi hostes tandem civitate relicta Monachium versus movêre, verùm infelici successu: quare repulsi flammis vicos latè vastabant, ut & mœnia collucerent & turres. Redierunt ergo, & ultimum furorem prædando explentes in Sueviam erupêre, Syndico civitatis & duobus Senatorii ordinis in obsides abductis.

29. Anno 1647. Maximilianus Elector privatas inducias, ulteriori desolationi occurrens, cum Sueco - Gallis est pactus: ut hi spoliis abstinerent, stipendiis à colono præstitis viverent. Difficillimum id accidit Benedictoburanis, quorum subditi in Weilheimensi & Landspergensi districtu plerique jam expilati essent. Facilè erit conjicere, quid Wessofontanis animi fuerit, quibus multò vicinior ardebat Ucalegon. At anno proximo in pejus acta Bojorum fortuna est. Irruentes Sueci omnem sibi cisœnanam provinciam subegêre, ut ipse Elector Salisburgum se recipere

cipere cogeretur: timor ubique & fuga, prædæ & rapinæ. Neque DEO honor suus incolumis fuit; nam ut domestica solùm commemorem, Bernardo Geringio tunc Parocho teste, apud Wessonis Fontes divina officia ipsâ Dominicâ Palmarum Suecorum irruptione fuêre interrupta. Tertio Maji, quo S. Crucis inventio celebratur, ejusdem diei religio impedita est, colonis in latebras fugientibus. Eadem calamitas sacros Rogationum dies, feriam tertiam & quartam, funestavit. Atrespexit tandem DEUS miserorum suspiria, & respirare à tot ærumnis concessit, cùm Monasterii Westphaliæ civitate pax inter Imperatorem & Catholicos Principes ex una, Gallos & Suecos ex altera parte sancita est.

§. VII.

Obitus Gregorii Abbatis.

MIrum sanè fuit Abbatem unum tot ærumnis perferendis potuisse sufficere, quæ pares erant pluribus enecandis. Proximus nos telorum hostilium scopus eramus; non intermisit tamen Gregorius divini cultûs ornamenta parare, monasterium prædiis augere, litteras & scientias promovere, fovere disciplinam. Id patet ex viris insignibus, quos Universitati tum doctores, tum discipulos dedit: Ecclesiis pastores, cùm parochias Tettenschvvangensem & Issingensem Religiosi nostri curarent. Excesserat jam Abbas quinquagesimum sacræ Professionis, quinquagesimum sacerdotii annum: biennium deerat, ut quinquagesimum Prælaturæ attingeret, futurus ter Jubilæus, Monachus, Sacerdos & Abbas. At Gregorius laborum fessus ad capiendam mercedem denique evocatus fuit anno MDCLV. vigesimâ secundâ Aprilis. Præcipua illius monumenta sunt restauratum S. Petri Salisburgense monasterium per Joachimum Abbatem: adjuta curis & viris Salisburgensis Universitas: comparata monasterio Toparchia Iffeldorffensis. Epitaphium non tantis meritis, sed acerbitati temporis congruum, accepit in sinistra templi porticu mediocri saxo his verbis incisum, muróque insertum: *Gregorius Prugger 30. Abbas, Electus 1607. die 7. Martii. Præfuit annis 48. cum duobus mensibus. Obiit anno 1655. die 22. Aprilis.*



CAPUT VI.

De Monachis bene meritis sub Gregorio II.

§. I.

Vita Joachimi Abbatis Salisburgensis.

1. NAtus est Joachimus Puechauer in superiore Bavaria Rauchenlechspergæ, seu, si latinè velis, ad asperum Lyci montem, ubi castrum est pervetustum, prætore & dicasterio instructum, quod tamen quoad graviorum criminum supplicia subjectum est Prætori provinciali Landspergæ residenti. Parens Joachimo loci Dicographus fuisse videtur, quod ex characteris elegantia conjectamus, quam filius per omnia scripta exhibet. Porrò Puechauerorum familia hodie adhuc per eam viciniam viget, & monasterio Cremifanensi 1644. Abbatem dedit Placidum Puechaur optimè de monasterio & re litteraria meritum. (a)

2. Joachimus, cùm habile ad imbibendas artes ingenium proderet, à parentibus studiorum causâ Dilingam est missus, ubi præclarè proficiens totum Philosophiæ cursum absolvit, haud dubiè ad Jurisprudentiæ disciplinam ex parentis voluntate transiturus, nisi divino instinctu agitatus sibi potiùs ipsi jus dicere, alienóque subesse judicio, & S. Religionem amplecti in Ordine Divi Benedicti decrevisset, Theologicis deinde studiis aliquanto tempore addictus. Palæstram seu dicasterium potiùs, cui subesset, & spiritualis militiæ Rudimenta caperet, elegit monasterium Wessofontanum, duabus horis ab arce natali dissitum, ac eodem, quo cœperat, fervore sacrum Tyrocinium emensus, sub Gregorio Jacobio Abbate anno Domini 1588. die 14. Augusti solemnia vota nuncupavit. Anno 1589. Gregorio ejus nominis primo Abbati, optimè merito, successit Benedictus, eo nomine inter Abbates III. cognomento Schwarz, qui Joachimum sacræ supellectilis custodem constituit, statimque in novello monacho virilem industriam est expertus; scripsit enim Joachimus librum, vernaculo quidem idiomate, ad æredituorum nempe usum, quo accuratissimè Ecclesiasticum apparatum in singula mobilia & immobilia per annum festa designat, ad minutias usque descendens: quo in opere tam excitatum & hilarem in agendis animum, quàm judicium prom-

promptum, & perspicax ingenium prodit. Varia ex eo libro ad historiam nostram accommoda decerpsimus.

3. Non diu distulit Benedictus Abbas Joachimum amplioribus officiis adhibere, cujus prudentiam & dexteritatem perspexerat. Cellarii primum vices, quo nomine S. Benedictus Oeconomum & Promumcondum appellat, eidem injunxit, nec deinceps ademit. Videns enim res temporaneas sic ab illo administrari, ut & ob regularem observantiam, & ob rerum gerendarum dexteritatem ac sollicitudinem Deo acceptus esset & hominibus, elapsis aliquot annis Priorem Joachimum constituit, talemque, anno 1598. piè defunctus monasterio reliquit. Electus in Benedicti locum Georgius Yblhör Abbas Wessofontanus, Joachimum, quocum curas divideret, neminem aptiorem existimans, in Prioris Officio stabilivit, simúlque in suprema œconomiæ procuratione. Quo tempore quanto religiosæ disciplinæ augmento laboraverit Joachimus, scriptum ipsius manu syntagma ostendit, quo amplexus est antiquiores ordinis nostri reformationes, visitationes, Recessus, qui jam legi sine difficultate non poterant, *charactere legibili*, ut ipse ait, ego autem, pereleganti: qualis illo tempore in usum venire cœperat.

4. His, jussu Georgii Abbatis accuratè peractis, & disciplinâ monasticâ optimè constitutâ, Georgio successit anno 1607. Gregorius hujus nominis II. cognomento Pontanus, sub cujus regimine Joachimus noster mansit idem, qui pridem; emeritus jam Cellerarius, veteranus Prior. Magnum singularis prudentiæ & mansuetudinis argumentum, sub tertio jam Abbate eundem Priorem ita se gerere, ut non satisfaceret solùm omnibus, sed etiam clarissimus esset, & diu exoptabilis. Neque intra claustrum hæsit Joachimi fama: per hospites diversorum Ordinum latè didita, Salisburgum usque penetravit. Quam ego rem, & deinceps gesta non meis, sed alienis diversorum authorum potiùs verbis exhibere, quàm propriis, malim.

5. Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo quinto, die 23. Aprilis Salisburgi obierat Reverendissimus D. Martinus Hättinger, ex monasterio S. Petri, antea postulatus Abbas Michaëlburanus, anno verò 1584. ad proprium monasterium & Abbatiam revocatus, quam, per annos triginta & suprà, laudatissimè administravit. Reliquerat is è vivis abiens monasterium S. Petri omni rerum abundantia instructum, præterquam religiosorum, quorum numerus jam ad tredecim defluxerat viros, eósque vel senio graves, vel litterarum studiis leviter tinctos. (b)

Ideo

Ideò Illustrissimo Principi Marco Sittico, antiquissimi monasterii, unde ipsa Episcopalis Cathedra originem traxerat, miserato, cogitatio subiit de circumspiciendo viro, qui & Religiosorum cœtum augeret, & novum eruditionis seminarium plantaret. Florebat tunc temporis Salisburgi primarios inter cives Hieronymus Reitter, Wessofontio oriundus, atque rerum nostri monasterij apprimè conscius. Eo authore Archiepiscopus Joachimum nostrum accersivit, ac ægro quamvis Abbatis Gregorii assensu, obtentum viduato S. Petri cœnobio Administratorem præfecit. Haud æquis oculis initio aspexêre monachi externum hominem cervicibus suis impositum. Verùm viri suavitate & prudentia intra breve tempus capti, jam ultro illum sibi Abbatem præfici ab Archiepiscopo postulârunt. Unde eodem, quo decessor Martinus obierat anno, Kalendis Decembribus ab Ernfrido Küenburgico, Chiemensi Episcopo, confirmatus, postea tertiâ Dominicâ Adventûs in Divi Petri Ecclesia ab eodem Abbatiali fuit benedictione initiatus.

6. Ut finem, cujus causâ vocatus venerat, Joachimus assequeretur, complures statim lectioris indolis tyrones in monasterium recepit, aliquos etiam altioribus studiis imbuendos Dilingam misit, ubi jam anno 1554. Cardinalis Othonis Episcopi Augustani operâ seminarium in Academiam erectum, hæc verò deinceps gubernanda Patribus Societatis Jesu commissa quotidianis incrementis clarescebat. Verùm paulò post optatior sese opportunitas ardentibus Joachimi studiis obtulit, quam mox referimus.

7. Jam pridem Celsissimi Principes Salisburgenses de scholis publicis ac seminario Clericorum cogitaverant, unde sumptos Ecclesiasticos viros subrepenti in Provinciam hæresi opponerent. Ter omnino invitati fuerant Patres Societatis, qui id operis promoverent, consilioque saluberrimo adjutrices manus porrigerent. Primum anno 1564. à Joanne Jacobo Kuenio, datis ad P. Jacobum Lainium Societatis Generalem litteris: dein 1577. ab eodem Principe rem impensiùs urgente: demum cùm RR. PP. Franciscani cœptam juventutis erudiendæ curam abrupissent, quòd viros huic aptos muneri ad ordinis proprii officia necessitas avocaret: & oblatam sibi dictionem RR. quoque PP. Eremitæ Augustiniani recusâssent, anno 1612. à Marco Sittico magna denuo contentione sunt vocati. Verùm cur Religiosissimi Societatis Patres Spartam hanc detrectarent, causæ intercessêre, tam instituti sui zelo honorificæ, quàm relinquentibus non pœnitendæ. (d)

8. Prin-

8. Princeps tot repulsarum fessus, atque consilii dubius, P. Sylverium à Capucinorum familia virum prudentia & pietate insignem, cujus colloquio sæpiùs utebatur, aliquando interrogat, num aliæ adhuc fores superessent, quæ non irritò tentari possent. Is ordinem S. Benedicti commendare, & prompta ex eo litteratorum subsidia promittere, Principis desuper dubitationes dissolvere, Joachimum Divi Petri Abbatem negotii gerendi ministrum suggerere. Hic delato ad se Principis consilio attonitus primum, cùm dein deliberandi spatium petiisset, non solùm toti sacro ordini, sed suo quoque monasterio plurimùm commodandi occasione gavisus, omnem opem, operámque Principi addixit. *Nec verò alius quisquam ad id consilii plus afferre opportunitatis poterat. Vir erat eximia eruditione ac doctrina, & qui studia litterarum in amore, atque in pretio maximo haberet.* (e) Acceptis itaque ab Archiepiscopo ad S. ordinis nostri Abbates litteris anno 1616. comite Hieronymo Reitter superiùs laudato, sub veris initium Joachimus proficiscitur, varios ex itinere Abbates ad operam conferendam invitavit, varia, in re insperata atque difficili, responsa accepit, ambigua pleraque, ac sollicitudine plena: donec dubiam Joachimi spem erexit Gregorius Ottoburanus Abbas, occasionem illustrandi sacri ordinis, tanquam divinitùs datam, utraque manu amplexus, cujus recreatus promissis, lætus Joachimus Salisburgum rediens Celsissimum Principem de negotio gesto reddidit certiorem. Proximo dein anno cùm urgeret Archiepiscopi desiderium, repetitis nuntiis operariorum adventum urgentis, sub autumni principia advenêre sex Benedictini ex uno monasterio Ottoburano, septimus ex Ursinensi. Actum protinus de Collegii fundatione, cujus literæ statim confectæ, & 20. Sept. ejusdem anni ab Archiepiscopo, Decano, Episcopo Chiemensi, Abbate, & Priore S. Petri subscriptæ sunt. Ac Joachimus quidem in novi operis progressum toto animo intentus, Professoribus advenis, quousque loco designato habitationem acciperent, in suo monasterio liberale hospitium, discipulis scholarum spatia præbuit. Fusiùs hæc referunt Clarissimi viri Josephus, Franciscus & Paulus Mezger San-Petrenses, Marcus Hansizius & Franc. Xaverius Kropf S. J. ille Germaniæ sacræ tomo 2. hic verò Historiæ Provinciæ German. superioris parte 4. decade 8.

9. Quanta exin Joachimi fama non Salisburgum solùm impleverit, sed ad exteros quoque sese diffuderit, credi vix potest. Quæ nobis sub manu sunt, documenta promimus. Nondum trimestre Joachimus mitratus exegerat, cùm ingentem tomum eidem anno 1616. die 12. Februarii dedicavit Ægidius Albertinus, Ecclesiastici & Aulici Consilii Monacensis Secretarius. Is conciones Petri Bessei ex Gallico in vernacu-

lam nostram transtulerat, in quarum Epistola nuncupatoria sic inter cætera Joachimum nostrum commendat: *hoc humilitatis fundamentum, Reverendissime Præsul, pridem jecisti, & in monasterio Professionis tuæ Wessofontano assiduè coluisti, atque hinc tantùm inclaruisti, ut viduatâ per decessoris mortem S. Petri Prælaturâ Celsissimus Princeps Marcus Sitticus ansam ceperit, antiquissimo huic Salisburgensi monasterio præficiendum, te præ multis aliis postulandi, ac desuper datis litteris à Serenissimo Duce meo Maximiliano dimissionis tuæ veniam sollicitandi &c.*

10. Triennio pòst, anno nimirùm 1619. 28. Junii in Universitate Ingolstadiana, Præside Clarissimo viro Ferdinando Walneggero J. U. D. Serenissimi Ducis Maximiliani Consiliario, Antecessore Juris Ordinario, Theses de Donationibus propugnavit Georgius Reitter Wessobrunnensis Bavarus J. U. Studiosus. In illorum dedicatione Joachimo inscriptâ hæc habentur: *Quò potiùs irent* (Donationes) *quàm eò, ubi felicissima fruge nova artium sementis pullulat, &*

Truditur è sicco radix oleagina saxo?
Ubi te præsidente sacri ordinis Benedictini
- - seminibus jactis se sustulit arbor
- - seris factura nepotibus umbram?

Certè eò te virtus evexit, ut inter tot tui Ordinis præclarissimos Abbates is deputareris, qui Atlantis instar totius Benedictini Lycei molem sustineres, tèque cultore

- renovatus ager gravidis canescat aristis.

Atque alibi in eadem dedicatione laudatur Joachimus *clemens alloquio, tum admirandæ, tum suspiciendæ humanitatis*, & inferiùs: *soles in omnes esse humanus.*

11. Neque verò aut Lycei erigendi sollicitudine impediri, aut humanis laudibus ita se incantari passus est Joachimus, quo minùs monasterii sibi commissi commodis invigilaret. Atque in primis, ut Principis voto, cujus causâ vocatus fuerat, satisfaceret, selectissimos juvenes in monasterium suscepit, atque intra decennium, quo præfuit, quatuordecim solemniter professis conventum suum auxit. A spirituali ædificio ad materiale, templum nempe Dei, transtulit curas.

12. Ecclesiæ S. Petri parietes, quibus antea ligneum tabulatum incumbebat, altiùs eduxit, & continuo per totam Ecclesiæ navim saxeo fornice

forulos conjunxit. Summum Altare, quod hodiedum visitur, opere statuario magnificum, & sumptuosum, erexit: & quo ampliori luce perfunderetur ara, omnéque presbyterium, in superiori templi parte tholum arcuatum exstruxit, qui pluribus fenestris diem admitteret. Demum & divinorum officiorum Majestati consulturus, majori organo, eóque magni pretii æstimato, Odæum Musicum instruxit.

13. Temporalia quoque monasterii commoda egregiè procuravit, sollicitus per omnia & exercitatus œconomus. Novam enim in Austria vineam emit: prædium insigne, quod Ursprungense vocant, comparavit, eique ad uberius monasterii, ac villæ emolumentum, molendinum adjecit: plura alia sine dubio & majora allaturus commoda, nisi ultimis Prælaturæ annis ægritudo ferè continua eum sedere plerumque, aut jacere compulisset.

14. Quibus virtutibus claruerit, suósque ad imitationem non verbo tantum sed & exemplo invitaverit, satis indicant tum geminæ superiùs adductæ Dedicationes, tum Abbatis Amandi, qui secundus ei post Albertum succeffit, & Mezgerorum testimonia. Illæ Joachimi insignem humilitatem, & in omnes humanitatem, cum egregio propagandæ rei litterariæ, ac Benedictini nominis studio, commendant. Istorum primus, in Catalogo Abbatum Monasterii S. Petri anno 1646. edito (f) fatetur, *singularem prudentiam & dexteritatem agendi* in causa fuisse, ut San-Petrenses, qui inviti priùs alienigenam exceperant, ultro illum in Præsulem ab Archiepiscopo postularent. Pergit Amandus Abbas de Joachimo: „ fuit „ vir magni & profundi judicii, & in modo tractandi adeo discretus & „ affabilis, ut facilè quovis in sui amorem traxerit. „ Et paulo post: „ hoc inter alia de eo notatur specialiter commendandum, quod in rebus adversis & morbis, corporisque doloribus magnam semper patientiam & quietem exhibere, prudentérque ac discretè dissimulare silentio consueverit. Religiosæ disciplinæ plurimùm amans atque zelosus „ eam in valde bonum statum, suscepto justo Novitiorum numero perduxit.

15. Maximum verò dolorem creaturus fuerat Joachimo prœmaturus Marci Sittici Clementissimi Fundatoris obitus, defuncti 8. Oct. 1619. Jam fundamenta sacelli jacta erant, jam Lycei ædificium fervebat, jam in fœdus coaluerant Hercyniæ, Sueviæ, & Bavariæ Abbates penè omnes: cùm repente Salisburgensium animis mœrore ac timore percelli, ac Joachimi maximè, in quem, si fata ferrent, molis inceptæ labes respectura videretur.

16. At erexêre trepidantem animum duo imprimis Illustrissimi Canonici Marquardus de Schwendi, & Marquardus de Freyberg, ambo Wessofontanis, & Joachimo addicti, quippe quorum Majores in Ecclesia nostra sepulturam elegerant, & Freybergii diu Præfecturam Rauchenlechspergensem nobis vicinam gesserant. Cathedrale Capitulum 600. florenos in Patrum sustentationem adjecit: electus dein 13. Novemb. Paris Archiepiscopus Capituli Metropolitici vota facto firmavit, & ampliora adjecit, cùm anno 1623. Gymnasium in Academiæ & Universitatis justum corpus attolleret.

17. Tantis solatiis recreato Joachimo tandem appropinquavit capiendi tot meritorum præmii tempus. Podagræ, cholicæque doloribus cùm febris accessisset, cruciatibus cunctis insigni patientiæ exemplo toleratis, lentè consumptus est, bis in ultimo articulo felix; nam in ipso SS. P. Benedicti festo, anno 1626. Celsissimo Principi Paridi Lodronio, ipsum in transitu conclavis ex Ecclesia S. Petri visitanti, supremum vale dixit, ac monasterium commendavit. Solent enim Archiepiscopi templum S. Petri eo festo sæpiùs invisere, & religionis, & honoris erga primos Episcopos ibidem sepultos exhibendi causâ. Suos dein Religiosos paulò ante obitum cum tenera valedictione ad mutuam charitatem amanter hortatus est. Sub vespertinis postea horis, dum *ad Magnificat* cantaretur Antiphona: *Hodie S. Benedictus per viam Orientis recto tramide cœlum ascendit &c.* in ejus vestigia properantem animam sensibus integris pientissimè emisit. Anno 1626. die 21. Martii.

18. Corpus solemni funere, ùt moris, religiosè circumportatum, ante summum templi Altare, quod ipse Joachimus erexerat, & fenestrato tholo illustraverat, tumulatum est. Sepulchrali saxo successor Albertus Keuslinus Ottoburanus, ante hac Universitatis Rector, hanc epigraphen insculpi jussit:

Joachimus ad D. Petri Abbas Asceticos. Restaurator sacræ Ædis: turriti præsertim fornicis. Aræ summæ conditor. Academiæ Juvavensis Promotor. Oeconomus perutilis. Quum annos X. Menses III. Dies XXI. commune bonum strenuè curâsset, anno XXVI. sæculi XVI. Christiani, sub æquinoctium verum piè vitam absolvit, subter hoc marmor Judicis Magni sententiam oppertaturus. Quam, ne victor occupêre, prospice.

19. Floruit deinceps Divi Petri monasterium in hodiernum usque diem clarissimis, doctissimisque Abbatibus, virisque omni eruditione con-

conspicuis. Ipsi Reverendissimi Præsules Theologicis, Juridicis, Philosophicis Laureis insignes ferè omnes à publica cathedra ad infulam capessendam venêre. Quæ monasterii emolumenta, etsi munificentiæ Principum Marci Sittici, & Paridis, unicè debeantur, gratam tamen Joachimi memoriam retinentes Petrenses aliquam ei felicitatis suæ partem in acceptis referre non dubitaverunt. Certè Edmundus Abbas, 1673. electus, cùm nonnulli è nostris studiorum causâ Salisburgum venissent, humanissimè eosdem excepit, ingenuè professus: *Salvete Wessofontani! omnia nostra vestra sunt: ingredimini.* At nos ipsi humanissimis Petrensibus plurimas debemus gratias, quotquot vel ibidem è nostris docuêre, vel didicêre, omni favore semper excepti, nonnulli etiam à Magistris è S. Petro petitis erudìti. Quæ omnia ad gloriam celeberrimi & antiquissimi monasterii, in quo prima olim Divi Ruperti sedes ad Bavariæ salutem effulsit, lubentes dixisse volumus.

(a) *Annal. Cremif. P. Simon Rettenbacher Lib. III. num. 56. fol. 242.* (b) *Hist. Salisb. Mezger. L. 5. C. 18. fol. 681.* (c) *Parte I. Hier. Aug. fol. 348. & 353.* (d) *Hist. Provinc. Germ. Sup. Part. IV. Decade 8. num. 284.* (e) *Eadem Hist. ibid. num. 297.* (f) *Fol. 76.*

§. II.

Clariss. P. Thomas Ringmayr, Professus Wessofontanus.

20. CLarissimo huic viro natalitiam lucem Apfeldorffium dedit, Bavariæ superioris prope Rauchenlechspergam vicus, Lyco adsitus. Humanioribus studiis, & amœniori litteratura apprimè excultus mundo valedixit, ac solemnibus votis Deo se consecravit anno 1617. in festo Nativitatis Deiparæ, quo ipso Prior Bernardus Gering, postea Abbas Wessofontanus, eadem vota edidit. Professus ea mox dedit Religiosæ virtutis, & ingenii maximarum rerum capacis specimina, ut Gregorio Pontano tunc Abbati, viro sapientissimo, ac magnanimo, dignus videretur, quem Philosophiâ primùm, dein Theologiâ imbuendum ad Universitatem Ingolstadiensem ablegaret. Feliciter decurso per tres annos Philosophiæ stadio in Theologia Thomas Professorem est nactus P. Georgium Stengelium, virum inclytæ Societatis JEsu longè celeberrimum, quo duce sic profecit, ut publicas, ex Theologia Universa Theses magnâ gloria propugnaret. Easdem *Religiosissimo, & Amplissimo DD. Gregorio*

gorio Pontano, monasterii Wessofontanensis Abbati Vigilantissimo, dignissimo; Domino suo ac Patri in Christo plurimùm Reverendo, plurimùm colendo &c. nuncupavit, atque inter cætera sic gratitudinem suam testatus est: „ *Quod me* jam „ antehac, cùm per Philosophica stadia decurrerem, fecisse meministi, „ Præsul amplissime, id ne omitterem, obtentâ Theologiâ metâ, quod „ ajunt, à Dario bellicoso ad Phrygium religiosum rursus reverterer, con- „ tinuata toto septennio benevolentia tua jure suo commonuit. Nempe „ si ad beneficentiam tuam pertinere existimâsti, ut me severioribus Mu- „ sis tamdiu excolendum permitteres; planè officii mei fuit, primitias „ aliquas culturæ illius ad te referre. Plerique fere agri singulis annis „ accipiunt, singulis reddunt. Quid ergo mirum, si ego tribus annis „ Philosophiæ impensis semel, & quatuor annis Theologiæ datis, iterum „ fructum aliquem, & laboris mei, & liberalitatis tuæ partem? Deinde, ut non sine causa Dissertationem de natura & proprietatibus Angelorum à Clarissimo Stengelio propositam, atque à se defensam, dedicâsse videatur, historiam de Angelis Duci Thassiloni venanti apparentibus, & monasterii nostri fundationem suadentibus, concinnè enarrat, licet ab antiqua traditione nonnihil recedat. Annus defensionis subscribitur 1625. dies 22. Junii.

21. Habuit Thomas condiscipulum, maximæ item spei juvenem, è monasterio Schyrensi F. Simonem Fyrbas: is de peccato & supplicio Angelorum Authore & Præside eodem Stengelio Dissertationem pridie Kal. Julii publicè ibidem defendit, eámque dedicavit *Religiosissimo & Amplissimo DD. Stephano monasterii Scheirensis Abbati Vigilantissimo, per Frisingensem Diœcesin Visitatori dignissimo, Domino suo ac Patri in Christo admodum Reverendo & colendo &c.* Quis demum Simon iste evaserit, adhuc nescio; Abbati verò Stephano titulum Visitatoris datum non admiror, dum & per Augustanam Diœcesin tales constitutos lego; eos nempe, quos virtutis & doctrinæ æstimatio supra alios extulit. Hunc embolismum honori celeberrimi monasterii Schyrensis consecratum velim.

22. Thomas noster Ingolstadio ad monasterium reversus, haud diu ibidem substitit, ad Universitatem Salisburgensem vocatus: ubi anno 1628. Theologiam docere cœpit, omnémque succedentibus annis tradidit, Theoricam, seu Scholasticam, Moralem, Polemicam, sacrum denique Codicem explicavit magnâ sui nominis famâ, & discipulorum fructu uberrimo. Quas Theologiæ Quæstiones singulis ferè annis edebat, eas non alio, nisi *Disputationum Theologicarum* nomine inscribebat, ab omni curiositate & peregrinitate alienus. Omnes ab eo vulgati tractatus in Historia

storia Universitatis, quam conscribere cœperat P. Romanus Sedlmayr, & P. Menradus Troger, ambo San-Blasiani, triginta adhinc annis à se consummatam publicæ lucis fecit, recensentur.

23. Duæ illarum Disputationum mihi venêre sub manus, quorum primam Celsissimo & Reverendissimo Principi Paridi Archiepiscopo Juvav. dedicatam Thomâ Præside anno 1640. septimo Idus Julias propugnavit Thiemo Stainhauser San-Petrensis: alteram, eodem Præside 1646. septimo calendas Julias Christophorus Kleinmayr, & Udalricus Freyberger, itidem San-Petrenses defenderunt, inscriptam Alberto Abbati S. Petri tunc Præsidi, & Urbano Abbati Admontensi Visitatori, cæterisque congregationis Benedictinæ Salisburgensis Abbatibus. Neque verò Benedictini solùm Ordinis Religiosos, aut unius ditionis vel Diœceseos Salisburgensis inquilinos, sed aliorum quoque Ordinum atque terrarum discipulos Thomas habuit: lego inter alios Nivardum Kreulinger, & Modestum Hozelinum Cistercienses de monasterio S. Mariæ ad S. Urbanum in Helvetia Monachos: lego Hugolinum Wolleder & Sebastianum Mack O. S. Augustini Eremitas.

24. Quibus aliàs academicis honoribus fulserit Thomas, non invenio. A Clar. P. Leonardo Kloz edoctus fui, Prothocollo Theologicæ Facultatis initium dedisse Thomam nostrum, tunc Decanum. In ultima ac solemni Universitatis renovatione anno 1652. Theologiæ Decanus fuit P. Mallianus Schwab ex monasterio Schyrensi.

25. Cæterùm vir fuit Thomas, in quo nihil vanitatis invenires, sed spiritu plenus, & regularis disciplinæ etiam inter publica negotia tenax: silentii & solitudinis amator, studiis jugiter intentus, in conversatione mansuetus atque tranquillus, turbarum inimicus, consilio præcipuè, atque prudentia insignis, unde contigit, ut magnam apud omnes sibi æstimationem conciliârit per illos 24. annos, quibus Salisburgi commoratus est.

26. Ejus fama sapientiæ & virtutis excitatæ Illustris Parthenonis Nunbergensis Virgines, Thomam sibi conscientiarum arbitrum expetiêre, nec difficulter à Celsissimo Principe obtinuêre: quibus ita sese paterna pro singulis sollicitudine probavit, ut non citiùs, quàm fata dirimerent, consolatorem suum dimitterent, octodecim integros annos ipsius doctrinâ & consiliis usæ. Annus tandem 1654. Thomæ laboribus finem imposuit. Gratæ sanctimoniales in sua D. Erentrudis Ecclesia magnificum illi tumulum dedêre loco omnibus ingredientibus ad dextram spectabili, ubi ingens marmor tale ejus epitaphium exhibet, quod ipse præsens è saxo descripsi.

Sine

Sine strepitu viator!
Doctor hîc Theologus jacet, qui
semper amavit silentium,
Admod. R. Religiosissimus, ac Clarissimus
VIR
P. THOMAS RINGMAYR,
Professus in Wessobrunn,
Qui cùm in Cathedra sedisset annos XXIV,
Animas Sanctimonialium curâsset XVIII.
Hanc ei requiem illæ indulserunt,
Quibus conscientiæ quietem sæpiùs dedit.
Vixit annos LIV. Obiit anno salutis MDCLII.
Sculptum hîc est Symbolum Testudo animal, cui erecta
Rota incumbit, cum subjecto lemmate:
Non moritur sapiens: sapientis robur ab intus.

Atque hæc in memoriam Clarissimi viri dicta sufficiant, & alios ad imitationem invitent.

§. III.

Analecta de Gregorio Abbate, & aliis ejus monachis.

27. SIcut Landspergensis civitas dulce præsidium contra corporis & animi hostes invenit erecto Societatis JEsu Collegio, unde cives non solùm sinceram fidei morúmque doctrinam, sed & in bello Suecico multi alimenta & asylum capiebant, ita ad singularem utilitatem Weilheimensium civium cessit Conventus Patrum Ord. S. Francisci Reformatorum. Ad ejus progressum, structuram, sustentationem plurimùm contulit Gregorius noster, & tanquam Parochus primum Ecclesiæ eorum fundamento lapidem posuit. Sæcularem excitati cœnobii festivitatem extremis Thassilonis Abbatis annis Patres celebrârunt.

28. Pa-

28. Patet, tam longo regiminis tempore plures à Gregorio ad solemnia vota fuisse admissos. Inter eos fuêre primi Thomas Ringmayr Apfeldorffensis, de quo primùm antè differuimus, & Bernardus Gering, Erlingæ ad pedem S. Montis Andecensis natus. Professi sunt hi anno 1617. die 8. Septembris ipso natæ Deiparæ Festo. Bernardus humanioribus litteris & Theologiæ scientiâ præclarè imbutus in Parœciarum administratione multos annos consumpsit, primùm Wessofontanæ, deinde anno 1651. Tättenschvvangensis Ecclesiæ Curio, Suecico bello satis probatus & jactatus. Ne sibi soli prodesset, in Fratrum commodum scripsit *summarium Concionatorum*: in quo pro totius anni festis, atque Dominicis, largam supellectilem collegit, authorésque plurimos allegavit, unde alii prædicandi materiam peterent. Illud adhuc in monasterio asservatur. Ex eo quædam de belli Suecici tumultibus scribenti mihi usui fuerunt. Bernardus, ut videbimus, Gregorio in dignitate successit, ubi super candelabrum positus majores virtutis & sapientiæ suæ radios sparsit.

29. Suppar Bernardo Wolfgangus Dreitterer Bernriedensis Bojus, Tättenschvvangensem Parochiam aliquamdiu administravit, deinde Cellerarii & œconomi munus gessit illo tempore difficillimum, cùm aliis fugâ sibi consulentibus unus ipse pro monasterio murum se objiceret. Deprehensus à Suecis vix eorum vim evasit; bombardâ enim inversâ collum percussus, ingens callum deinceps, dum vixit tulit, nulla arte tollendum. Illud nec Abbati indecorum Fratres putavêre, cùm eum pro egregiis meritis Bernardo Abbati anno 1666. Præsulem subrogârunt.

30. His meritò anumerandus P. Romanus Steigmayer, qui in Universitate Salisburgensi creatus SS. Theologiæ Doctor & Cathedræ destinatus, optimas de se spes præcoci obitu extinxit.

31. P. Adamus Blasius Pircklandensis, Salisburgi anno 1619. inter primos sub P. Alberto Keuslino, Ottoburano, primo postea Universitatis Rectore, ac demum S. Petri Abbate, Decisiones ex universa Philosophia publicè propugnavit. Parochiam deinde Rottensem per multos annos magno labore & metu, quem Suecici belli furor exigebat, curavit.

32. P. Carolum Baader Cellerarium, virum prudentem, quem Gregorius Abbas Augustam Vindelicorum ad Conventum Abbatum suo nomine ad deliberandum de promovendo Universitatis Salisburgensis incremento ablegaverat, non immeritò his adjungimus.

33. Denique anno 1649. cùm Dominicâ 4. post Pascha P. Sebastianus Felderle Wessofontanus primum Sacrificium DEO litaret, ad populum dixit P. Franciscus Langius, Ord. S. Francisci, in Conventu Weilheimensi Vicarius, quem honoris causâ nomino, tanquam unum ex primis Conventûs novi inquilinis: Cæteros, ùt spero, suo tempore proferet Chronicon Seraphici ordinis.

34. Non possum omittere, quin animadvertam, mirabili DEI consilio factum esse, ut ex una Parochia, & quidem uno eodémque tempore, monasterio nostro tres insignes viri ad decus & fulcimentum darentur, nempe Joachimus Puechauer Rauchenlechspergensis, Thomas Ringmayr Apfeldorffensis, & Adamus Blasius Pircklandensis, quæ loca omnia unius Parochi Apfeldorffensis curæ subjecta sunt.



SÆCULUM DECIMUM
WESSOFONTANUM,
Ab anno 1653. usque ad annum 1753.

CAPUT I.
Bernardus Abbas LI.

§. I.
Ornatus templi Wessofontani, & aliorum.

1. DE Bernardi natalibus, laboribus in animarum curâ, & cæteris, quæ fecit & toleravit, donec, DEO disponente, mitram tanquam dignam meritis suis mercedem in terris, reciperet, paulò antè diximus. (a) Illis igitur hoc loco prætermissis, quid ad Divini cultûs augmentum & splendorem Bernardus contulerit, operæ

operæ pretium erit videre. Majores, quàm pro sustentatis belli tricennalis calamitatibus ferri posse viderentur, Bernardus fecit ad majestatem novam Ecclesiæ monasterii nostri conciliandam. Exorsus ab Odæo sacro, & Presbyterio, quæ gypso, una cum tota templi testudine, eleganter pro ætate illa incrustari; limbos etiam & extantia ornamenta deaurari jussit, unde mirus splendor novo ædificio conciliabatur.

2. His non contentus aram principem templi, ab imo ad summum, novam plenùmque majestate erexit. In ea Missio S. Spiritûs in Deiparam, quæ sedens exhibetur in medio, & omnes Apostolos, ùt in Pentecoste solet, repræsentatur. Omnium horum statuæ communem virilis staturæ magnitudinem faciliùs superant, quàm æquant, omnes, sicut illa Deiparæ, largissimæ deauratæ, coloribus cæteris argento suffulcis. Columnæ altaris, quarum multæ sunt, & plures aliæ minores majoribus incumbunt usque ad apicem, omnes sunt deauratæ, & varias Divorum statuas, sed minores illis Mariæ & Apostolorum, exhibent, præcipuè SS. Benedictum & Scholasticam, & has itidem totas deauratas.

3. Tabernaculum verò Dei Eucharistici amplissimum, mira arte constructum erat. Gemina illi facies, prout Festa & Divina Officia exigebant. Illa, quæ in solemnitatibus DEI, Deiparæ, & sanctorum, populo exhibebatur, tota auro picta splendebat. Altera, quæ ad sacrum Odæum post aram summam, ubi Religiosi solitam Psalmodiam peragebant, respiciebat, tota nigra erat, & in ebeni formam limata, auróque interpolata in columnarum capitellis & basibus. Hæc sacrificiis Anniversariis in Defunctorum solatium celebrandis, & tempore Quadragesimæ, ostendebatur fidelibus ad movendam devotionem & compunctionem. Magno enim vecte ferreo fixum Tabernaculum, à duobus Religiosis sine singulari difficultate, adhibita clave, paucis nisibus in utramlibet partem vertebatur.


4. Superest adhuc superior pars Altaris cujusdam perelegantis pro ævo illo, certè sumptuosi, in honorem Deiparæ Virginis (cujus effigies divinum filiolum brachio nixum exhibet) à Bernardo exstructi, in cujus lateribus quatuor statuæ spectantur divorum Lazari & Marthæ, Ignatii Lojolæ & Francisci Xaverii, in apice verò S. Magdalena. Omnes hæ statuæ & tota ara, tantum prope auri, quantum aliorum colorum, ostentant. In medio verò templo Christi crucifixi imaginem, Beati Walthonis sepulcro imminentem, cùm præ vetustate propemodum in ruinam ire cœpisset, Bernardus Abbas ferro munivit, novis inductis coloribus re-

novavit, atque postica Crucis parte epigraphen adjecit, quæ ultra omnem hominum memoriam stetisse istam crucifixi Salvatoris effigiem testatur. Epigraphe hæc affixa fuit à Bernardo anno Domini 1662.

5. Nec solius Wessofontani templi curam Bernardus habuit: foras quoque manus suas ad Divorum honorem; & decorem templorum extendit. Stabat in Foresto, dimidio milliari teutonico à monasterio dissita S. Leonardi Abbatis Ecclesia, ab antiquo jam condita, & Parochiæ Wessofontanæ subjecta. Nullibi certum primæ originis signum invenio. Tempore Caspari Abbatis jam stetisse, indubitatum mihi est, cùm Stephanus Leopolder mox ab initio sæculi à Christo nato decimi sexti jam invenerit & descripserit tres in illa positas aras, primam S. Leonardo; alteram S. Udalrico Episcopo Augustano, dein SS. Martyribus Afræ, Hilariæ & sociis; tertiam Deiparæ Virgini, & S. Vito Martyri consecratas. Hoc divi Leonardi templum Bernardus Abbas ampliâsse invenitur. Et profectò propter peregrinorum affluxum necessitas quædam id petere videbatur; jam enim illo sæculo Schongavienses, aliique vicini S. Leonardum voti causâ hîc invisebant, ùt antiqua ibidem affixa anathemata testantur.

6. Si in re obscura divinare liceat, putem ego, à Leonardo I. Abbate, qui anno 1443. præesse nostris Fontibus cœpit, in honorem sancti cognominis & Patroni sui fuisse vel primitus excitatam, vel ex parvo sacello, privatorum pietate erecto, insigniter auctam, sacrificio Divino aptatam, ornatámque istam Ecclesiam; cujus decessoris sui immediatus successor Paulus II. exemplo incensus, alterum S. Othiliæ sacellum in agro Rottensi excitârit. Verùm quisquis author fuerit, hodie adhuc in S. Leonardi Ecclesia Festivitas ejus quotannis summa solennitate per Pontificale Officium, & sermonem Panegyricum celebratur, numerosissimo populo religionis causâ confluente, vota persolvente, accepta Divi patrocinio beneficia testante, jumenta sua & pecora ejusdém tutelæ commendante.

(a) *Prioris Sæc. Cap. penult. num. 29. & ultimo ejusd. Cap. §. 3. num. 81.*



§. II.

§. II.

Publicæ Devotionis incitamenta.

TAmetsi nos ipsi septem ex majoribus nostris martyres, B. Walthonem Abbatem, B. Diemodem Virginem, tumulis suis tum in templo Divi Petri, tum in antiquo Deiparæ facello, Patronos indigenas & domesticos, in venerandis exuviis suis haberemus, ac præterea insignes aliorum sanctorum Martyrum & Confessorum, Reliquias possideremus: illis verò cultus publicus palàm, ut aliis sanctis, nondum impenderetur; ex his integrum S. parvuli Innocentis corpusculum fuisset ad Palatium Monacense transmissum: propterea de alterius cujusdam S. Martyris integro corpore prospiciendum, quibus posset viis, Bernardus Abbas putavit.

8. Habebat Abbas noster diversos tum Clericos, tum Religiosos, singulari amicitia sibi devinctos. Per hos viam invenit Romam, ibique ad summum Pontificem supplices litteras mittendi. Obtentum est feliciter corpus S. Pontiani Martyris, cujus festum proxima die post illud Divi Bartholomæi Apostoli in Germania celebratur, nempè vigesimâ quinta Augusti. Ejusdem & sociorum meminit Usuardus in suo Martyrologio his verbis: „Romæ natalis sanctorum martyrum Eusebii, Pontiani, Vincentii, & Peregrini, sub Commodo Imperatore, qui primò in equuleum levati, nervis quoque distenti, ac deinde fustibus cæsi sunt, flammis circa eorum latera appositis: sed cùm in laude Christi fidelissimi permanerent, plumbatis usque ad emissionem spiritûs mactati sunt. „ (b) Atque ita S. Pontianus apud nos depingebatur dextra ramum palmæ, sinistra clavam gerens, aliis suppliciis è longinquo exhibitis.

9. Eodem die idem sanctus etiam publicè colitur in celeberrimo & Imperiali monasterio Ottoburano, ubi insignes ejus multæque reliquiæ ab antiquo servantur, caput tamen integrum nobis Româ missum est cum ossibus quibusdam brachiorum & costarum aliisque, quibus adjecta est testa ex arenario saxo hac epigraphe insignita: *Pontianus I. P. XP.* mox additur his litteris *ramus palmæ* insculptus eidem saxo, martyrii testis; unde sic inscriptio tota legenda est: *Pontianus In Pace Christi Martyr.* Præter Reliquias corporis & lapidem, sanguinem quoque sancti martyris in ampulla vitrea accepimus, quàm adhuc plenam asservamus.

10. Anno igitur Domini 1664. donati nobis ab Alexandro VII. summo Pontifice sacri Corporis testes litteræ duodecimo Decembris signatæ sunt, & anno proximè sequente unà cum optatissimo S. Pontiani thesauro advenerunt. Testes subscripti inveniuntur sequentes:

Martius Ginettus S. R. E. Cardinalis Episcopus Sabinensis, Vicarius Generalis.

Octavianus Caraffa Archiepiscopus Patracensis, Vices-Gerens.

Marcus Antonius Lanfranchus.

F. Joannes Laurentius è S. Andrea, Procurator Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

M. Joannes Bisselius Parochus in Schongau.

P. Sebastianus Felderle, Vicarius in Wessobrunn.

Ex horum testium syllabo facilè colliges, quo ordine & per quorum manus sacer thesaurus Româ pervenerit usque ad Wessonis Fontes. Eadem facilitate intelliges, rogatum à nobis Clarissimum D. Joannem Bisselium, per Carmelitas Tridentinos desiderium nostrum Generali Ordinis Carmelitici Procuratori Romæ residenti aperuisse, hunc verò optatam gratiam ab Eminentissimo Cardinale Ginetto impetrâsse, ejúsque expeditionem ab Octaviano Caraffa per Marcum Antonium Lanfranchum obtinuisse.

11. Accepto tam pretioso pignore omnes curas eò intendit, ut sacra hæc lipsana quàm decentissimè auro gemmisque ac margaritis ornarentur. Quoniam verò multæ corporis partes deerant, quippe pridem Ottoburanæ Ecclesiæ donatæ, integrum corpus jacentis instar, stantis, vel sedentis, ùt alias solet, exhiberi non potuit. Inventus est elegans situs, velut pyramidis graduatim ascendentis. In his gradibus circumposita cernuntur ossa, in vertice autem caput S. Martyris, cui desuper imminet ampulla sacri sanguinis. Arca verò, in qua S. Reliquiæ eo, quo diximus modo positæ sunt, tota est ex ebeno, & argento ornata. Sub ipsa pyramide saxum cum epigraphe jacet. Donec plenè exornaretur sacrum Corpus anni ferè duo abiêre. Anno demum millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto solemni processione & triumphali pompa communi Wessofontanorum & vicinorum lætitia fuit in Ecclesiam monasterii introductum.

12. Sin-

12. Singulare devotionis incitamentum attulit Bernardus Abbas, dum Confraternitatem SS. Rosarii Beatissimæ Virginis in Ecclesia sua erigendam curavit. Primo statim regiminis anno moliri hoc negotium cœpit. Facultatem primùm obtinuit à Plur. R. P. Georgio ab Herberstein Ordinis S. Dominici illo tempore per Germaniam superiorem ministro Provinciali. Solemnem autem introductionem, communicationis & indulgentiarum publicationem, Processionem, celebravit & adornavit R. P. Eustachius à S. Rosario, tunc Prior in Conventu Prædicatorum Augustano. Aderant solemnitati præsentes Reverendissimi duo Ordinis S. Augustini Regularium Canonicorum Prælati, DD. Anterus Præpositus Pollinganus, & DD. Joannes Præpositus Bernriedensis, qui omnium primi ad publicum christianæ plebis exemplum nomina sua amplissima Albo Marianorum Clientum intulêre. Fuit etiam Senatus Marianus institutus, in quo primus Præfecti munus gessit D. Sigismundus Reitter Archigrammatæus & Hospes Wessofontanus: Secretarius D. Michaël Feichtmayr, Camerarius, & Scriba Wessofontanus. Tamquam Præses verò Sodalitium gubernare à Bernardo Abbate jussus est R. P. Adamus Blasius, de quo alibi diximus. (c)

13. Equidem Divi Sebastiani Megalomartyris & Defensoris Ecclesiæ veneratio apud Fontes nostros à trecentis jam annis vigebat, introductus ab Udalrico III. Abbate XXVI. qui ex Eberspergensi monasterio fuerat postulatus, sicut in ejusdem Actis jam pridem diximus. (d) Verumtamen quia cultus illi exhiberi solitus toto anno intra unius diei limites sistebat, nempe Festivitatis sancti ejusdem vigesimo Januarii solitæ celebrari, & Missæ quidem hebdomadariæ, quam tamen parùm attendi animadvertebat; Bernardus Abbas per eosdem, qui Corpus S. Pontiani procurârunt, nempe R. D. Joannem Bisselium & RR. PP. Carmelitas Tridentinos, procuravit Romæ, & obtinuit Confraternitatem sub Divi Sebastiani patrocinio militantem, & locuplete Indulgentiarum thesauro munitam: quam sicut magno fidelium accursu solemniter, introduxit, ita in hodiernum diem eximiè viget, & vix unquam, summis Domini & Deiparæ Festis exceptis, major fit devotorum accolarum concursus, quàm in S. Sebastiani festivitate, in qua quotannis multi hujus Divi Sodalitio adscribi flagitant. Et hæc publicæ devotionis incitamenta Bernardus cura & sumptibus excitavit, in hodiernum diem uberrimo fructu hinc redundante.

(a) *Cap. penult. prioris sec. num. 29. & cap. ult. §. III. num. 28.* (b) *Boll. Tom. V. Aug. die 25. fol. 111. col. 1. num. 1.* (c) *Num. 3. §. ult. præced. sec.* (d) *Suprà Sec. VI. C. II. §. IV. f. 283.*

§. III.

§. III.

Studium propagandi scientias.

14. JAm superioris sæculi fine, priusquam sacros fasces capesseret, laudavimus Bernardum, tamquam virum non minori litteratura, quàm in periculis constantiâ præditum. Magnis duabus Parochiis, quales sunt Wessofontana & Tättenschvvangensis, alteri ex alia præsidere, virum exigebat magnâ ad tam numerosas plebes regendas scientiâ & prudentiâ instructum. Quantum eloquio valuerit Bernardus, pridem prodidit in summario Concionatorio, in quo copiosam supellectilem ad concinnandos sacros sermones cum expeditis divisionibus zeloso divini Verbi præconi subministrat; vir sanè plurimæ lectionis & amplissimæ eruditionis hinc undique elucet. Inde nata ipsi est etiam apud exteros fama, maximè postquam in Abbatem electus est. Invenio Theses sub Emblemate Beatissimæ Virginis editas, & Præside P. Christophoro Meindl, ex universa Philosophia à Francisco Gigl, defensas, & Reverendissimo Bernardo Abbati Wessofontano dedicatas. Non dubito, quin aliæ plures eidem fuerint inscriptæ, quas conquirere superfluus labor mihi videtur, ad finem properanti.

14. Religiosus quidem frater noster Ottmarus Zöpf, jussus fecit, dum Theses Philosophicas à se Augustæ Vindelicorum propugnatas anno 1665. die trigesima Octobris, non Abbati nostro Bernardo, sed Reverendissimo DD. Gregorio Josio Imperialis monasterii SS. Udalrici & Afræ ibidem Abbati Amplissimo dedicavit. Erat hic Præsul litterarum & litteratorum amantissimus; vix enim anno 1664. electus & regimen adortus, protinus scientiarum Palæstram in monasterio suo erexit, junioresque fratres philosophicis disciplinis imbui jussit, electo è suis clarissimo viro P. Cœlestino Turner Juris utriusque Doctore, qui iis eam scientiam traderet. Erant aliorum monasteriorum Præsides aliqui, qui peterent suos quoque ad S. Udalricum eâdem operâ erudiri: nullus obtinuit præter Bernardum nostrum, qui Ottmarum suum vix commendavit, & mittere jussus fuit. Quare is jure Theses cum Quæstionibus ex Logica à se defensas eidem jam laudato Reverendissimo Abbati inscripsit, ubi in Dedicatione gratus agnoscit beneficium sibi soli concessum: *in locum*, inquiens, *quem ambiebant plurimi, obtinuit nullus, & cœtum tuorum me admisisti.* Quantus porrò tam Abbas iste Gregorius, quàm P. Cœlestinus Turner, fuerit, copiosè loquitur Hierarchia Augustana. (e)

15. Fue-

15. Fuerunt & alii sub Abbate Bernardo viri commendatione digni ob egregiam doctrinam. Prioris officio cum summa prudentia præerat Venerab. P. Wolfgangus Dreitterer, qui & postea Bernardo successit, vir gerendarum rerum longa exercitatione promptissimus. Cognatum habuit iste insignem illum Abbatem monasterii Fürstenfeldensis Martinum, qui anno 1659. expensis Jäcklinianis Monachii edidit *Synopsin miraculorum & beneficiorum S. Leonardi in Inthenhoven &c.* Tractatum hunc misit Abbas zelosissimus æquè ac eruditissimus Wolfgango nostro cum hac inscriptione: „Reverendo, Religioso, & Doctissimo Domino Patri „Wolffgango Dreitterer Priori in Wessenbrunnen, ac cognato suo „plurimum colendo ad aras sui memoriam commendat 6. Octobris, „anno 1660. F. Martinus pauper & modicus Abbas in Fürstenfeld manu propria.„ Hæc ideo hîc insero, ut quisque credat, magni æstimatum à tanto Abbate Wolfgangum nostrum, cui jam illo tempore tribuit titulum *Doctissimi*, eo ævo parùm usitatum.

16. Post tristissima illa tempora, quibus infusus maximis copiis in Germaniam Suecus omnia fusdéque vertit, ac Bavariam præcipuè superiorem miserrimè devastavit, atrocissimâ calamitate sic afflicta jacebat plebs nostra Issingana, ut unde Parochus aleretur, vix suppeteret. Bernardus igitur Abbas Wessofontanus, tamquam Ecclesiæ illius Patronus, pascendis verbo DEI populis Issingano, Vilgertshoviensi, & Mundrachingo, ex monasterio statis diebus Religiosum de suis virum, pedestri huc itinere profecturum, constituit anno Domini 1661. Primus, qui magna charitate, nec minore patientiâ, difficilem hanc spartam suscepit, & incredibili ovium sibi creditarum solatio gessit, erat R. P. Placidus Sitl, tam calamo èlegans, quàm ingenio promptus. De R. P. Ottmaro Zöpf superiùs memorato alibi sermo revertetur.

(e) *Parte III. Regulari f. 164. & 165.*

§. IV.

Negotia externa, memorabilia, & obitus Bernardi Abbatis.

17. PAucis hæc ego externa negotia expedio, documentis destitutus. Unicum mihi suggerit Historia Benedictoburana, referens, (f) quòd, cùm in inclyto illo monasterio pro Philippo Abbate

novus esset eligendus, præfixa electioni celebrandi die 24. Novembris anni 1661. pridie Benedictoburam venerint, præter Reverendissimum D. Casparum Episcopum Adramytenum, Episcopatûs Augustani in spiritualibus & Pontificalibus Vicarium Generalem, Reverendissimi DD. Abbates Bernardus S. Udalrici Augustæ, Cœlestinus Andecensis, & Bernardus Wessofontanus, ad scrutatorum officium à Benedictoburanis delecti. Eò ubi ventum est, ut primo scrutinio vota dispergerentur, atque ad canonicam Electionem nulli sufficerent, ultro in Reverendissimos scrutatores Venerab. Conventus compromisit, & collatis suffragiis prodiit Amandus Abbas, vir laudatissimus, cujus insignes virtutes in Chronico Benedictoburano egregiè meritóque commendat Clariss. Meichelbeckius. (g)

18. Liceat in priora tempora redire, quibus per bellum Suecicum exagitatus fuit, tanquam veteranus Parochus Bernardus noster. Sub Gregorio Pontano hujus decessore non nisi tristia de peste, fame, & bello verbis sat multis narravimus. Nemo, sperem, indignabitur, si dixero, multam quoque *salutem ex inimicis nostris* in hac vicinia tributam fuisse à Deo ad ædificationem & salutem fidelium. In Ambram, vicinum nobis fluvium, cum conjuge & infante militum crudelitatem fugiens, actus fuerat Jacobus Plönagl. Gerebat infantem brachio, uxorem tergo inhærentem trahebat, ægrè rapidi amnis cursum sustinens, quippe collo tenus immersus, & in singulos passus everti formidans. Gravissimo in casu propitiam afflictis matrem Oetinganam invocant, cum voto, si incolumes evadant, sacram illam domum adeundi. Procedunt interim spei metúsque ancipites, & salvi tandem fluvio superato in arundinetum transeunt, ibique spatium, ad mensæ magnitudinem, siccum occupant. At novum hoc loci periculum subiit: triduo integro cibi inopiâ laborant. Hîc iterum Deo Deiparæque supplicant, ne ultimæ fami conficiendi destituantur. Auditæ miserorum sunt preces: mirâ DEI benignitate juvantur. Tres vaccæ ab armento, quod ex vicinitate Sueci prædones abegerant, errantes, directo natatu ad destitutos illos contenderunt, & lacte in pileum expresso, eatenus sustentârunt, donec hostibus dilapsis ad reditum patuit iter. Grati pro beneficio miseri, sed paupertate à tanto itinere impediti, anno tandem decimo quinto, nempe 1647. illud Oettingæ denunciârunt. (h)

19. Propiùs ad Bernardum nostrum attinent, quæ in Monte sancto Andecensi, ad cujus pedem natus est Bernardus, contigerunt. Cùm S. Rom. Imperium bellorum turbine undique quateretur, & Bavaria Sue-

corum

eorum inundatione obruta ingemisceret, milites hæretici in sacras maximè imagines & ecclesias sæviebant. Anno 1632. die 18. Maji in Montem sanctum irruentes effigiem S. Rassonis, ludibriosè cum ea digladiantes, naso & manibus mutilârunt, mutilatam in vicinam silvam ejecerunt. Deiparæ sculptam imaginem, quæ hodie in ara superiore conspicitur, & tunc, altera ejusdem imagine in terram, injuriæ metu, defossâ, in ara inferiore fuerat collocata, hanc, inquam, imaginem sacrilegi milites conspicati, Deum matrémque ejus blasphemantes injectis funibus ab ara detractam in terram dejicere moliebantur. Verùm ne latum quidem unguem sacram statuam loco poterant dimovere, infuso plumbo ita defixam arbitrantes. Quare rubore suffusi furorem in templum convertêre, subditos monasterii conferre igni pabula compulêre illud sine dubio succensuri: ter id moliti frustra laborârunt, divina virtute omnem flammarum vim opprimente. Alteram Deiparæ statuam, quam defossam fuisse dixi, serva quidam timore adactus Suecis prodidit. Melampodes isti velut in prædam hiantes sarculis & vectibus fodere decertant: verùm dum fodiendo sacræ statuæ caput detexêre, fortiore manu cohibiti & horrore concussi celeri se fuga hinc abripuêre. Inde major in utramque Dei Matris effigiem nata est veneratio. Sed & illud memorabile, quòd miles quidam Suecicus, commilitonem suum paulô post violatam statuam horribili morte peremptum conspicatus, tanto fuerit horrore concussus, ut abjurata hæresi ad Catholicam se fidem converterit. Tanta bona ex maximis malis elicuit, bellíque amaritudinem divina providentia mitigavit. (i)

20. Hæc cùm scriberem, nihil cogitanti sub manum venit Epigraphe Altaris S. Rosarii à Bernardo Abbate erecti, quam lectori non displicituram existimo. Debeo eam R. P. Ottmaro Zöpf, ex cujus Adversariis excerpo.

MARIÆ

Rosæ ter admirabili,

Candidæ, Purpureæ, Aureæ,

Deo ter Optimo, Maximo,

Iuvante, favente, fovente,

Bernardo Abbate Wessofontano

Plantante, Rigante, Colente,

Hoc Altare
Ceu primum Pietatis Germen
Nova Sacro-Antiqui Rosarii Societas
D. D. D.
Anno salutis MDCLVI. VI. Julii.

21. Placuit tandem Deo Bernardum, optimè de omnibus meritum, à laboribus ad requiem vocare. Certè, quamdiu in Religione vixit, numquam feriatus est: nec fecit tantùm, sed & passus est multa per illam septentrionalem illuvionem, cùm Pastoris officio fungeretur. Quinquaginta ferè annis, si sacrum Tyrocinium computes, Deo in Religione servivit; nam anno Christi 1617. solenniter professus in festo Nativitatis Deiparæ, anno 1666. cùm annos undecim summa laude præfuisset, decessit in ejusdem Deiparæ festo Assumptionis. Placet hîc animadvertere, quòd eodem anno, quo Bernardus, patriâ Erlinganus, obiit, Erlingæ trigesimo post obitum ejus die natus fuerit Thassilo Abbas noster LV. Bernardi epitaphium non invenio: verùm pro epitaphio stat totum templum gypso per eum incrustatum, auróque depictum: stat ara S. Pontiani cum ejus sacro corpore: stat altare summum, maximo sumptu erectum: stant geminæ SS. Rosarii & S. Sebastiani Sodalitates, & indies crescunt, & cum his, ut speramus, singularis Bernardi in cœlo gloria.

(f) *Part. I. fol. 317.* (g) *Ibid. fol. 319.* (h) *Hist. Oetingana P. Jac. Irsing. S. J. Part. II. Lib. II. fol. 105.* (i) *Histor. Andec. sub. tit.* Himmel auf Erden, *à fol. 93. &c. ubi rerum testes etiam inimici adducuntur.*



CA-

CAPUT II.

Wolfgangus II. Abbas LII.

§. I.

Wolfgangi studium pro cultu divino, & augmento monasterii.

1. BErnrieda, antiquitus Beronica vocata, celebre monasterium est Ord. S. Augustini Canonicorum Regularium, & eruditis omnibus notum, tum propter Paulum Bernriedensem, Historicum sæculi duodecimi accuratissimum, & Gregorii VII. defensorem acerrimum, tum propter Beatam Herlucam, cujus ossa ibidem servantur, ut pridem diximus ex instituto. (a) Vicus ejusdem nominis, monasterio illi assitus & subjectus, Wolfgango nostro patria fuit. Ob egregiam indolem & ingenium promptum à Gregorio Pontano susceptus, sacróque tyrocinio velut aurum probatus, inventus est justus, & ad S. Professionem admissus, solemnia Deo vota anno 1620. die 8. Septembris, in festo nimirum Nativitatis Deiparæ nuncupavit.

2. Qualis deinceps Wolfgangus fuerit, jam partim vidimus sub Abbatibus Gregorio, & Bernardo. Ille Wolfgangum promumcondum & œconomum elegit, utpote quem rerum gerendarum peritissimum, & in laboribus indefessum noverat. Dispersis fugâ Religiosis cæteris terrore Suecorum, solus Wolfgangus ùt murus pro domo Dei & monasterio stetit. Quos ille tunc terrores, quos impetus sustinuerit, ut monasterium ab incendiis & prædationibus tueretur, dici non potest. Sensit ipse, & retinuit, donec vixit, Suecicæ humanitatis vestigium, ingens nempe callum, quod inverso sclopeto percussus in collo retulerat. Utinam à majoribus nostris scripto mandatæ fuissent belli illius calamitates! Post Gregorium Abbatem non minori in pretio apud Bernardum successorem noster Wolfgangus fuit, & Prioris officio vigilantissimè perfunctus, ita se omnibus amabilem fecit, ut defuncto Bernardo succedere dignus censeretur, & in præmium tam multorum laborum, quos exantlaverat, Abbas eligeretur.

3. Quæ

3. Quæ Abbas gessit Wolfgangus, pauca ad manus meas pervenerunt: nec ferè poterant multa, cùm unico tantùm quinquennio præfuerit. Superest adhuc Altare perelegans, sed jam inutile, totum ferè deauratum, atque à Wolfgango Confraternitati SS. Rosarii destinatum, quod etiam diu in usu fuit, donec nova Immaculatæ Matris Confraternitas invalesceret, & novum idque amplissimum ejus Sacellum construeretur. Tunc in vetus sacrarium, ubi adhuc est, repositum hoc altare fuit. In medio Beatissima Virgo spectatur: ad dexteram inter columnas S. Joachimus, ad sinistram S. Anna. Quamvis porrò superiùs epigraphen Altaris S. Rosarii sub Abbate Bernardo factam adduxerim, id non à Bernardo factum, sed, ut patet, à Sodalitio Confraternitatis tumultuario opere, eleganti tamen, ut tempus ferebat, opere excitatum credo. Istud autem, de quo dixi, Wolfgango Abbati tamquam fundatori deberi patet ex nomine & insignibus ejus dextrâ lævâque depictis. (b)

4. Alterum Wolfgangi studium fuit, ut in augmento boni gregis gauderet, novósque surculos horto Religionis insereret. Itaque, quamprimum Abbas confirmatus & mitrâ decoratus fuit, magno cum gaudio ad sacram Professionem admisit jam à Bernardo susceptum probatúmque F. Rupertum Schönhuber patriâ Monacensem. Factum id est anno Domini 1666. die 24. Octobris, eodémque anno ac tempore autumnali ad S. Tyrocinium suscepit Petrum Koch Weilheimensem, qui anno sequente die 13. Novembris, nimirum in festo omnium SS. Monachorum Ordinis nostri, in manus Abbatis solemnem Professionem deposuit. Verùm neuter horum diu provixit; nam Petrus Koch, Sacerdotio initiatus, cùm Choro Musico aliquamdiu præfuisset, cæteráque Religiosi obedientiæ munera gnaviter obiisset, anno ætatis trigesimo quinto, S. Professionis decimo sexto, Sacerdotii octavo è vivis decessit die 30. Augusti anno Domini 1682. Rupertum citiùs obiisse, traditum accepi. Post biennium, tyrocinio annuo probatum ad nuncupanda vota solemnia Wolfgangus admisit F. Gregorium Schmid Weilheimensem, excitati & capacissimi ingenii juvenem, de quo sub Leonardo Abbate redibit sermo.

(a) *Suprà Sæc. IV. fol. 184.* (b) *Sæc. X. Cap. I. §. IV.*

§. II.

Cura Studiorum.

5. QUòd Wolfgangus Abbas P. Ottmarum Zöpf ad Universitatem Salisburgensem sublimioribus studiis imbuendum miserit, doceor ex litteris Magnifici Rectoris P. Alphonsi Stadlmayr anno 1671. ad Abbatem nostrum datis, simúlque ex iis intelligo, Ottmarum nostrum subpræfecti munere in Religioso Convictu egisse; sic enim habent in principio: „ In primis Reverendissimæ Dominationi vestræ gratias „ ago quàm maximas pro transmisso ad Convictum nostrum Subpræfe- „ cto Admod. R. P. Ottmaro: & quia hactenus expertus sum, esse vi- „ rum religiosum, suis studiis intentum, & disciplinæ amantem, tanto „ magis Reverendiss. Dominationi Vestræ nos obligatos omnes agno- „ scimus.

6. Ex iisdem litteris colligitur zelus Wolfgangi Abbatis pro emolumento & incremento Universitatis; animadverto enim, eumdem querelam aliquam apud Rectorem movisse, quòd in aliquo negotio præteritus fuisset Abbas Wessofontanus. Sic enim Rector Magnificus pergit: „ Gratiosum porrò affectum Reverendissimæ Dominationis Vestræ erga „ Confœderationem cum Universitate, tum Reverendissimo Domino „ Abbati S. Petri, tum Professoribus placuisse cum gaudio experior, „ qui omnes gratiam hanc omni studio amplectuntur. „ Deinde ad excusationem convertitur: „ Reperio verò celeberrimum monasterium „ Wessobrunn & primæ Confœderationi anno 1618. & secundæ, quæ „ eodem anno 8. Octobris Augustæ Vindelicorum facta est, subscripsisse „ per Reverendissimum D. Gregorium Abbatem p. m. cæterùm quia in „ iis litteris Confœderationis soli Reverendissimi DD. Abbates sine Con- „ ventibus subscripserunt, conclusum fuit anno 1652. formulam præ- „ scribere, qua deinceps Reverendissimi DD. Abbates unà cum Con- „ ventibus sese confœderarent: quæ quidem formula, an eo tempore „ in Wessobrunn sit missa, necne? an fortè etiam ibi nunquam expe- „ dita? planè nescio: fortè tamen ex eo factum, quo minùs Academicæ litteræ pro electione Præsidis sint missæ. Curabo tamen, ut hoc „ anno diligenter mittantur, & omnia in statum pristinum restituantur. „ Demum receptas pro Religiosis nostris in Convictu constitutis solutiones testatur, & restantium adhuc computum transmittit.

7. Sum-

7. Summa hujus computûs conficit 434. florenos: ex quo patet, tametsi ad manus meas scripto consignatum nihil pervenerit, plures eo tempore religiosos juvenes in Convictu Salisburgensi ad scientias altiores hauriendas à Wolfgango Abbate fuisse missos. Intelligi hinc potest, quàm studiosus hic Abbas fuerit tum ad promovendum Universitatis incrementum, tum ad suorum litteraturam assiduè propagandam.

8. Tandem Abbas noster, cùm à S Professione anno 1670. exegisset annos quinquaginta, & Jubilæam festivitatem communi suorum in spiritu filiorum totiúsque plebis gaudio celebrâsset, anno proximè subsequente plenus dierum & multorum de monasterio meritorum, discessit ad capienda laborum pace bellóque exantlatorum præmia.

§. III.

Eximius P. Alexander Hueber, patriâ Wessofontanus, Professione Andecensis.

9. EOdem anno, quo Wolfgangus Abbas noster ad æternitatem transiit, ab Universitate Salisburgensi & publica doctione ad monasterium suum Andecense reversus est eximius hic vir, qui apud Wessonis Fontes in vico Gaispeuntano (c) natus, & salutari lavacro ablutus, Georgii nomen accepit anno salutis millesimo sexcentesimo decimo tertio. Litterarum principiis & musicæ fundamentis in Seminario nostro imbutus ad Montem sanctum, inde ad publicum studium transiit, in quo talem tam in moribus quàm litteris profectum fecit, ut, cùm agente Numinis instinctu ad Montem sanctum supplex venisset, nec Reverendissimum D. Abbatem Michaëlem Einslinum, neque cœteros Religiosos ad assensum difficiles inveniret. Susceptus & S. Tyrocinio satis probatus anno 1632. solemnia vota nuncupavit, & nomen Georgii in Alexandri mutavit, utroque ex nomine heros.

10. Florebat jam tunc maxima sapientiæ famâ Clariss. P. Matthæus Weiss, publicus Philosophiæ primùm, tum SS. Theologiæ, demum sacræ Scripturæ Professor publicus, ac Universitatis Rector Magnificus. Sub hoc Alexander noster ad Religiosum Convictum à Superioribus missus didicit, quæ cum tempore alios doceret. Sacræ ergo militiæ & scientiarum disciplinis approbatus Tyro inter loci Præsidiarios censeri meruit. Ac primùm Rhetoricam pluribus annis distinctis docuit, semel ab anno

1638.

1638. & iterum ab anno 1667. Deinde proximo anno ad Ethicam translatus eidem cathedræ usque ad annum Domini 1671. præfuit.

11. Quæ alia præter doctionem academica munera gesserit, nihil habeo dicere; dubitari non potest, cùm cuilibet ferè cathedræ annecti soleant aliæ functiones. Solùm invenio, Comicum quoque fuisse Alexandrum anno 1640. Invenitur enim Comœdia cum titulo: Filius Prodigus *Comico P. Alexandro Hueber Andecensi.* Et anno 1669. alia, cui titulus:

Libertas sibi permissa
Domi prauriens,
Foris seducta,
Tandem resipiscens,
Seu Filius Prodigus.

Si tamen alia est, quàm illa ante viginti novem annos exhibita, novis tamen ordine, musicâ, erroribus comicis, adornata. Erat secundâ hac exhibitione Alexander vir 56. annos natus, jámque podagræ doloribus cruciari cœptus. Unde etiam quatuordecim post suum ab Academia discessum annis *Vir invicta in adversis ac podagræ doloribus patientia octavo Idus Februarii anno 1685.* obiit.

12. Duo adhuc annoto: primum, quòd is, qui Alexandrum baptizavit Parochus Wessofontanus, fuerit P. Joachimus Puechauer, postea Abbas S. Petri Salisburgi, de quo jam diximus: pater Alexandri Petrus: compater Joannes Denhart. Alterum, occasionem, cur Alexander secundò ad docendam Rhetoricam fuerit admotus, eam fuisse, quòd anno 1648. P. Benedictus Eisenhard Attilensis, tunc Poëseos in Gymnasio Professor, à Sodalibus suis Abbas electus, à scholis ad monasterium redierit, in cujus locum veteranus jam Professor Alexander successit, & à Poësi iterum ad Rhetoricam, inde ad Ethicam fuit promotus. (d)

(c) *Ex libro Baptismali ad ann. 1613.* (d) *Cætera ex Histor. Universit. Salisb. fol. 113. 116. 219.*



§. IV.

De Venerabili, ac beneficiis clarescente imagine B. V. Mariæ in Heuwinckl propè pagum Iffeldorffensem, in sacello eidem Parochiæ subjecto.

13. INsigne hoc Marianæ Bavariæ decus, ac Divinæ misericordiæ instrumentum pro grati animi affectu palam facturi, haud equidem veterum ignaviæ irascimur, quæ maluit sæpius rerum præstantissimarum origines caliginosis ignorantiæ ac oblivionis tenebris consepelire, quàm brevis operâ calami ad posteros transmittere, ac futuri quoque ævi memoriæ servare: flamma vorax tamen nobis lachrymas meritò ciere queat, quæ unà cum domo Parochiali coæva origini hujus peregrinationis documenta cineribus miscuit, ipsam extinctura rei gestæ memoriam, nisi fuisset sollicita manu P. R. D. Joannis Urbani Schwaiger Protonot. Apost. ac Parochi magnam partem vindicata; cujus Ephemerides seniorum relationibus, ac suspensis anathematis junctæ lucem tandem affundunt aliquam, quam Vulcani ignes pœnè negaverunt.

14. Ipsam imprimis Venerabilem DEI Parentis iconem lectori ante mentis oculos adducimus. E ligno fabrefacta, in justam quinque circiter pedum altitudinem assurgens, sinistro brachio natum insidentem sustentat, dextra manu, nescio, quem fructum tenet, pyrum pomúmve. Frons, oculi, vultus quoque dubites, num plus majestatis, plúsve amoris intuenti ostendant?

15. In principe Parochiæ altari stetisse hanc iconem Patrum memoriâ traditum est, sed hoc ad majorem splendorem ornato, atque mutato, nescio, cujus incuriâ, maximum istud templi decus, non solum sede sua motum, sed & ad ignobile sine cultu hospitium sub tabulata templi detrusum est, magno enimverò totius viciniæ detrimento, nisi fuisset filiali pietate A. R. D. Bartholomæi Welz p. t. Parochi, ad locum quem elegerat, translata. Hic itaque, vel ex hoc facto æternâ memoriâ dignissimus Christi Sacerdos, ne Virgo in imagine isthac jam antiquitùs culta omni deinceps honore fraudaretur, anno à parta salute 1672. eandem in vicino edito colle, Heuwinckhel dicto, quercui secùs publicam viam imponit, pias saltem transeuntibus cogitationes excitaturus: ac feliciter omnino, & non ad insipientiam sibi. Venerabilis icon quasi lignum plan-

plantatum secus decursus aquarum, fructum uberem brevi daturum, in sui venerationem primùm hos & illos ex incolis, mox plures accolas, denique ingentes undequaque hominum turbas traxit; è veneratione nata est fiducia, fiduciam verò magna adeò beneficiorum, quæ miseri quique Virginis opitulante perceperunt, seges est consecuta.

16. Nec sordida, seu avara fuit cultorum pietas, nec inconstans, quod sæpius assolet, ipse Taumaturgæ nostræ cultus: usque hodie perdurat, imo crescit, haud modicis, sed magnis incrementis, quibus recensendis eo securiùs supersedemus, quo magis omnium oculis prostant. Certè ea magno sanè argumento nobis esse debent, singulari Numinis providentiæ, volenti Matrem suam in hoc præ aliis loco honorari, non autem tumultuariæ credulæ plebis pietati hanc domum salutis in acceptis referendam esse. Itaque fidelium oblationes tam largæ erant, ut anno 1690. curante A. R. D. Joanne Seiz, Plebano illius temporis, ac loci ligneo sacello, in quod à quercu denuò beneficiis clarescens imago translata est, ac post octo annos Parochiam curante Pl. R. ac jam semel laudato D. Urbano Schwaiger, alteri justæ amplitudinis Capellæ è lapidibus excitandæ, ac musivo opere tum temporis præstantissimo, sonoro ære præterea ornandæ suffecerint.

17. Perfecerat ædificium istud Mariophilus noster anno supra millesimum sexcentesimum nonagesimo octavo: è fontibus mox nostris Hofmarchiæ Dominum Abbatem Virgilium humanissimè invitatum evocavit, qui etiam votis ejus obsequutus primum in novo templo Sacrum coram Taumaturga imagine in portatili ara obtulit, odore boni exempli haud modicis Mariano cultui additis incrementis. Demum anno 1701. 13. Sept. Reverendissimus, & Illustrissimus DD. Eustachius Egolfus L. B. de Wöstternach Ep. Dioclensis, ac Suffraganeus Augustanus, Sacellum solenni ritu sub honore Divæ Virginis, ac Sanctorum omnium consecravit, ac consuetis indulgentiis ditavit, ipsáque illa die plures campanas tum novæ Sacræ ædiculæ, tum Iffldorffensi templo servituras benedixit.

18. Frequentem cultum præterea luculenter comprobant Missæ in Virginis honorem dictatæ, quorum numerum ex MS. relatione de anno 1748. recenseo, nempe *septendecim millia centum & septem in decursu annorum quinquaginta & octo.* Communitates quoque eadem relatione teste, anno 1695. *viginti sex cum Sacra Crucis Vexillis adfuerunt*, quem numerum si hodiedum peregre venientes ejusmodi communitates non semper æquant, sanè haud multum ab illo deficiunt, imo locorum celebritate, & populi frequentiâ sic compensant, ut superent quoque.

19. Cæterùm hanc Deiparæ effigiem hoc loco ponendam censui, quòd diu jam antè Isseldorffensibus fuerit honorata, & demum, cùm seposita jacuisset, sub Abbate Wolfgango reperta, proximóque post ipsius obitum anno in loco *Heuvvinckel*, tamquam diceres, in *Angulo Fæni* collocata. Inde consultum duxi, non ulteriùs de hac pia Peregrinatione sermocinari, donec recentiora subsequantur.

CAPUT III.

Leonardus III. Abbas LIII.

§. I.

Natales, studia, electio Leonardi.

1. PRugga, non ignobile superioris Bavariæ oppidum, in Campo Principum seu prope inclytum monasterium Fürstenfeldense Cisterciensis Ordinis, à Ludovico Severo Bavariæ Duce fundatum, ad amnem Vermium situm, Leonardum nostrum in lucem dedit, parentibus honestissimis & opulentis. Pater, cursûs publici seu veredariorum magister, filium exactâ pueritiâ capacissimum ingenium ostentantem ad Electorale Gymnasium, hodie Lyceum Monacense studiorum causâ transmisit, ubi humaniores litteras & artes liberales magna felicitate & eximio profectu imbibit, arte quoque musica & characteris elegantia insignis. Cum litteris tenerrimam in superos pietatem sub cura Patrum inclytæ Societatis JEsu hausit, conceptóque rerum mundanarum tædio ad Religionem amplectendam animum admovit. Seria maturáque deliberatione divinam voluntatem exquirens, Ordinem S. P. Benedicti elegit, in quo ad æternæ salutis portum navigaret. Igitur sicut sitiens cervus ad fontes aquarum, ita ad fontes Wessonis cucurrit supplex, & promptè pro ardore desiderii sui est exauditus, atque in Religionem susceptus.

2. Novellus igitur tyro promptissimè sacræ Regulæ præcepta imbibit, ut magistro admirationem cieret, in omnibus accuratus, industrius, indefessus. Quare emenso religiosæ probationis anno ad solennem Professionem admissus, Leonardi nomen propter S. Leonardi in Inchenhofen propitii patrocinium adeptus, cùm majora indies eximiæ ad summa quæque

que habilitatis documenta ederet, sublimioribus scientiis imbuendus ad Universitatem Salisburgensem est missus, atque inde post emensum SS. Theologiæ curriculum ad monasterium reversus varia gessit officia, omnia summa cum laude, ut, cùm fato concessisset Wolfgangus Abbas, non difficilis esset deliberatio. Leonardus electus est in Antistitem, neque suorum spem fefellit, sed maximis meritis superavit.

§. II.

Leonardi Abbatis studium pro cultu divino, & S. Ordinis augmento.

3. PRimo statim regiminis anno, ut majoribus suos stimulis ad quærendos cœlestes thesauros incitaret, Privilegia Cassinensia à Sanctissimo Patre Clemente X. summo Pontifice supplex petivit. Habebat Leonardus cognatum R. P. Bennonem à S. Ottone, Ordinis Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, tunc Augustani Conventûs Priorem. Per hunc humillimas preces Romam direxit, ubi plurimum contulit R. P. Faustus à S. Basilio, Patris Generalis Carmelitarum Secretarius. Obtenta igitur, atque à nobis summo gaudio excepta est Bulla Pontificia iisdem ferè verbis concepta, quibus postea eorumdem Privilegiorum communicatio universæ nostræ Congregationi SS. Angelorum Custodum Benedictino Bavaricæ fuit concessa.

4. Verùm amplior explicandi zelum suum, & ingens pro S. Ordinis nostri profectu studium, campus se Leonardo aperuit, cùm paulò antè memoratæ Congregationis erectio multis consultationibus agitaretur. Anno demum 1684. die 26. Augusti, agente Serenissimo Electore Bavariæ Maximiliano Emmanuele, victoriis è Turcis relatis clarissimo juxta diuturna multorum suspiria à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. sub invocatione Sanctorum Angelorum Custodum instituta & erecta fuit Exempta Congregatio Benedictino-Bavarica, atque in primis ejusdem Comitiis Generalibus Ratisbonæ in Imperiali monasterio S. Emmerami celebratis dignissimus ac zelosissimus ejusdem Abbas Cœlestinus fuit primus Congregationis Præses renunciatus. (a) Magnam in hoc negotio partem habuisse Leonardum nostrum, patet ex epitaphio, in quo disertè appellatur *Promotor Benedictinæ Congregationis Boicæ.*

5. Conversus deinde ad ornandum cœnobii templum Leonardus à SS. Domino Innocentio XI. summo Pontifice impetravit corpus S. Amantii Martyris, quod expedivit Romæ Eminentissimus DD. Casparus Carpineus S. R. E. Cardinalis Vicarius Generalis per P. Carolum Felicem à S. Theresia Ordinis Carmelitani Procuratorem Generalem, anno Domini 1678. die 28. Augusti. Thesaurum hunc sacrum ut auro, argento, margaritis ad majestatem exornaret, nullis Abbas sumptibus pepercit; invenio enim in ratiociniis stetisse hunc ornatum septingentis nonaginta octo florenis. Ibidem lego, varia honoraria in eos, qui S. Pontiani Exuvias nobis procurârunt, pretio ducentorum triginta sex florenorum stetisse. Vide, quæ superiùs de S. Pontiani corpore diximus. (b)

6. Pro tenerrimo suo in castissimam DEI Matrem amore, quem aliorum quoque animis instillare zelosus Mariophilus cupiebat, introduxit Leonardus Confraternitatem SS. Scapularis Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo. Non dubito, quin eam per suprà memoratum cognatum suum R. P. Bennonem à S. Ottone Priorem Augustanum Romæ evicerit. Institutam hanc fuisse invenio anno 1675. die 15. Augusti, in festo nempe Deiparæ in cœlum assumptæ: quod intelligo de solemni introductione. Parem solemnitatem anno 1676. die vigesima Junii adornavit Leonardus ad introducendam Confraternitatem S. Sebastiani Martyris, pro qua Indulgentias Româ jam impetraverat Bernardus Abbas.

7. Quantus porrò in Leonardi pectore erga Deiparam amor exarserit, facilè discimus ex libello, quem privato usui suo propria manu conscripsit. Libello hic præfigitur titulus, & dedicatio:

Magnæ Dominæ, Cœli terræque Reginæ, Imperatrici Augustissimæ, Virgini & Matri semper intactæ, Mariæ heræ suæ colendissimæ

Natalizanti

Pio & humili affectu applaudit, se suáque omnia offert & commendat

Indignus servulus, sclavus, & mancipium inutile,

Leonardus Weiss M. J.

1667. (c)

Dein

Dein sequente Hymno Dilectæ suæ Dominæ Natalem gratulatur, séque ei in mancipium offert:

1. Gaude cœlum, luctûs velum
Atræ nubis exue.
Jam splendorem & fulgorem
Solis novum indue.

2. Gaude mundi gemebundi
Ingens rerum machina.
Ejulantis vox clamantis
Cesset omnis lachryma.

3. Siste fletum homo, lætum
Exul vultum sumito,
Et Mariæ hac in die
Natalem recolito.

4. Gaude, gaude, nova laude
Cuncta modò resonent.
Uno ore hanc clamore
Creaturæ prædicent.

5. O Maria, salve pia
Mundi potens Domina.
Te post Deum amo meum
Gaudens super omnia.

6. O Regina, ah! inclina
Aures meis precibus.
A cunctorum peccatorum
Mentem purga fæcibus.

7. Cor devotum, & me totum
Libens trado singula.
Fac ut portem hæc in mortem
Mancipatus cingula.

8. Me beatrix Imperatrix
Tuâ fove gratiâ:
Velut rore cor amore
Tui Virgo satia.

9. Cor sit stratum Tibi gratum:
Rogo, ô hoc posside.
Hoc in lecto cum dilecto
JESU meo reside.

℣. Ora pro nobis Virgo nata,
℟. Ut hæc laus nostra Deo sit grata.

Oremus.

Famulorum tuorum recordare omnipotens DEUS: & præsta, ut per B. V. MARIÆ Nativitatem in tuo & ejus renascamur amore. Per Dominum nostrum JEsum Christum filium tuum &c.

8. Addo cogitationes Leonardi Marianas, quas in fine ejus libelli invenio. „Ego dormio & cor meum vigilat ad te, O Domina mea SS. „Virgo Maria! nam ecce cùm te non laudo in ore, laudo in corde per „omnes pulsus ejus infinities sequentia dicendo, renovando &c. & per „omnia momenta infinities & repetitùm salutando Ave Maria, gratia „plena, Dominus tecum &c. toties etiam protestor de omni malo & „omnis peccati consensu, renovando omnia, quæ cogitavi, dixi, feci „bona, semper & pro semper, toties quoties.

Serviant hæc cuicumque teneriori devotione Deiparam prosequi cupiendi.

(a) *Chron. Bb. P. I. C. 38. §. 3. f. 325.* (b) *sub Bernardo Abbate LI.* (c) *Scripserat hæc nondum Abbas.*

§. III.

§. III.

Cura rei litterariæ.

9. Quam scientiæ famam ex Universitate Salisburgensi ad monasterium secum retulerat, eam in suos quoque propagare studuit Leonardus, nullis sumptibus parcens, ut quos invenisset amplioris doctrinæ capaces, eos altioribus studiis quàm excultissimos reddi curaret. Inter hos in memorata Universitate Præside P. Gregorio Wibmperger Cremifanensi, postea Rectore Magnifico, Theologicas Theses publice defendit P. Gregorius Schmid monachus Wessofontanus, AA. LL. & Philosophiæ Magister, & *Divo Walthni* (sic impressum legi) dedicavit anno 1676.

10. Anno deinde ejusdem sæculi nonagesimo primo mense Januario in communi studio Congregationis Benedictino-Bavaricæ, quod tunc in monasterio Schyrensi fuerat erectum, Præside Clarissimo illo & celeberrimo viro P. Ægidio Kibler Benedictino Andecensi Philosophicas Theses propugnavit, easque Beatissimæ Virgini Thaumaturgæ in Vilgertshoven dedicavit F. Engelbertus Praitenmacher Wessofontanus, cui Religiosus Convictus elegiaco carmine gratulatus est, cujus initium ponere sufficiat:

Quam bene conveniunt, & in una sede morantur
Cum pietate sophus, cúmque sopho pietas!
Felicem pugilem, cui contigit utraque: præstans
Virtus, & pleno juncta Sophia sinu. &c.

Et plane in virum pereruditum evasit Engelbertus noster: docuit aliquamdiu in Episcopali Lyceo humaniores litteras, deinde in monasterio variis functus officiis, Vilgertshovii quoque fervidus Parthenii cultûs promotor, demum apud Fontes œconomiam gessit, cui muneri etiam immortuus est.

11. Post biennium, anno nempe nonagesimo tertio, Præside P. Placido Stainbacher Mallerstorffensi, qui postea ad Cellam Marianam Ratisbonensis Diœcesis postulatus est Abbas ac dein Congregationis nostræ Bavaricæ Præses electus, mense Aprili Theses de Virtute Pœnitentiæ defenderunt FF. Fulbertus Lupf, & Thassilo Bölzl Wessofontani, easque dedica-

dicarunt Leonardo Abbati, tamquam Patri & Mœcenati suo. Et Fulbertus quidem haud diu supervixit, Thassilo autem, anno 1706. Abbas electus, longævis Præsulibus nostris meritò est accensendus, ut suo loco intelligemus. Cæterum iidem defendentes eodem Præside alteras anno sequente, mensis Maji die 29. Theses propugnârunt de Sacramento Pœnitentiæ, atque ita Cursui Theologico coronidem imposuerunt. Utraque horum Disputatio habita fuit in monasterio Cellæ Marianæ, ubi tunc erectum fuerat studium commune Congregationis.

12. Vix dubitare possum, quin alios quoque præter nominatos Leonardus ad studia publica erudiendos miserit, quorum tamen Disputationes ad manus meas non pervenerunt. Sufficiant hactenus enarratæ ad intelligendum, quàm minimè parcus hìc Abbas fuerit ad promovendum scientiarum cultum & suorum profectum. Demum Leonardo tamquam litteratorum Patrono dedicavit Theses Theologicas, Salisburgi Præside Clar. P. Honorio Aigner Cremifanensi defensas Rev. D. Sebastianus Mayr, Paarensis Bojus, AA.LL. & Philosophiæ Magister, ac supremæ ex Theologia laureæ Candidatus. De hoc nihil aliud comperi. Fortassè prensavit Parochiam patriæ suæ, cùm ad nos jus præsentandi respiciat. verùm hæc de rei litterariæ cura, à Leonardo præclarè & liberaliter gesta, sint satis.

§. IV.

Ædificia Leonardi.

13. Postquam Leonardum Abbatem egregium tum S. Ordinis nostri, tum Ecclesiæ suæ, tum erigendarum in altius scientiarum Architectum ostendimus, ad materialia quoque ædificia ab ipso structa descendimus. Inprimis magnificam templi portam ex arenario saxo ædificavit, magnis etiam columnis simili lapide subnixam, cui incumbit, itidem saxea Divi Petri Apostolorum Principis effigies: infra hujus pedes in fronte portæ spectantur Thassilonis, tamquam Bavariæ Ducis, & Regis Longobardorum, insignia, de eodem saxi genere formata. S. Petri claves, & circulus circum caput multo auro fulgebant: at per tempestatum ab Occidente irruentium injurias magnam partem hodie extincta. Pretium, quo porta hæc, immò potiùs vestibulum templi stetit, architectonices perito divinandum relinquo.

14. Multo majus postea molitus ædificium fuit Abbas generosissimus, dum hospitibus cujuscunque dignitatis amplum quidem, sed modestum diversorium à fundamentis erexit. Illud ab occidente exorsus longo tractu ad orientem extendit, tractúmque alium à meridie, licèt breviorem, septentrionem versùs spectantem ædificavit. Cœnacula & cubicula singulis Divis monasterii Patronis dedicata & eorum nomine vocata sunt. Ab oriente *Aula Thassilonis* perampla visitur, in qua Magnatibus plerumque mensa sterni solet. Inde S. Sebastiani, S. Amantii, S. Pontiani nominibus insignita diversoria. Scalâ, qua ad subjectum atrium descenditur, interpositâ, sequitur S. Scholasticæ nomine dictum cubiculum duplex, inde S. Benedicti nominatum cœnaculum. Interjecto dein, captandi luminis causâ, ambulacro, cubicula duo cum cœnaculo spectantur: ac demum aula, in qua olim plura monasteria, à Thassilone Duce fundata, eleganter depicta visebantur. Hodiè inutilis est hæc aula, cùm in extrema illa parte ædificium cesserit, novisque vectibus firmari, adeóque & pavimentum & summam testudinem dirui, necesse fuerit. Infra diversoria hospitum ædificavit Leonardus officinas opificum, scriniarii, zythopeptæ, carpentarii, ferrarii, pistoris, molitoris. Hæc omnia quanto steterint, architectonices peritis divinandum relinquo.

15. Sub Abbate Sigibaldo Antistite monasterii nostri XVIII. (†) meminimus fœminæ litigiosæ de *Arnoldsried*. Erant in eo loco ad Leonardi Abbatis ferè tempora duæ villæ, à colonis suis habitatæ. Quibus vel fato decedentibus, vel jura sua monasterio vendentibus (semper autem subditi nobis erant) Abbas unam ex duabus villam fecit, fœturæ & pascuis pecorum ac jumentorum peraccommodam ad œconomiæ sustentaculum. Locum hunc planè solitarium, & silvis undique septum, aptum putavit Abbas, qui ad suorum respirationem quandoque serviret. Quare præprimis muratam pro suo suorúmque diversorio domum ibidem ædificavit, subjectis vernarum cubiculis: deinde geminum, aliud boum, alterum equorum stabulum ex lapide struxit, incumbentibus utrique fœnilli & horreo. Adjecit paucis à villa pedibus elegans sacellum, in quo tres aræ ex gypso artefactæ; prima in honorem Deiparæ, SS. Sebastiani, Rochi, & Rosaliæ; altera in honorem S. Leonardi; tertia in honorem S. Wendelini, in quibus commodè sacerdotes è monasterio quandoque missi sacrificia celebrant cum magno villanorum solatio. Villam hanc spectanti facilè subibit, sumptibus non exiguis stetisse: commoda tamen hinc oritura consideranti, nihil grave Leonardo videbatur.

16. Ma-

16. Majus autem opus molitus est Leonardus, quod ad summam DEI Omnipotentis gloriam, ad Deiparæ honorem, ad singulare Christi fidelium emolumentum cederet. Issingensem S. Margaretæ Ecclesiam & Parochiam, cui jam tunc Mundrachinga & Vilgertshovium suberant, ab initio ferè Suecici belli administraverant Religiosi ex monasterio illuc excurrentes. Leonardus Abbas primo regiminis sui anno, Religiosis domi retentis, Presbyterum sæcularem A. R. D. Nicolaum Praun, Issingensi Parochiæ Pastorem dedit piissimum & zelosissimum, qui & propinquiùs oves commissas pasceret, & Ecclesiis filialibus frequentiùs invigilaret. (†) Equidem à multis jam annis, circa initium sæculi XVII. variis beneficiis, & maximè in fœminas ex partu periclitantes, inclaruerat Dolorosa Mater DEI filium de cruce depositum gremio excipiens, in effigie lignea Vilgertshovii spectabilis: jamque exiguæ veteris Ecclesiæ ibidem parietes votivis tabulis oppletæ erant. Verùm Nicolaus Parochus gravi capitis dolore afflictus, ab eoque, postquam in ara portatili coram dolorosæ Matris effigie sacrum ex voto celebrâsset, liberatus, Issinganos suos frequenter huc duxit. Horum exemplo viciniores quilibet accensi, etiam translycanis plebibus aucti, celebriorem locum fecêre. Undecim annis cùm Parochiæ præfuisset Nicolaus, obiit, postquam vivus adhuc Augustæ Vindelicorum viam stravisset, ut Religiosis Wessofontanis denuò Parochia Issingensis committeretur, unde nimirum plures ad propagandum dolorosæ Matris cultum adjutores peti possent. Ut paucis dicam, R. D. Nicolao Praunio successor datus est è monasterio nostro P. Paulus Rauscher Wessofontanus, & post eum alii. Multitudo piè peregrinantium indies crescebat, & cum advenis munera. His in subsidium assumptis Leonardus Abbas magnum Vilgertshovii templum exstruxit, quod sex ferè hominum millia capit, magnificum planè, latéque spectabile. Triginta in illud florenorum millia, ut parùm dicam, expendit. Præterea Ecclesiam Mundrachinganam totam renovavit, & novo choro, in quo ara princeps S. Viti Martyris reciperetur, ampliavit, ut populi pietati majus spatium pateret. Restauravit etiam Ecclesiam Issingensem & hanc quidem die 12. Octobris eadémque Vilgertshovensem, postridie verò Mundrachingensem, à Reverendissimo DD. Eustachio Egolpho L. B. de Westernach Episcopo Dioclensi & in Pontificalibus Vicario Generali Augustano consecrari curavit, anniversario Dedicationis die constituto in Dominicam ante festum S. Galli, quæ hodiedum in omnibus tribus Parochiæ Issinganæ Ecclesiis celebratur.

(†) Supra fol. 229. num. 24.

§. V.

De peregrinatione ad Deiparam Thaumaturgam Vilgertshovii propitiam.

17. DE prima origine venerabilis statuæ nihil certi affirmo. Basis ejus, qua fulcitur, non effigiei continua est, sed asserculis compacta & glutine eidem annexa. Leguntur in hæc basi litteræ N. & A. & inter has annus 1618. Unde, sive tunc primùm coloribus imbuta, sive renovata, satis tamen antiqua probatur, cùm triginta quinque jam annis supra centenos in honore habeatur. Dixi paulò antè, pietatem & fiduciam erga dolorosam Matrem, jam ante suspensis anathematis multis testatam, conspicuum incrementum cœpisse per R. D. Nicolaum Praun, majus dein aucto Religiosorum numero, maximum ædificato magnifico templo.

18. Reverendiss. D. Virgilius Abbas, Leonardi nostri anno 1696. Successor, qui pluribus annis magno zelo ad hujus Thaumaturgæ honorem laboraverat, fascibus admotus eò mox curam intendit, ut sub invocatione Dolorosæ matris Confraternitas quædam erigeretur. Per Reverendiss. D. Bonaventuram Abbatem Reichenbacensem, Romæ tunc in causa Congregationis nostræ commorantem, obtinuit amplissimas Communicationis privilegiorum litteras, compendio utens, à Reverendissimo P. Generali ordinis servorum B. Virginis. Verùm eæ cùm Augustanæ curiæ ex certa ratione non placerent, concessum tamen est, ut interea peregrini, qui vellent, illi servitarum sodalitati adscriberentur, donec à summa sede propria Confraternitas concederetur. Atque eo loco res steterat ab anno prioris sæculi nonagesimo octavo usque ad moderni sæculi quartum.

19. Anno tandem 1705. die 7. Augusti obtenta est Bulla, qua SS. Pater Clemens Papa XI. novam Confraternitatem erexit, & insignibus Indulgentiis ditavit. Verùm hæc Bulla, quam Pontifex unà cum honorariis ad serenissimam Theresiam Cunigundam, Maximiliani Emanuelis Bavariæ Electoris conjugem, Venetiis tunc commorantem, miserat in manus prædonum, ùt omnia cætera, incidit. Commodùm anno proximo propter publicas belli calamitates summus Pontifex Jubilæum publicavit, quo finito Religiosissimus quidam societatis JEsu sacerdos in manus suas delatam & commendatam sibi Bullam anno 1707. ad nos transmisit.

misit. Igitur anno 1708. die 15. Augusti, quanta fieri potuit, solemnitate Confraternitas Dolorosæ Matris introducta est, concursu maximo vicinorum & exterorum, quorum septem ferè millia numerata sunt. Ab ortu solis usque ad secundam pomeridianam tres erant occupati in Candidatis novæ sodalitati inserendis. Eucharistico epulo accumbentium hoc die duo millia numerati. Publica supplicatione plebes suas adduxerant Adm. RR. DD. Parochi Reichlinganus, Ludenhusanus, Illinganus, Stadlensis, Thuninganus, Hofstetrensis, Pizlinganus, Epfacensis, Aschensis, Reitensis, Wessofontanus.

20. Eodem, quo Confraternitas erigebatur tempore, cogitatum est de Confœderatione quadam in solatium defunctorum sodalium adunienda. Conferebat quisque pro facultate & bona voluntate: atque primùm tot eleemosynæ contributæ, quarum census annuus sufficeret, ut hinc quovis anni sabbato sacrum pro defunctis celebrari posset. Crevit hic fervor, ut tria, postea sex, hodie duodecim sacrificia per singulas anni hebdomadas fiant, maximo certè in Christo defunctorum solatio, quo incitati milites Austriaci nupero bello per viciniam æstivantes turmatim sua nomina sodalitati nostræ dederunt.

21. Anno 1748. Eminentissimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus, ordinis Benedictini gloria singularis, ex itinere Bavarico in Italiam revertens, Landsperga, ubi in Collegio societatis JEsu sacrum fecerat, Vilgertshovii divertit, eóque honore ipse fruebar, ut ad Fontes nostros & Montem sanctum Andecensem comes admitterer, biennio pòst, cùm, tamquam sodalitatis hujatis Præses, supplices pro Vilgertshovensi Ecclesia litteras eidem commendâssem, has Romam transmisit. Sine mora, ut visi erant libelli supplices, à SS. D. N. Benedicto XIV. clementissimè accepti, propriâque ipsius manu subscripti sunt. Recognovit, & SS. Patris manum statim agnovit Reverendiss. & Excellentiss. DD. Nicolaus Antonius Seiz Generalis Vicarius Augustanus, & concessas Indulgentias, tamquam singulares gratias, promulgari jussit.

22. Verùm quænam hæ gratiæ, quas tunc impetravi? Erat una, qua concedebatur altare quotidie & perpetuò privilegiatum, ut pluribus sacrificiis efficaciùs defunctorum sodalium piis manibus succurreretur. Extensum fuit hoc Privilegium non ad solos sodalitatis fratres, sed ad omnes Christi fideles. Altera pro solis sodalibus menstruos Conventus in Ecclesia nostra frequentantibus, *prævià tamen Confessione, Communione, & Ora-*

Nnn 2 tione

tione pro S. Matris Ecclesiæ exaltatione (sunt ipsa verba SS. Patris manu supplicationi meæ subscripta) concessa plenaria indulgentia.

23. Inde majus in hebdomadas & dies poene singulos incrementum pietatis per verem, & æstatem certè, imò & autumnum, nisi tempestas impediat, dies non abit, quin plures SS. Sacramenta postulent: præsertim qui publica supplicatione, ductu Pastorum suorum, huc veniunt, vel felicem segetem petentes, vel pro eadem obtenta gratias agentes. Hoc etsi ipsorum DD. Parochorum in hac Dioecesi zelo imputo, attamen agente S. Spiritu, & tenerrimo in Thaumaturgam nostram devotionis affectu plerosque trahi existimo: plurimos autem festivis & dominicis diebus, voti solvendi aut beneficii impetrandi causâ huc venire, perpetua experientia nos docet, cùm annis singulis ultra viginti quatuor fere millia SS. Sacramentis reficiantur.

24. Quid dicam de Beneficiis, quibus B. Virgo se invocantibus respondet? Ab anno sæculi hujus 41. usque ad modernum 53. Beneficiorum per intercessionem dolorosæ & hoc in loco singulariter propitiæ Matris obtentorum nobisque denunciatorum numerus usque ad diem, quo hæc scribo (est autem 6. Septembris) numerantur duo millia, trecenta, & ultra.

25. Annecto piissimi sacerdotis ac zelosissimi promotoris Mariani cultûs elogium, quod ejusdem in Parochiali cura successor P. Paulus Kayscher scriptum reliquit. „ Anno MDCLXXXII. die nona Aprilis piissime
„ obiit omnibus munitus sacramentis Admodum R. D. Magister Nicolaus
„ Praun, SS. Theol. & SS. Canonum Candidatus, exemplar sacerdo-
„ tum, pater pauperum, zelator animarum, restaurator Ecclesiæ B. V.
„ Mariæ in Vilgertshoven, sepultus non sine luctu totius Cleri, & sin-
„ gulariter Parochianorum, in Ecclesia Parochiali Issingensi, postquam
„ per undecim annos officium suum complevit, piè, castè, prudenter,
„ humiliter; verbo: apostolicè. „

26. Et quoniam de Vilgertshovio nunc sermo est, sacerdoti sacerdotem adjungo, Clarissimum virum A. R. D. Christophorum Seelhammer, patria Burghusianum, SS. Theologiæ Doctorem, Parochum olim Weilheimensem, libris multis, quos Tubæ nomine appellabat, ut *Tuba Anagrammatica, Civica, Rustica* &c. in lucem editis celebrem. Tantus vir laborum fessus, ut litterario otio se totum daret, à publico in solitudi-

nem

nem ſeceſſurus, Vilgertshovium noſtrum elegit, ubi inter Religioſos habitans eorumdem labores alleviavit, multus in concionando, frequens in ſacro Tribunali, peregrinorum commodis ſemper intentus. Neſcio quo deſiderio incenſus anno 1707. relicto Vilgertshovio Salisburgum, ubi antea Capellanum civicum egerat, reverſus eſt, ibique deceſſit è vivis. Librorum ſuorum, qui juſtam Bibliothecam efficiunt, hæredem pridem ſcripſerat Doloroſam Matrem noſtram Vilgertshovenſem. At paulò ante obitum â viro Religioſo de ordine mendicantium rogatus, ut libros ſuos pauperi Conventûs ſui Bibliothecæ donaret, aſſenſit Chriſtophorus. Verùm ſub ejusdem diei crepuſculum ægrè decumbenti Deipara Virgo, qualis Vilgertshovii ſpectatur, apparuit ſevero vultu eum ſic alloquens: *ergóne donationem mihi & filio meo factam revocare ac in alios usus transferre? hócne de te merita ſum materno te tamdiu fóvens ſinu, tótque te gratiis cumulans? Nónne ex reliqua tota ſubſtantia tua, paucula iſta ſervata ſunt meâ curâ & cuſtodiâ? & modò perfidè ea auferre cogitas? Vide, quid agis!* Hæc verba ipſe Seelhamerus perfuſus lacrymis ſub auroram ſequentis diei accerſito ad ſe Reverendiſſimo meo Præſuli Bedæ, tunc in Univerſitate Theologiæ & Juribus vacanti retulit, novóque chirographo donationem ſuam *Chriſto paſſo ac Deiparæ Vilgerthovii Thaumaturgis* firmavit anno MDCCVIII. die 19. Martii. Paucos inde dies ſupervixit, & in ſplendidiſſimo S. Joannis Baptiſtæ Xenodochio ad æternitatem optimè comparatus deceſſit. Manet in hunc diem memoria ejus in benedictione, commendatur defuncti anima anniverſariè inter Benefactores fidelium precibus, toties illi gloriæ augmentum accedit, quoties ex ipſius libris quidquam à nobis ad Dei gloriam & proximi ſalutem depromitur.



§. VI.

§. VI.

Acta contemporanea.

27. Chronico hæc ordine referemus. Nondum integrum annum præfuerat, cùm defuncto Amando Abbati Benedictoburano subrogandus fuit in dignitate successor. Electioni novi Præsulis invitatus adfuit Leonardus Wessofontanus, & Maurus Andecensis, tanquam Scrutatores. Electus tunc fuit Rmus D. Placidus Abbas, qui post octodecim annos rebus optimè gestis præsulatu se ultrò abdicavit. (a) Abbas Maurus Andecensis, mirum, quòd huic electioni interfuerit, domestica calamitate afflictissimus; anno enim præcedente tristes in favillas redactum fuerat Montis Sancti cœnobium, unde coactus Religiosorum partem in alia Monasteria hospites mittere, RR. PP. Anselmum & Firmatum Benedictoburam, R. P. Benedictum Reitter ad fontes nostros, alios aliò ablegavit. (b) Eam fuisse causam credo, cur ad electionem venerit cum Abbate loci, & nostro, consilia collaturus. Nobis certè P. Benedictus Reitter utilem operam præstitit, non sanguinis solùm origine Wessofontanus, sed etiam gesto, quamdiu hospes apud nos fuit, Sodalitatis S. Rosarii præsidio optimè meritus.

28. Anno 1673. Salisburgi post obitum Amandi, litteratissimi & pro Divorum honore zelosissimi Præsulis, (c) electus est Abbas Edmundus Sinhueber, qui Wessofontanos, velut suos, dilexit, omniaque S. Petri nostra esse professus est, ut sub Joachimo Abbate diximus. (d) Eodem ferè tempore Celsissimus DD. Maximilianus Gandolphus ex Comitibus Künburgicis Archiepiscopus & S. R. I. Princeps Salisburgensis Plainensem Deiparæ Consolatricis Ecclesiam Universitati donavit, à Patribus Benedictinis procurandam. Remitto lectorem ad Historiam Salisburgensem ab eruditissimis PP. Mezgeris editam. (e) Omittere autem donationis hujus commemorationem non potui, quòd Sacra Deiparæ imago hodie in Plainensi Ecclesia venerabilis, aliquot annis in Diœcesi nostra Augustana quieverit, ac prætereà duo Religiosi Wessofontani, à cathedra publica illuc remissi, Divinæ Matris cultum promoverint, donec postliminio ad sublimiores cathedras revocarentur. (f)

29. Anno 1683. totâ ferè Germania bellis involutâ, post alias cœnobiorum Bibliothecas & chartas perlustratas famâ clarissimus Dominus Jo-

annes

annes Mabillon, & Domnus Michaël Germanus è Congregatione S. Mauri, venerunt ad monasterium nostrum: verùm ob causas aliàs jam notas multis in locis parùm accepti, neque apud nos nimia humanitate tractati. Modestè tamen Mabillonius de nobis loquitur, & plusquam ductor ei ex nostris datus meruisset; ab hoc enim instructus scribit, *in media Ecclesia navi prostare antiquam Crucifixi imaginem*, quod verum est, *ad tumulum duorum Welfonum, qui monasterii instauratores fuerunt*: verùm nihil nobis de Welfonum tumulo constat, nisi de Wulfhilde apud nos mortua quidem, sed cujus sepulcrum nescimus. (g) Addit dein, *in horto scaturire tres fontes, qui Wesonis dicantur*; & adhuc fluunt: *Wesonem autem filium Thassilonis* appellat, *à quo Wesone ejusque fonte inditum loco nomen* ferretur. Venator Thassilonis, non filius, Wesso fuit, inventi à se fontis index. Denique *in Bibliotheca non multos suppresse codices antiquos* queritur, *& plerosque à Diemótha Sanctimoniali descriptos.* Nihil nempe de Ludovici Monachi codicibus ductor illi adjunctus compererat. Dolendum planè, virum tam illustrem & sidus litteratorum, vacuum à nobis recessisse. Speramus autem, quod tunc defuit, suppletum iri per R. P. D. Benedictum Caracciolum Caraffam Monasterii S. Ægidii ad Corbenium & ejusdem Congregationis S. Mauri sodalem, quem anno Jubilæo aliquot diebus hospitem sumus venerati.

-o-

30. Leonardi Abbatis tempore vixit in servitiis Monasterii olim, nunc Residentiæ Eberspergensis Abrahamus Mez Wessofontanus, rei cerevisiariæ ipsis quadraginta septem annis ibidem præfectus. Natus is erat in forestensi villa Mantelhoff appellata, & sacro lavacro regeneratus à P. Joachimo Puechauer tunc Parocho, dein Abbate Salisburgensi, anno 1607. die 23. Novembris. Ei P. Adamus Widl è Societate JEsu in libro, cui titulus: *Divus Sebastianus Ebersperga Bojorum propitius*, hoc pangit elogium: „ Meritò ipse domûs nostræ olim fidissimus custos dici potuit, à qua discessit nunquam, etiam iniquissimis belli temporibus, „ cùm incursionibus militum paterent omnia. Hic igitur vir frugi & „ per omnia rectus, ut Divo Sebastiano, cui erat addictissimus, aliquod „ sui monumentum relinqueret, maximam campanam quadraginta cen„ tenariorum Divo Martyri sacram, antehac illapsu fulminis inutilem „ effectam sumptibus suis refundi in novam curavit, pretio quingento„ rum florenorum, & quod excurrit, in pium opus expenso. Aliàs „ templi cathedram eleganti serico peripetasmate vestivit pro festis per „ annum celebrioribus. Moriens Residentiam scripsit hæredem; & „ templo præterea legavit centum & decem florenos, quo ex peculio „ factus est sericus Ornatus floridi operis pro ara summa. Obiit vir insigniter

„ signiter pius, & perpetuò cælebs, octogenario major, uti vixit, pla-
„ cidissimè, in divinam voluntatem resignatissimus, & ad iter æterni-
„ tatis optimè comparatus, munitúsque IV. Decembris Anno M. DC. LXXXVII. (h)

(a) *Chron. Bbur. Parte I. fol. 320. & 330.* (b) *Idem Chron. ibid. f. 319. Vide Hier. Aug. P. III. Regul. f. 299. ubi inter alia hoc Mauri elogium :* Monasterium voraci flamma in cineres redactum feliciter restituit in integrum. (c) *Hist. Salisb. PP. Mezger. à fol. 900.* (d) *Sub Gregorio II. Abb. L.* (e) *à fol. 913. Lib. 5. Cap. 48.* (f) *fuerunt isti Clariss. PP. Alanus Ritter & Leonardus Kloz.* (g) *Vide supra fol. 176.* (h) *Prædicti libri Monachii anno 1681. typis Sebastiani Rauch impressi à fol. 312.*

§. VII.

Obitus Leonardi Abbatis.

31. Diuturni podagræ dolores, quos non moratus vigilantissimus Abbas dissita etiam loca sellâ gestatoriâ portatus lustravit, denique eumdem confecerunt, plenum dierum & operum bonorum. Sepultus est communi suorum luctu in medio Ecclesiæ Wessofontanæ, atque magno marmori sequens epitaphium est insculptum.

Viator!
Hìc jacet & tacet,
quem saxa loquuntur,
Primus Architectus
Neo - VVessofonti.
Cultor Marianus
Sacras struxit ædes
Matri DEI Dolorosæ
Vilgertshovii.
Promotor Benedictinæ
Congregationis Boicæ,
Abbas XXV. sic rexit, (a)
Ut Leo, Gryps, Aquila. (b)
Quæris, quis sit iste?
LEONARDUS WEISS.

Pie

Piè vixit LV. Piè obiit (c)
MDCXCVI. Januarii IX.
Patri bene precare.

(a) *Supple* : XXV. annis. (b) *Alludium ad Insignia Leonardi.* (c) *Supple* : LV. annis.

CAPUT IV.

Virgilius Abbas LIV.

§ I.

Virgilii natales, vocatio, electio, gubernatio.

1. PRimam vitæ lucem & Baptismatis lavacrum Virgilius, cognomento Dallmayr, accepit apud inclytum Monasterium Bernriedense Ord. S. Augustini Canonicorum Regularium. Majores ejus honoratioribus apud illud officiis gaudebant, ut Judicis, Archigrammatæi, Cubicularii. Ibidem humanioribus litteris imbutus Virgilius Rhetoricam Monachii absolvit, atque inde supplex ad Fontes nostros venit, & sine longa deliberatione susceptus est. Præter alia munera domi gesta à Leonardo Abbate prudentiam ejus & industriam suspiciente missus fuit Vilgertshovium ad promovendum Dolorosæ Deiparæ cultum, & Peregrinationis per quotidianos animarum fructus clarescentis incrementum. Servamus adhuc plurima, ipsius manu inscripta, Thaumaturgæ nostræ admiranda beneficia. Propter talia merita Leonardo defuncto sine multa deliberatione suffectus est, & Abbas electus. Nec sanè pœnituit eum elegisse, cùm vir esset summæ mansuetudinis, & qui difficillimis temporibus superandis parem se demonstraret.

2. Prima Virgilii cura conservatio monasticæ disciplinæ fuit, & observantia Statutorum nuper erectæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ: altera cultus Deiparæ Vilgertshovii Thaumaturgæ indies promovendus. Primo statim regiminis anno dedit Issingensibus novum Pastorem, planè zelosissimum, R. P. Edmundum Göttl, qui non verbo magis,

gis, quàm exemplo virtutis gregem suum ad omnem Christianam pietatem pertraheret. Vir iste prudentiâ, modestiâ, humilitate, & mansuetudine insignis tantam sibi apud omnes existimationem paraverat, ut exposito ejus cadavere, quod serò experti sumus, felices se putaverint, qui aliquid laciniæ de vestimento ejus decerpere, sibique tamquam viri DEO acceptissimi reliquias, vendicare potuerunt. Fertur idem post obitum suum nonnemini in magno gloriæ splendore apparuisse. Anno Domini 1700. obiit vir optimus, & in templo nostro Vigertshovensi non procul ab Ecclesiæ porta sepultus est, cum hoc epitaphio:

Hîc jacet R. P. Edmundus Göttl,
VVessonis ad Fontes Professus, S. Benedicti filius,
jure in gremio Patris sui deponendus;
Sed dulciùs quiescit, qui in sinu Matris dormit;
Cultor Thaumaturgæ verè devotus,
Issingæ Parochus optimè meritus.
Obiit 15. Augusti 1700.

Epitaphium hoc ipse de saxo descripsi. Cætera debeo Clariss. P. Thomæ Aquinati Erhard p. m. quem hoc ipso anno ad tumulum secutus est germanus frater Erhardus Erhard Societatis JEsu veteranus coadjutor Ebersspergæ, uno adhuc fratre superstite P. Zacharia Erhard, Ordinis FF. Misericordiæ Sacerdote.

§. II.

Cura Studiorum.

3. PLurimam Virgilius Abbas curam in suos scientiis imbuendos impendit. Anno 1699. publicas Theses *de Dominio Religiosorum* Præside P. Josepho Inderstorffer Schyrensi defendit F. Sebastianus Hentschucher Eustadianus, Monachus Wessofontanus, easque Abbati nostro Virgilio dedicavit. Eodem anno, Præside Cl. P. Paulo Schallhamer Tegernseensi, Rottæ ad Oenum, in Studio Communi Congationis nostræ ibidem erecto, Theses Philosophicas defendit F. Thomas

Aquinas Erhard Wessofontanus; dedicavitque Deiparæ Thaumaturgæ Vilgertshovensi. Uno anno 1702. publicam in arenam descenderunt F. Narcissus Fesl Wessofontanus, Præside P. Carolo Meichelbeck Benedictoburano, Thesésque propugnavit Divis Petro & Paulo Apostolorum Principibus dedicatas die 30. Junii: alteras in eodem Rottensi studio F. Udalricus Suess Wessofontanus, inscriptas sancto Gregorio Magno, cæterisque ex sacro Ordine nostro Europæ Apostolis. Eodem anno & Præside, mense Aprili disputationi publicæ subjecit à se defendendas Theses *de Ente Rationis* F. Columbanus Unger Wessofontanus.

4. Cùm sic Virgilius Abbas Religiosos juvenes, non attentis quibuscunque expensis, ad futuram monasterii utilitatem pararet, alios quoque jam veteranos, & à decessoribus suis eodem modo exercitatos, publicis officiis adhibuit. Unus nobis sufficiat R. P. Ottmarus Zöpf, natus in Foresto Parochiæ Wessofontanæ, de quo jam aliàs diximus. Hunc anno 1686. Leonardus Abbas Parochiæ nostræ Issinganæ Pastorem dederat, quod officium cùm per quinquennium indefesso vigilantiæ studio, magnóque animarum fructu gessisset, Thaumaturgæ Vilgertshovensi propagando cultui vacare est jussus à Virgilio Abbate, & sacræ Peregrinationis Superior constitutus: quo munere insigni zelo per 4. annos perfunctus ad monasterium postea sub Thassilone Abbate revocatus Prioris officium suscepit, tenerrimè flere solitus, quoties quis subditorum de culpa sua eidem se accusaret, & veniam peteret. Fuit Ottmarus ab adolescentia vir summæ & indefessæ industriæ. Habeo scriptum ipsius manu spissum volumen, in quod, cùm in Religioso Universitatis Salisburgensis Convictu Theologiæ operam daret, conjecit in epitomen redactas plurimas Conciones à celeberrimis in Cathedrali & aliis templis oratoribus diversorum Ordinum habitas. Denique anno 1709. cùm fere quinquaginta in Religione transegisset, in ipso SS. Patris nostri Benedicti, cujus nomen à baptismo gesserat, festo ad beatam, ut speramus confidenter, æternitatem abiit.



§. III.

Ædificia Virgilii, belli calamitates, & obitus.

5. Diximus jam, & laudavimus inceptum, & ab occidente in orientem ductum à Leonardo Abbate amplissimum ædificium, in quod hospites recipirentur. Virgilius Abbas ab *aula Thassilonis*, nempe à meridie ad septentrionem perduxit, ubi hodie cœnobii porta. Præterea Abbas Thaumaturgæ Deiparæ Vilgertshovensi pridem devotissimus, cùm videret in domo lignea (Parochialis illa erat, & Issingâ Vilgertshovium, nescio qua arte, translata) Religiosos plures fovendæ plebis devotioni necessarios nimiùm anguftè habitare, domum admodum amplam ex lapidibus ædificavit, & consummavit, in qua hodie quatuor, & quinque etiam Religiosi commodè habitant, imò & adjutoribus è monasterio missis sua diversoria suppetunt. Consummata est hæc domus anno 1705.

6. Jam tunc ingruerant atrocissimi belli calamitates: jam antè Religiosi ferè omnes vel ad parentes & amicos, vel ad alia monasteria fugere coacti fuerant. In tantis tamen ærumnis Virgilius Abbas, animo constans, & infractus, tam facilè animum collegit, ut ædificium, de quo dixi, Vilgertshovianum perficeret, extremis, quæ ab hostium prædatione super erant, pecuniarum reliquiis impensis. Denique Virgilius Abbas, etsi animo constantissimus, lethargo tamen ex frequentium fugarum molestiis contracto sensim defecit, & sacris catholicis ad æternitem beatam optimè communitus obivit.

7. Epitaphium viro meritissimo positum, quod Reverendissimus Beda aureis litteris renovari jussit, ita sonat:

Dormit hic Abbas Virgilius
vigil inventus.
Sed erravi, non dormit hîc,
quem zelus ad cœlum tulit,
hac DEI excitatum voce:
Venite filii Benedicti Patris.

Mortuus

Mortuus est anno 1706.
16. Septembr. postquam vixit 63.
Omnes DEO & Ordini, nullum sibi.
Abbas XI. præfuit,
Cæteris obediendo profuit.

§. IV.

Magni Mœcenates Ordinis nostri.

1. QUàm acerba tum bellorum, tum morborum incommoda passus est Virgilius Abbas, tam multis quoque Deus solatiis quascunque amaritudines dulcoravit. Et sicut nihil illi dulcius post Deum, quàm videre auctam Deiparæ in terris gloriam, & Ordinis Benedictini incrementum, ita maximo solatio perfusum fuisse necesse est, cùm vidit indies crescere Vilgertshovii affluxum peregrinorum tum Divinæ Beneficia Matris postulantium, tum pro acceptis gratias referentium. Quantum ad sacri Ordinis nostri incrementum & splendorem attinet, singulare est illud, quòd spiritualem Almæ Congregationis nostræ Benedictino - Bavaricæ Fraternitatem principes & illustres viri desideràrint, inter quos primus est Joannes Franciscus Episcopus & S. R. J. Princeps Frisingensis glor. mem. „ Tanta sanè (scribit Clariss. „ Meichelbeckius) erat Principis illius in Ordinem nostrum propensio, „ ut ab Abbate Elilando Benedictoburano, Præside Congregationis no- „ stræ, Fraternitatem nostram ambierit, quam etiam, impetrato prius „ omnium Abbatum & Conventuum consensu, ab eodem Elilando „ Abbate non sine animi solatio obtinuit anno 1699. die 16. Octo- „ bris, qua is olim primam lucem aspexerat, in Fratrem nostrum rece- „ ptus. „ Quibus Princeps iste immortali dignus memoriâ favoribus ac beneficiis affecit, bonum volumen efficerent, sicui vacaret ea ex solo Chronico Frisingensi germanicè edito excerpere. Synopsin dedit Clar. P. Leonardus Kloz Wessofontanus in Panegyrico ejusdem funebri Frisingæ impresso.

2. Admiranda etiam fuit in Congregationem nostram devotio Illustrissimi Domini Corbiniani de Prielmeyr, celeberrimi in aula Boica Ministri & Cancellarii, cujus testimonium produco litteras ejusdem propria manu scriptas ex Belgio ad Præsidem & Abbates universos.

„ Post.

„ Postquam postremae tres belli expeditiones (quò Serenissimum
„ Bavariae Electorem, Dominum meum Clementissimum, ac ejus Mi-
„ nister & Cancellariae secretioris bellicae Director jussus secutus sum)
„ corporis mei vires, contribuente quoque provecta aetate, eousque
„ fregerunt, ut resolutionis meae terminum, qui quidem in omnipo-
„ tentis Dei manibus descriptus est, non procul esse sentirem, vigilan-
„ tis Patrisfamilias officium me admonebat, quo domui meae in tempo-
„ re disponerem. Explicata igitur & uxori, & liberis meis suprema
„ mea per scriptas tabulas voluntate, aequum fuit, ut piae ac religiosae
„ Matris meae, Congregationis Benedictino-Bavaricae in terra militan-
„ tis, pro filiali mea in illam observantia & affectu simul recordarer,
„ eique tale quid sub exitu meo relinquerem, unde cognoscere posset
„ spiritum meum, uti hactenus ab illa pendebat, etiam in ultimis die-
„ bus minimè defecisse. Quale autem illud sit, *separatum hic folium ex-
„ primit.*


„ Vos omnes, Reverendissimos & Amplissimos DD. Abbates, cae-
„ terósque Congregationis fratres ea, qua decet, veneratione inter-
„ pellans, ac vehementissimè rogans, ultimam hanc teneritudinis meae
„ tesseram iis, quò destinavi, locis custodire, finem humanae vitae meae
„ Deo commendare, ac siquem vestrum vel verbô vel factô offendi,
„ aut scandalizavi, benevolè condonare velitis. Spiritûs S. gratia, qui
„ cum Patre & Filio simul adoratur, & glorificatur, custodiat Congre-
„ gationem, communem Matrem nostram, quam possedit ab initio, ut
„ sicut ab illius igne illuminata & accensa fuit, ita ab ejusdem virtute
„ perpetuò gubernetur, quò illa filios suos in unione vera & pura amet,
„ & ab illis redametur. Valete.

„ *Reverendissimarum & Amplissimarum Dominationum vestrarum*

„ Bruxellis 4. Maji 1705.

Servus devotissimus

Prielmayr.



§. V.

§. V.

De Clarissimo viro Benedicto Finsterwalder Wessofontano.

3. Cunabula nactus est in Foresto, Parochiæ & Toparchiæ Wessofontanæ pago, qui ex vasto nemore Tassilonis venationibus celebri, succedentibus annis exciso, culturæ se habilem, multisque colonis solitarias villas & agros in alimoniam præbiturus succrevit. Patrem habuit Martinum prædii Schlittensis colonum. Sacro flumine ablutus levante Leonardo Rotmayr anno 1620. die 16. Martii, honestéque à piis parentibus educatus capacis ingenii cùm signa præberet; in Seminario Wessofontano Grammaticæ rudimenta didicit, altiores deinde classes Salisburgi (ubi jam tunc industriæ laude Doctoribus charus erat) feliciter emensus, ac utriusque Juris laurea decoratus favente non immeritò fortunâ in antiquissimo ac longè celeberrimo monasterio Cremifanensi Judicis munus accepit. Cùm dexteritatem suam atque indefessam gerendorum curam quàm optimè probâsset superioribus, majoribúsque negotiis aptus videretur, in Curiam Lincensem advocari cœpit; ibique inclyto statui Prælatorum superioris Austriæ inservire, à quo & Secretarius est electus.

4. Innotuit statim viri fama, atque ad ipsum Leopoldum Augustissimum Imperatorem pervenit: qui cùm intellexisset, quàm facilè feliciterque difficillimæ quæstiones à Benedicto solverentur, quámque ille ad hos ipsum in promptu haberet nova & vetera documenta ad tollendas difficultates, non dubitavit eum *totius Austriæ Archivum* appellare. Magnum ex Imperatoris oraculo Benedicti encomium, neque tamen immerenti datum. Cùm enim tum bellorum turbinibus, tum Religionis dissidiis variè raptata & inter se ipsam divisa videretur Austria, rara erant tribunalia, quæ certam ullam judicandi normam servarent. Plurimi non publicas consuetudines, aut antiquas leges, ac constitutiones attendebant, sed suo plerique judicio ferebant sententiam; Tribunalium judicia infinitis appellationibus ansam præbebant: id quod consequi necesse est, ubi judicio quisquam addictus proprio, in testimonium vocata constitutione vel provinciæ consuetudine promptè respondet: *exolevit.*

5. His incommodis medelam pro suis viribus allaturus Finsterwalderus edidit quatuor volumina hoc titulo: *Practicarum observantiarum ad consue-*

consuetudines Archi-Ducatûs Austriæ superioris accommodatarum Liber primus & secundus Auctore Benedicto Finsterwalder, J. U. Doctore, & Aulæ Cremifanensis Judice, nec non inclyti statûs Prælatorum superioris Austriæ Secretario, secundò Salisburgi editus MDCCXIX. approbatus verò diu ante à Clarissimo P. Mauro Liechtenheim San-Lambertino Salisburgi SS. Theologiæ Doctore & Professore 22. Martii 1687. ejusdémque anni ac mensis die 24. à Clarissimo viro Josepho Bernando Gletle J. U. D. ac Digestorum Professore.

6. Liber tertius anno 1730. altero excusus prælo, approbationes dudum acceperat à Clarissimo P. Honorio Aigner Cremisanensi, SS. Theologiæ Salisburgi Doctore, Professore, & facultatis Decano, laudante opus *à viro multis jam annis tam in theoria, quam praxi dexterrimo, sua solita soliditate congestum & elucubratum.* Et ab Antonio Hermete Jurium Doctore Clarissimo ac Pandectarum Professore, cujus de libro verba: *Jura Incorporalia mira soliditate exhibet, & magnæ eruditionis præstantes fructus continet.* Ambæ hæ censuræ datæ sunt anno 1689.

7. Liber deinde quartus, tanquam *opus luce publica dignissimum, ex quo uberrimus propter justitiam debitè administratam æque subditis ac Dominis fructus sperandus sit*, censetur à Reverendissimo ac Clarissimo Domino Nicolao Daval, J. U. Licentiato, Consiliario Consistoriali, Decano & Parocho Ecclesiæ Parochialis S. Antonii Abbatis Hallinæ supra Salisburgum.

8. Ipse porrò auctor in Præfatione ad Lectorem ingenuè dicit compilatorem se potiùs, quàm auctorem egisse: ob causas tamen, quas supra memoravi, *observationes hasce ex Jure communi, Consuetudinario, Mandatis generalibus, ac rebus judicatis colligere, easque sic collectas juris publici facere statuisse.* Unde & viri modestiam, & infatigabilem industriam, & amplissimam eruditionem in rebus Austriacis, & denique ardentissimum Justitiæ studium nemo non videt.

9. Demum de Cremifanio & superiori Austria optimè meritus laborúmque fessus decessit, de cujus sepultura, quòd non inquisierim, sera me pœnitudo subit. Reliquit post se filium omnibus studiis excultum & in spes maximas natum, qui haud dubiè parentis jussu aut monitu paucos ante annos, patriæ memor, propinquis suis, fortunæ multò minoris, donum transmisit. Ego cùm Cremifani per octo dies anno 1735. hospes versarer, à Reverendissimo DD. Alexandro III. Abbate humanissimè habitus plurima de Benedicto laude plena audivi, quæ ad memoriam tunc quidem annotata, sed minus custodita, mihi excidisse candidè fateor, præter ea, quæ breviter hoc loco commemorata sufficiant. Obiit Vir Clarissimus, Virgilio apud nos fasces gerente, quare illum hujus Abbatis historiæ censui subnectendum.

CAPUT

CAPUT V.

Thassilo Abbas LV.

§. I.

Thassilonis vocatio & electio.

1. NAtus erat THASSILO honestis parentibus Erlingæ ad radicem Montis Sancti die decimâ sextâ Septembris, anno salutis post millesimum sexcentesimum sexagesimo sexto, quo eodem vivis excesserat Insignis Abbas noster Bernardus Gering, itidem Erlinganus, quasi civis civi vacuam relinqueret sedem. Cum S. Michaelis nomine, quod in baptismo susceperat, perpetuum ejus cultum ad mortem usque cordi habuit. Litterarum & Musicæ rudimentis in Seminario celeberrimi monasterii Andecensis imbutus, atque inde Monachium ad S. Gregorii domum missus, humaniores classes & Rhetoricam egregia tum eruditionis tum pietatis commendatione absolvit. Nec diutius in mundo commorandum ratus, sed S. Spiritûs impulsum secutus integram animæ ratem, sæculi subductam periculis ad Fontes nostros appulit: susceptúsque ac annua probatione exercitatus solemnibus se votis Deo adstrinxit anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo, die trigesimo Novembris in Festo S. Andreæ, cujus in amanda cruce strenuus erat imitator futurus.

2. Philosophicis deinde, ac Theologicis scientiis in communi Congregationis Benedictino-Bavaricæ Studio admotus, sub Clarissimis Professoribus, ex celeberrimo monasterio Mallerstorffensi vocatis, nimirum Placido Stainbacher, Cellæ Marianæ postmodum Abbate & Præside Generali, & Alphonso Wenzl post quinquagenariam Professuram hodiedum superstite, sic profecit, ut ingenii sui & profectûs publica documenta bis propugnatis ex Theologia Thesibus summa cum laude dederit. Anno prioris sæculi nonagesimo quinto die decima sexta Octobris primam Deo hostiam Sacerdos obtulit: inde morum gravitate, ad res gerendas dexteritate, atque insigni erga omnes charitate indies commendatior, œconomicis primum officiis inter gravissimos bellorum turbines, quos inter & captivitatem sustinuit, perfungi est jussus; ac tandem Prioris munere ornatus ita se cunctis amabilem præbuit, ut defuncto Reverendissimo Virgilio, anno hujus sæculi sexto die decima tertia Octobris in Abbatis digni-

nitatem communibus suorum votis sufficeretur. Succedentibus deinceps annis Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis Assistens, & demum Almæ Congregationis nostræ Visitator est effectus. Hæc synopsis est vitæ illius.

§. II.

Thassilonis virtutes.

3. SEmper THASSILONIS præcipua cura fuit, legis doctrinam in seipso exprimere, quò efficaciùs eam subditis inculcaret. Quamdiu per negotia aut ægritudinem licuit, diurnum ordinem accuratè secutus, horas meditationibus, sacris lectionibus, animi discussionibus designatas diligentissimè observavit. Divinis in choro laudibus tanto fervore adfuit, ut sola ipsius præsentia sacræ psalmodiæ majestatem quandam afflaret. Plerumque in communi nobiscum triclinio, ultimis etiam annis, solebat refici; verùm nescias, utrum illi potius pabulum, cibus, an pia lectio fuerit: tam attentus illam excipiebat, ut omnes nos reddiderit attentiores. Disciplinæ custodiam suis ipse adhortationibus sæpius commendabat, & crebris visitationibus quovis tempore sollicitè urgebat: gravissimam Deo reddere rationem formidans, siquid devium observâsset, nec ad rectitudinem revocâsset.

4. Quas lex divina & monastica virtutes requirunt in Præsule, eas tam sibi familiares fecit, ut singularum ab ipso præclara peti exempla possent. Caput erat, quod persuasissimum sibi à regiminis primordio haberet, Antistitem non jam ad perfectionem tendere, sed perfectum esse oportere. Inde illa conscientiæ teneritudo delicata, inde vel minimi nævi fuga, inde horror omnis peccati. Castitatis splendorem S. Benedictus exigit: quis Præsule nostro innocentior? nullam audire historiam voluit, quæ de contrario illi virtuti vitio ageret. Fœminas nobiles, quas excipere hospitio quandoque necesse erat, animo tam virili tractabat, ut nulla desideraret humanitatem, omnes revererentur gravitatem, nulla pertingeret ad familiaritatem. Divinæ legis doctrinam profundissimè imbibit, legendo perpetuè, ubicunque cæteris negotiis liber seu staret seu ambularet, Ascetarum documenta; quæ, ubi ferebat occasio, in promptu habebat ad monendum vel increpandum quemcunque, qui vel errâsse, vel in erroris periculo versari videretur.

5. Hu-

5. Humilitatem à SS. Legislatore nostro tam frequenter inculcatam sic in se ipso coluit, ut, si externa consideres, sui ipsius negligentissimus sæpe ignoraret, quid rerum sibi deforet, nec nisi diuturno detritum usu vestimentum dimitteret; non avaritiæ studio, sed amore religiosæ paupertatis, & propriæ dignitatis oblivione; haud enim difficilis concedebat aliis egentibus omnia, quæ ipse sibi negabat. Quæ verò animi humilitas fuerit, ex eo facilè cognoscitur, quòd obvio quandoque & novello Sacerdoti communicare cogitationes suas, alteriúsque desuper sententiam requirere non sit dedignatus. Imò eò se usque demisit, ultimæ præsertim infirmitatis tempore, ut non Religiosis solùm, sed famulis quoque morigerum se præberet, nihil suo, alieno potiùs nutu suscipiens, imò, quod nos in stuporem conjecit, ne latus quidem in strato vertere, nisi jussus, auderet. Inde facilè colligas, quàm obedientem se conscientiæ arbitris præstiterit, quos sæpe adire, ex eorúmque arbitrio totus pendere solebat.

6. Prodigio similis ejus mansuetudo fuit; tametsi enim zelus disciplinæ sæpius eum excandescere coactum ad increpationes incitaret, harum tamen acerbitas subito refriguit in lenitatem, & pro magistro Patrem restituit. Accusatoribus, quàm accusatis durior fuit: difficillimus ad credendum, facillimus ad ignoscendum. Siquid aliorum famæ molestum audiret, primus ipse defensor esse, querelásque refutare consuevit. Siquando necessitas ad infligendam pœnam impulit, magis ipse cruciabatur, quàm is, qui puniebatur. Æquanimitas in adversis verè ferrea fuit, hodiéque miramur, tantis eum, quos sustinuit, terroribus supervivere diutius, senem fere octogenarium, potuisse: verùm divinæ voluntatis adoratio robur semper addidit infirmitati. Accessit orationis assiduæ fervor, frequens Venerabilis Sacramenti Visitatio, Missarum, quas celebrare debilitas corporis prohibebat, attenta auditio; unde ipse robur & mel de petra sugere videbatur, illam præcipuè familiarem semper in miseros largitatem: felix enim abiit, quicunque ad ipsiusmet aurem preces suas deferre potuit: nemo inops ab illo discessit, qui non laudaret liberalitatem. Tacemus eorum pauperum gregem, quos atra fames ad monasterii portam repere compellebat: pro istis ipse coquinam adire, & imperare edulia non gravabatur. Tacemus & illos, quos occultâ pressos egestate palam mendicare verecundia prohibebat. Subditis, ut, quod fererent, non deesset, largè suppeditabat. Rebus in omnibus sui victor, à sola misericordia vincebatur. Quàm in cæteros largus & benignus, tam in semetipsum severus fuit. Tot inter curas & labores jam sexagenarius strictam jejuniorum quàm Ecclesiasticorum, tam Regularium

larium legem, qua illum senectus exemerat, ipse sibi perpetuò observandam dictavit: senem se quidem, sed non infirmum esse protestatus. Sabbatinum præsertim jejunium, quicunque labores interdiu præcessissent, accuratissimè ad finem usque est prosecutus.

§. III.

Cura litterarum & publicæ pietatis.

7. QUantus THASSILO in propagando sapientiæ studio fuerit, enarrare, debita verecundiæ defuncti reverentia prohibet. Hoc tamen fateri nos gratitudo compellit, triginta ferè Religiosos publicis ab eo Philosophiæ, Jurium, Theologiæ studiis fuisse admotos, sexennio quosdam, quadriennio non paucos, paucioribus annis complures; neque eum attendisse sumptus, quos non fuisse exiguos prudens quisque existimabit, qui præsertim à nostris propugnatas, typisque excusas Theses consideraverit. Atque ut sequacibus calcar adesset, non paucos pro suprema variarum Facultatum laurea examinari, & approbari; quosdam ex qualibet Facultate Doctores etiam creari fecit. Ut rotundè complectamur zeli litterarii fructum, sex de suis Theologiæ, tres SS. Canonum, totidem Philosophiæ, quinque humaniorum litterarum publicos Professores tum communi Congregationis Angelicæ studio, tum Lyceo Frisingensi, tum Universitati Salisburgensi, tum petentibus exteris transmisit; nec enim Bavaricum intra circulum substitit: Theologiæ simul & Jurium Professores alium abhinc biennio Corbejam ad Visurgim, alium jam ante ad S. Georgii Montem in Tirolim dimisit, dimissumque nondum elapso anni spatio loci celeberrimi Abbatem vidit, quem etiam Jubilææ Professionis suæ habuit Encomiasten. Memorari meretur & illud, quòd communi Congregationis nostræ Tyrocinio novennalem Magistrum dederit, factum deinde studii quoque Directorem. Neque viros ejusmodi ad aliorum commoda dimittendo quidquam cœnobii utilitatibus decedere arbitrabatur, dummodo curâsset, ut in suis, & in aliis plurimis per suos glorificaretur DEus.

8. Expertus est THASSILO, quantum pro suorum virtute doctrinâque vigilaret, tantum sibi exterarum quoque facultatum accrescere: unde difficillimis licèt temporibus, suppetebant opes ad præclarissima opera molienda. His adjutus subsidiis totum à fundamentis, diruto veteri, cœnobium excitavit, quod hodie habitamus: templi Presbyterium novo forni-

fornice & immisso per amplissimas fenestras sole illustravit: Odæum post aram principem novum & amœnissimè sonorum construxit. Taceo vel funditus ædificatas vel restauratas œconomiæ commodo villas, & eleganti pergulâ muróque circumducto ornatos Wessonis fontes. Tres Ecclesias, primam S. Vigilii in Ried, alteram Parochialem S. Margaritæ in Issing, tertiam ad L. Leonardum in Forst à fundamentis erexit: quorum omnium pulchritudinem majestate vincit Morenweisense Parochiale templum, itidem à Thassilone funditus ædificatum, & splendidissimo altari decoratum, quod intuens Reverendissimus quidam & Illustrissimus Visitator magnæ cuilibet civitati ornamento futurum, planéque invidendum asseruit. Quid de aris dicamus? In Wessofontano templo è regione sacelli, quod Serenissimus Bavariæ Elector glor. mem. MAXIMILIANUS EMANUEL Immaculatæ Virgini magnificentissimum fundavit, aliud pulcherrimum THASSILO eduxit, & SS. P. Benedicto consecravit. Matri S. Spei, & S. Magdalenæ altaria mole parvâ, arte elegantissima, specie gemella constituit: alia item duo Reginæ SS. Rosarii, & S. M. Scholasticæ, SS. Martyrum Amantii & Pontiani exuviis insignia. In Vilgertshovensi Basilica Divo primùm Udalrico aram excelsam; deinde geminam loco principe Virgini Dolorosæ ac Thaumaturgæ construxit: plura etiam huic templo erat ornamenta collaturus, nisi Mars & mors consilio obstitissent. Postremum suæ in Deum Eucharisticum religionis monumentum est, splendidissimum ac peramplum tabernaculum, quod ingredientium cœnobii templum oculos animósque insigni majestate ad Numinis adorationem invitat.

9. Denique quanto zelo honorem divinum zelatus sit THASSILO, silentibus nobis, exteri testabuntur. Ubicunque sive in vicinis civitatibus, sive in locis religiosis, etiam remotioribus, vel sæculi transacti memoria, vel sancti cujusdam in Divorum catalogum relati solemnitas, vel salutiferæ Crucis, sacrive cujusdam Corporis festiva introductio agebatur, ipse Coriphæus esse gestiebat, & Pontificio ritu splendorem festivitatis amplificare. Nec patria solùm nostra frequenter eum in his occupatum vidit, sed ultralycanæ quoque Ecclesiæ, ut Auxiliensis in Campo Lycio, Turckeimensis, Schongaviensis. Neque itinerum longitudo, neque tempestatum injuriæ septuagenarium retardabant, quò minus ardori suo obsequeretur. Et profecto huic ipsius desiderio, quo in publicæ pietatis augmentum ferebatur, ipsum cœlum manifestè favebat. Nam vix regimen aggressus invenit in sacello vetere, quod diruendum erat, septem integra Martyrum nostrorum, B. Thientonis Abbatis & sociorum corpora, cum corpusculo Venerabilis Diemotæ, Monialis quondam Wessofontanæ,

tanæ, ac nobilissimæ calligraphæ: tot SS. Cinerum thesaurum è tenebris in templi lucem produxit. Accessêre succedentibus annis corpora SS. Maximi, & Vincentiæ: hujus in ara Immaculatæ Virginis, illius in ara S. Benedicti exuvias summa solemnitate Thassilo collocavit. Copiosum illi solatium attulit triplex sodalitas, ipso Præsule tùm aucta, tum recens instituta: prima Dolorosæ Matris in Vilgertshoven cum peculiari pro defunctis fœdere: altera Immaculatæ Virginis apud Wessonis fontes, quæ in omnem ferè Europam est propagata, & à summis Principibus, ipsóque Augustissimo Imperatore singulariter culta: tertia demum SS. P. Benedicti, quam fidelium pro bona morte sollicita pietas paucos intra annos frequentissimam fecit. Adjungatur Parochia Isseldorffensis, quam ad humillimas THASSILONIS preces unà cum celebri ad Deiparam in vicino colle propitiam peregrinatione Serenissimus ac Reverend. ALEXANDER SIGISMUNDUS Episcopus Augustanus monasterio nostro incorporavit.

§. IV.

Obitus Thassilonis.

10. SAbbato in Albis subitaneâ tactus apoplexiâ THASSILO noster, nec tamen è vestigio examinatus; cùm pridie conscientiæ suæ arbitro clarè dixisset, *vocari jam se ad æternitatem; unum esse, quo angeretur, quòd, durante infirmitate regularia exercitia non potuerit debitum juxta ordinem persequi.* Monitus verò, sufficere DEO exercitium patientiæ & resignationis, lætus ac subridens discessit. Sedens ad ultimam cœnam comedere nihil voluit, memor jejunii Sabbatini, hujus fuerat semper observantissimus. Sic accumbentem lethalis defluxus obruit. Nec mora: sacro chromate ad æternitatem unctus, lectóque commissus totam noctem elinguis pia inter suffragia traduxit, ipsiúsque Dominicæ maturo sole subitò vi magnâ Christi effigiem arripuit, quam veluti gladium læva manu (nam dextera jam inutilis languebat) fortiter tenuit, & nunc exosculans, nunc velut in adversarios stringens, difficilem cum animæ suæ hostibus pugnam pugnavit, donec inter astantium filiorum preces conquievit, & paulò post spiritum, tot examinatum probatúmque laboribus, Creatori suo placidissimè transmisit horâ octavâ matutinâ Dominicæ in Albis, candidam in cœlis stolam induendus, illis à Deo promissam, *qui non inquinaverunt vestimenta sua;* hi enim, ait Dominus, *ambulabunt mecum in Albis, qui digni sunt.* Apocal. c. 3. v. 4. Amisimus itaque Præsulem, & Pastorem vigilantis-

sanctissimum anno ætatis suæ septuagesimo septimo, sacræ Professionis quinquagesimo quinto, sacerdotii quadragesimo octavo, Præsulatus trigesimo septimo, Christi nati 1743. meritò inter maerobios nostros Abbates numerandum. Sit memoria illius in benedictione!

11. Annecto, in perpetuam gratitudinis meæ tesseram, chronologicum ex S. Evangelio desumptum Lucæ 15. v. 32. & olim, cum aliis indidem depromptis à me in singulos regiminis annos, Thassiloni Frisingæ dedicatum, de sacra professione mea anno MDCCXVII. facta.

epVLarI & gaVDere oportebat, qVIa frater tVVs

hIC MortVVs erat, & reVIXIt: perIerat, & InVentVs est.

Reliqua lectori de Thassilone cogitanda relinquo, qui me viginti & unum ferè annos natum, una commendatione Mœcenatum, una mea supplicatione, anno 1716. ad sacrum tyrocinium suscepit.

§. V.

Viri litterati, eorumque labores.

12. POst annos plurimos ab obitu P. Thomæ Ringmayr diuturni in Universitate SS. Theologiæ Professoris ex postliminio de Wessonis Fontibus promotus ad cathedram Rhetorices fuit Clar. P. Alanus Ritter, patria Dencklinganus, professione S. Ordinis noster. Suscepit simul officium Comici, & anno centesimo erecti Salisburgensis Lycei, quo se ad Thaumaturgam Auxiliatricem Phirenensem docendæ Philosophiæ parabat, in theatro exhibuit Connubium Religionis & Sapientiæ in Nursio & Jovina, anno 1718. eodémque anno Philosophiam docere publicè cœpit. Post biennium Ethicæ & Historiæ cathedris admotus, altero biennio elapso ad Theologiam moralem, & hinc scholasticam gradum fecit, variis præterea, ut Præfecti scholarum, Secretarii Universitatis, Præsidis Congregationis Majoris, Vice-Rectoris, muneribus perfunctus. Scripsit discursus Philometaphysicos, & selectas ex universa Theologia Quæstiones. Sermones Parthenii ad Sodales habiti adhuc in scriniis nostris servantur. Apoplectico defluxu afflictus, frustra adhibitis aliquamdiu balneis & medicinis, in monasterio optimè ad mortem comparatus decessit anno 1736.

13. Clariss. P. Leonardus Kloz, patria Geltendorffensis, professione Wessofontanus, in Universitate Salisburgensi humaniorum & Rhetorices Professor, Præfectus Scholarum, Comicus, anno 1721. Philosophiam docere cœpit. Finito illius cursu transiit ad Lyceum Frisingense, ibique septem annis iterum Scholarum Præfectum & SS. Theologiæ Professorem egit. Demum ad Universitatem revocatus integro octennio Theologiam docuit, simul Præfecti Scholarum ac Vice-Rectoris munere perfunctus. Edidit præter Philosophicas & Theologicas Theses complures, Orationes sexaginta octo, plerásque in majori Congregatione Salisburgensi Deiparæ in cœlos assumptæ dictas, cum Panegyrico in funere Joannis Francisci Episcopi Frisingensis recitato. Absoluto Theologiæ cursu ad monasterium reversus ex hydrope decessit omnibus ad mortem Sacramentis munitus, vitæ 57. Religionis 35. Sacerdotii annis 30 peractis.

14. Venerabilis P. Thomas Aquinas Erhard Stadlensis Bojus anno 1696. die 9. Decembris solemnia vota apud Fontes nostros DEO nuncupavit, primam hostiam anno 1702. die 21. Decembris litavit. Infesto deinceps Martè omnes ferè nos in fugam compellente, Thomas Benedictoburam se recepit: ubi dum versatur, commendante illius eruditionem Reverendissimo loci Præsule, Monachium vocatur, & Illustrissimorum Comitum de Seefeld moderator constituitur. Pacatiore dein tempore reversus ad Fontes, majorum jussu ad Thaumaturgam Vilgertshovensem transiit, ubi usque ad obitum vixit, litterarum studiis & peregrinantium obsequiis vacans. Elaboravit ibidem *Artem Memoriæ*, seu expeditam excerpendi methodum, item *Clavem auream* seu Artis memoriæ compendium: *Gloriam S. Benedicti*, quatuor aut quinque voluminibus: *Biblia Latino-Germanica*, *Isagogen* de S. Scripturæ studio, *Regulam S. Benedicti* in versus distinctam, *Librum de Imitatione Christi* cum ejusdem Concordantiis & Paraphrasi Thomæ Mezleri, *Polycratem Gersenensem*, & alia quædam in publicam lucem data. Ultimus Thomæ labor fuit *Academia Mariana*, vastissimum opus futura, cùm viginti volumina, quæ habemus, nondum ad mediam illius partem pertingant. Demum non morbo, sed senectute fractus in corona sodalium suorum obiit die 8. Januarii 1743. & in Ecclesia Dolorosæ Matris, cui plusquam triginta annos serviverat, Vilgertshovii est sepultus.



§. VI.

§. VI.

De antiquitate & cultu Imaginis Marianæ sub nomine Matris Sanctæ Spei in Templo Wessofontano propitiæ.


15. HÆc quoque Veneranda icon cultus sui incrementa haud modica Mariophilo nostro, Thassiloni inquam, debet, qui eandem renovatam, quantùm fieri potuit, altari è gypso ad marmoris invidiam surgenti à se exstructo imposuit, atque hac ratione in publico templo ad communem populi pietatem prostanti venerationem insignem conciliavit, simul & omnium intuentium mentibus ingenti à tam sanctæ spei matre, quæque petendi, ac impetrandi fiduciâ instillatâ.

16. Sacra hæc imago, (antiquissimum enimverò opus) saxea est, haud sculpta tamen, sed fusa videtur, cujusmodi columnas plurimas in hodiernum diem apud fontes nostros visere est; & certè licet conjicere, artem fundendi lapides, & arenas, argillatoriæ artis more in imagines cogendi apud Majores etiam nostros floruisse, quæ tamen incuriâ temporum interiit. De arte hac apud plures Authores sermo est, & ipse S. Thiemo ex Monacho Altachensi Archi-Episcopus Salisburgensis eam in Palæstina exercuisse narratur. Cœterùm Divæ matris situs sedentis est sub deaurata concha, Divinam prolem læva sustinentis, pedibus verò lunam prementis. Nescio Parens Filio, an Filius Matri pomum porrigit? uterque vultu lætitiam præferens de recuperato, qui pomi morsu perierat, mundo triumphare videtur. Hodie postquam in majus Monasterii templum translata est Venerabilis Icon, Virgo & Filius pretioso vestitu decori manum sceptro, capita coronis onerant. Artificis manus quando evaserit hæc statua, aut qua ratione ad nos devenerit? documentis destituti, ignoramus quidem; antiquitatem verò, quam ipsum artefactum præsefert, si consideremus, ac præterea perpendamus, inchoati cultûs indicia nulla reperiri, sed id solum constare illam unà cum aliis similibus duodecim statuis SS. Apostolorum in prima Monasterii nostri (a) B. V. Ecclesia stetisse, in qua non alii, quàm qui maximum Fontibus nostris splendorem sanctitatis dederunt, quorúmque translationem quoque jam sub B. Thieztone (b) retulimus, tumulari consueverant: fortè haud immeritò quis eandem ipsi Monasterio coævam suspicari posset. Ultimis porro temporibus, quo adhuc vetustissimum istud Sacellum stetit à Thassilone nostro, anno 1707. primum, ne novo clau-

ſtro ædificando moras poneret, destructum; ſacra verò imago haud quidem in altari, ſed alio templi locô viſebatur, inde tamen fors ſede ſua motum à Paulo II. ejus nominis Abbate, qui anno 1471. Eccleſiam hanc totam quantam detersâ vetuſtate novo ſplendore induit, Chorum novum, ſive Odæum depangendis Divinæ Matris Laudibus accommodum ſtruxit, & in ampliorem ambitum laxavit, tria altaria ſtatuit, quæ poſtmodum anno 1474. conſecrata primum Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, cujus aſſumptæ imaginem pictam aræ novæ impoſuit; alterum Sanctæ Annæ, tertium Divi Viti Martyris nominibus inſigniebantur, Organo Pneumatico denique, & campanellis Templum ornavit, indulgentiis quoque Roma impetratis, quarum Diploma pridem (c) recitavimus. Divinare ſaltem licet, fuiſſe tum S. Imaginem locô, ſed non templo motam. Cæterùm inſtitutam eo tempore credimus Litaneuticas preces decantandi conſuetudinem, quæ hodiedum ſingulis Sabbatis frequentatur, aræ S. Spei Capellæ vices ſubeunte, in qua etiam Sabbatina miſſa à Grymoldo Presb. in veteri templo (dem alten Münſter) fundata translata, ſingulis ſeptimanis celebrari ſolet.

17. Quidquid ſit, Apoſtolorum ſtatuis temporum ſeu injuriâ ſeu incuriâ fractis, ſervata eſt non ſine numine DEI Parentis imago, & in dies magis præſtitis gratiis clareſcit, verè *mater S. Spei, in qua nemo ſperavit & confuſus eſt*, cujus effuſiſſimum cultum, quo illam incolæ tam Monaſterii, tum totius viciniæ deperennt, deſcripturo, aut oblationes ad ornatum illius largiter factas, reportatáve ab implorantibus haud minus animæ, quàm corporis beneficia enumeraturo vix juſtæ molis volumen ſufficeret, ſed tacemus illa; ad te Gloria Jeruſalem & gentis noſtræ, ſontium noſtrum tam multiplex decus Virgo ter admirabilis convertimur: *Sis nos tu viſita, ſicut te colimus*, at dum te in tot imaginibus propitiam veneramur, Matrem Sanctæ Spei te omnibus monſtrare nunquam deſinito.

(a) *fol. 26. n. 41. & fol. 71. n. 5.* (b) *loco mox citato.*
(c) *fol. 73. n. 2.*



§. VII.

§. VII.

De origine, ac cultu celeberrimæ imaginis Immac. Conceptionis B. V. Mariæ in Templo nostri Monasterii propitiæ.

18. *Lludit in humanis Divina Potentia rebus.* Regiæ cujusdam in Germania Principis effigiem felici penicillo adornaverat F. Innocentius Priflingæ, Ratisbonam propè, Ordinis nostri Conversum professus, ast non terrarum, sed Cœli Reginæ servituram: namque Divino quodam perculsus œstro R. P. Placidus Angermayr p. m. primus deinceps institutæ ad hanc Sacram imaginem, ac per totam poene Europam propagatæ Sodalitatis Præses, qui tum in eodem celeberrimo Monasterio versabatur, sancta importunitate instat, ac urget pictorem: donaret sibi hanc imaginem, ac in Deiparæ effigiem mutaret, suæ posthac devotioni, quoad viveret, futuram. Cessit tandem Innocentius, deletâ Regiâ, quam capite gestarat, coronâ, sertóque à rosis ac liliis frontem ornans terrenam Principem cœli Dominam, Dei matrem creat, ac Placido nostro salutandam tradit, cœterùm, ut & aliorum petitis satisfaceret, jamjam alteri se pingendæ Principis illius imagini accingens; Ast nolebat Virgo Diva sub ejusdem vultûs specie cum homine coli: subito, ac miro casu, Innocentius utriusque oculi jacturam passus intellexit ultimò, sed sanè nunquam melius, Mariæ laboravisse. Superiorem tantùm corporis partem S. Icon exhibet, caput defluit quidem per collum, vinctis tamen crinium cincinnis, oculisque demissis lævam in partem flectit, humeros cæruleo involvit pallio, pectus copiosis gemmis, ac divite auro ornat; cœterùm cœlestî, ac nulla humana arte imitabili vultûs modestiâ invitas quoque mentes mira suavitate demulcens, in sui reverentiam, ac amorem rapit. Certè quamvis innumeræ Divæ Virginis effigies ad nostræ imitationem pictæ, sculptæ, excusæque exstent, omnem tamen etsi solertissimam artificum industriam cœlestis illa vultûs modestia fefellit; & tamen sanctæ memoriæ Clemens XI. PP. primo sibi exhibitæ copiæ aspectu astantibus fassus est: *In hac icone latet aliquid cæleste, meretur Confraternitatem*, quam etiam clementissimè concessam, ac Principali Romanæ Imac. Concept. B. V. ad *S. Laurentium in Damaso* (hodie ad Ecclesiam *Ara cæli* translatæ) Sodalitati univit, insigni indulgentiarum thesaurô adjectô.

19. Instituta est itaque anno 1711. Pontificia, ac Episcopali authoritate sodalitas, cui jam primo biennio 16000. diversorum statuum homines nomina dedere, quorum numerus hodie ad sexcenta millia excrevit; neque id cuiquam mirum videri debet, cùm se Divæ nostræ cultus neutiquam intra Patriæ, aut vicinarum terrarum fines continuerit: in Bohemia quoque, Tyroli, Austria, Styria, Carniola, Hungaria, Alsatia, Belgio, Italia, Gallia &c. Sodales nostros, eos haud paucos reperire est, ut adeò Confraternitatis libelli vix non totidem linguis imprimere necessum fuerit, ac Immaculatè concepta Virgo in hac nostra icone verè *dominetur à mari usque ad mare*, eò quòd illius Veneratio jam à mari Veneto, cui adjacet Forum Julii, ad usque Germanicum mare, Catholicum Belgium alluens dilatata sit. Quid multis? soli actuarii, seu promotores Marianæ Congregationis supra trecentos viginti quatuor, copiæ verò Originalis attactu sacræ à nobis petitæ ad 200. numerantur, quæ omnes in Templis, ac Sacellis expositæ, haud rarò impetratis etiam corporis animique beneficiis clarescunt.

20. Sed nec solum vulgus sub Thaumaturgæ nostræ signis militare gestit: scatet Marianum Archivium votivis formulis, quas Ecclesiastici, & Sæculares, non solùm primi subselli, ac nobilitatis Sodales, mitrati Præsules, sed & purpurati Principes, coronata imò capita propria subscriptas manu, ac Regiâ munificentiâ graves misêre, & respectivè adhuc quot annis mittunt; sufficiat illos adduxisse, quorum largitate ipsum Divæ Virginis sacellum, & ara resplendet: Illud Serenissimus Elector Maximilianus Emanuel anno 1723. & 1724. propriis sumptibus à fundamentis erexit, hanc sanctissimus Pater Benedictus XIV. perpetuò ac quotidianô pro defunctis privilegiô munivit, Augustissima Imperatrix Maria Amalia integro, ùt vocant ornatu, ab arte phrygia pretiosissimo, ab Augustissima verò artificis manu inæstimabili vestivit, huic altari Regia, ac Electoralis Saxonico-Polonica Princeps Maria Antonia Ducissa Bavariæ duplicem vestem, quarum altera nuptialis fuit, unà cum votiva formula imponi præcepit. Eminent. verò Cardinalis Ottoboni Sacrum S. Vincentiæ V. & M. corpus donavit, ad hanc denique Purpuratus Ecclesiæ Princeps, Cardinalis Angelus Maria Querinus, Sodalitatis Protector zelosissimus votum, quod hìc Sacrificans fecerat, (a) exsoluturus, lampadem ex argento splendidissimam suspendit, ut verò amori suo in Dei matrem faceret satis, brevi temporis intervallô argenti pondere gravissimam S. P. Benedicti statuam, utrique B. V. Immaculatè Conceptæ, & S. Benedicti Sodalitati à se oblatam, Regiâ sanè beneficentiâ misit, similem Sanctæ Virginis Scholasticæ additurus, & quidem

fors


fors ante ipsa millenaria nostra festa, ùt ejusdem litteris, vix non, dum hæc scribo, supervenientibus docemur. Sed magni hujus Præsulis merita proprium sibi locum in nostra historia postulant. Aliorum quoque Principum, atque præprimis serenissimæ Bavaricæ domûs in Divam nostram beneficia, gratias item petentibus fidelibus miras sanè collatas &c. ne justò prolixiores simus, Wessofontanæ famæ his de rebus, quot annis edi solitæ nuntianda relinquimus. Solas Eminentissimi Querini litteras subnectentes, quibus R. P. Veremundum Eisvogel sodalitatis Præsidem de acceptato Protectoris munere certiorem reddit; Mariano affectu plenæ ex Italico sermone hunc latium sensum reddunt: „ Mox ut Brixia Romam redii, Epistolam Paternitatis vestræ accepi; gratissimus enimverò, ac jucundissimus accidit honor, quem mihi tributum video, dum in Protectorem electus sum Confraternitatis, cui Paternitas vestra dignissimè præsidet. Poterit igitur denunciare omnibus hujus sodalitii fratribus lætitiam, quam percepi ex officio isto in me collato: eo quòd maximam inde fiduciam conceperim, fore, ut copiosissimè adjuver devotis illorum orationibus, quibus mihi Immaculatæ Virginis Matris, & gloriosi Patriarchæ S. Benedicti patrocinia concilientur. Spondeo præterea R. Paternitati vestræ, cordi mihi maximè fore omnem memoratæ Confraternitatis profectum, anxiéque attenturum ad quamvis occasionem, ejusdem commoda promovendi. Qui vicissim singulos monasterii vestri Religiosos, ut mihi in SS. sacrificiis suis subveniant, precor ac persevero

Paternitatis vestræ multum Reverendæ

Ex corde addictissimus

Card. Angelus Maria Querini.

(a) *Ita ipse Emminentissimus in Commentar. de rebus suis Partis 2. libro 2. fol. 320.*



§. VIII.

§. VIII.

De Confraternitate S. P. Benedicti in monasterio Wessofontano erecta.

21. EXpertus erat Thassilo, quod Ecclesiasticus c. 3. 5. ait: *sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam;* itaque statutis suâ curâ, vigilantiâ & ope tam insignibus Mariani amoris, ac cultûs monumentis, ut & patrem honoraret filius sapiens, summæ sedis ac serenissimi Aug. Episcopi Alexandri Sigismundi accedente consensu S. P. N. Benedicti sodalitatem anno salutis 1734. introduxit, sacellum eidem splendidissimum erexit, atque haud minus magnificum altare struxit. Veloci incrementô crevit & ista Confraternitas, ac benedicente DEO, non tantùm in viciniam, sed & copiosissimè in Bohemiæ Regnum propagata ac hucusque ultra 96. millia sodalium adaucta est. Actuarios verò & Promotores plures ex sacris Præmonstratensium, ac Cisterciensium Ordinibus numerat, ac veneratur. Pro majori porro illius incremento Eminent. DD. S. R. E. Quadagni ordinis Fratrum B. V. Mariæ de monte Carmelo eximia largitate S. Maximi Persæ M. corpus ipsi sodalitati donavit, adeò omnibus partibus suis integrum, ut Reverendissimus Augustanus Generalis Vicarius Joannes Adamus de Nieberlein ne quidem rogatus sibi aliquot reliquias servare voluerit, veritus, ut ajebat, *ne sanctus quondam in DEI judicio contra se insurgeret incusando: integer veni ad te, & tu imminuisti me.*

22. Pretiosissimo huic thesauro cimelium addidit inæstimabile nunquam satis laudandus S. R. E. Purpuratus Princeps Eminentissimus Angelus Maria Querinus, non tantum oblata à se S. Benedicti ac promissa altera S. Scholasticæ ingentis pretii statua, de qua largitate supra mentionem ingessimus, sed magis inclusa ipsi statuæ insigni ex brachio ejusdem sanctissimi Monachorum Patriarchæ particula, cujus fortitudinem altera mox ab adventu die ipsi S. P. Benedicto sacra prodigiosô beneficiô experti sumus: dignum existimavit purpuratus Pater, ut litteras Reverendissimi DD. Abbatis nostri Bedæ, quibus facta nobis cœlitùs gratia eidem nuntiabatur, publici juris faceret, ansam sibi præterea sumeret sectarios falsissimorum præjudiciorum, quibus Ecclesiam onerant, commonefaciendi; itaque percepti beneficii descriptionem daturi, ipsas dictas litteras

teras unà cum Authenticis S. Reliquiæ testimoniis, & monito ad heterodoxos subnectimus, prout ab Emminentissimo Cardinalo Brixiensibus typis editæ fuerunt.

23. MIRABILIS DEUS IN SANCTIS SUIS.

Epistola amplissimi, & Reverendissimi Abbatis Wessofontani ac totius Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præsidis Generalis

Ad Eminentissimum & Reverendissimum D. D.
ANGELUM MARIAM QUIRINUM
S. R. E. CARD. BIBLIOTHECARIUM ET EPISC. BRIXIÆ.

Eminentissime Pater, Domine Clementissime.

Allata est in tempore, omnique possibili solemnitate ad Fontes Wessonis excepta pretiosa & elegantissima Statua Sanctiss. P. N. BENEDICTI, una cum acclusis. Reddo totam seriem. Clementissima Epistola, quæ continebat authenticam attestationem S. Reliquiæ Sancti BENEDICTI, duabus septimanis prius allata miram in me, meisque sollicitudinem ac desiderium acuit recipiendi in tempore tam nobile munus, præsertim post dictam attestationem jussu meo publice supra mensam lectam, quæ sollicitudo mire aucta est, dum 15. Martii nec dum comparuit Monachii. Tandem 17. ejusdem tempore vespertino nunciatum Monachio, advenisse ibi salvam. Quare missi illuc cum curru rem ita solerter disposuerunt, ut eadem Statua, horis diurnis nocturnisque junctis, in vigilia Sanctiss. Patris circa horam secundam pomeridianam jam advenerit Wessofonti, ubi extracta est arcula, & ferculo jam præparato superimposita interim collocabatur in ingressu portæ claustralis, seu in ambitu Abbatiæ, donec solemnis Processio adornaretur. Instituebatur hæc circa horam quartam, dum Statua ferculo imposita à quatuor Sacerdotibus Religiosis in floccis sub pulsu solemni campanarum, & continua explosione æneorum nostrorum tormentorum, sereno & favente Cœlo, deportata est à porta Conventus per atrium apertum à Ministris, toto Conventu in floccis, sodalibus Confraternitatum in togis comitantibus: dum interim Sclopetarii nostri cum venatoribus tumultuarie

 colle-

collecti sese concinno ordine in area monasterii collocantes, transeunte Processione aliquoties suas Sclopetas in signum lætitiæ simul solverunt. Dum ventum est ad Ecclesiam, Statua in media ara S. BENEDICTI, jam decentissime in crastinum ornata, collocata est, & solemnes Lytaniæ de SS. Patre BENEDICTO; more hac die consueto, decantatæ sunt ibidem, præsente copioso populo in honorem S. BENEDICTI congregato. In ipso festo SS. Patris à summo manè usque ad 12. non solum una Missa post aliam, sed etiam solemnis Missa SS. Rosarii dicta, quod sub ea a conferto populo, exposito Venerabili SACRAMENTO palam recitari solet, à P. Veremundo Præside; & post Concionem (quam quidam R. P. Carmelita Schongavio invitatus cum justissimis elogiis EMINENTIÆ SUÆ munificentiæ habuit) solemne Officium cum secundis Vesperis à me in Pontificalibus decantatum est in eadem ara è latere, seu Capella S. BENEDICTI, subsistente ibidem continuo Statua cum S. Reliquia, quæ ita adaptata est aræ & spatio illius medio, quasi mox à prima constructione id factum fuisset. Aderant de more in monasterio ad hanc festivitatem Religiosi diversorum Ordinum ex sex vicinis monasteriis: qui omnes nobiscum vehementissime admirati & venerati sunt, inprimis pretiosam & insignem particulam Brachii SS. Patriarchæ nostri BENEDICTI, thesaurum incomparabilem: deinde pretium, & elegantiam ipsius Statuæ: quæ omnia nos in hodiernum diem suspensos, attonitos tenent, quin capiamus, unde tanta EMINENTIÆ SUÆ in immeritos Wessonis Fontes munificentia, & profusæ gratiæ in bino nimis pretioso munere, Lampade, & Statua, abundantissime monstratæ. Non possumus sane vel cogitare de condigna gratiarum actione, sed solum Deum, omnium bonorum retributorem, precibus, & Sacrificiis exorare, ut de thesauro gratiarum & donorum suorum in tempore, & æternitate suppleat insufficientiam nostram.

Magnitudo beneficii clarescit magis ex casu sequente, quo SS. P. BENEDICTUS fortitudinem sancti sui Brachii super nos ostendit, dum sacra Reliquia vix hic possessionem nacta est. Dum in ipsa solemnitate in monasterio solemnia Divina agebantur, circa horam septimam matutinam in quadam Villa nostra bene ampla, integra hora a monasterio distante, remotaque ab aliis domibus & hominibus, incendium periculosissimum, furno (nescitur quomodo) ignem concipiente, & ignitas flammas super tecta lignea evomente, exortum est, dum omnes Villani Wessofonti Divinis aderant, ob ferias per Ditionem nostram servari solitas, præter tres personas, quarum una ad monasterium, altera ad proximum pagum, suppetias petitum dimissæ & missæ sunt, unico famulo incendium spectante potius quam sopire prævalente: quod ultra horam

horam sese in tantum continuit, ut nullum notabile damnum intulerit, licet ex correpto jam tectorio ligneo ardentes scandulæ in aream horrei foeno & stramine plenam deciderint, eousque innoxiæ, donec ex monasterio, & aliis locis suppetias advenerint, totumque periculosissimum incendium potius divina, quam humana ope extinctum fuerit sine gravi damno: quod nemo non pro miraculo habet, & potentissimæ protectionis SS. P. BENEDICTI, hujusque sacro Brachio supra nos extento adscribit. Ego interim istorum omnium ignarus quietus steti ad Aram, donec mensam accedenti & periculi, & miraculi relatio facta sit. Fuisset damnum multorum millium florenorum. Deo & SS. Patri BENEDICTO sint infinitæ laudes & gratiæ.

Magnanimitatis, & munificentiæ EMINENTIÆ SUÆ testes perpetuo erunt Congregatio Bavarica, cujus juribus tuendis in Romana curia benignissimè laboravit, Universitas Salisburgensis cum missionibus Alpinis Ordini nostro commissis, quibus sustentandis intra breve tempus septingentos, & quadraginta florenos contribuit, & singulariter monasterium hoc Wessofontanum cum Confraternitate Mariana Immaculatæ Virginis, & sancti Patris BENEDICTI, ejusdem Confraternitatis te vere protectorem (quem titulum in te suscipere dignatus es post obitum Cardinalis Petri Ottoboni) contestantur magnificentissima Lampas argentea ante aram Beatæ Virginis appensa, & Statua S. BENEDICTI paris magnificentiæ nuperrime huc advecta. Pater Veremundus Eisvogel Confraternitatis utriusque Præses in eam spem adducitur, ut ad imminentem Millenarii Wessofontani sæculi gloriosam Festivitatem Clementissimum, ac Eminentiss. DD. PROTECTOREM certe præsentem veneremur. Sunt hæc vota omnium Conventualium ardentissima, quæ Deus confirmet potenti gratia. Invitatio satis emphatica sequetur, cum tempus fuerit designatum tantæ solemnitati perbene congruum. EMINENTISSIME PATER! recordamur adhuc illorum verborum, quibus in ultimo discessu â Wessofontano nos omnes consolabatur cum dicto, & annutu Clementissimo, *Brescia non adeò distat Wessofonte, forte nos Deus iterum conjunget*. Hæc dictante coelo! Jam spe optima fretus, cum propediem sanctum Pascha immineat, precor EMINENTIÆ SUÆ lætum Allelusa & plena gaudia paschalia, & cum devotissimo sacræ Purpuræ osculo me, meumque monasterium, totamque Congregationem Bavaricam clementissimæ Protectioni demississime commendo

EMINENTIÆ SUÆ

Wessofonti die XXIV. Martii anno MDCCLIII.

Humillimus & obsequentissimus Servus

BEDA Abbas.

ANGELUS MARIA Divina Miseratione Tit. S. Praxedis CARDINALIS QUIRINUS Commendatarius Tit. S. Marci, S. R. E. Bibliothecarius, Archiepiscopus, Episcopus Brixiæ, Dux, Marchio, Comes, &c.

UNiversis, & singulis præsentes Nostras inspecturis fidem facimus, atque testamur, quatenus Particulam ex BRACHIO S. BENEDICTI *Abb. Monachorum Patriarchæ asservato in arca existente retro altare Capellæ SS. Crucis hujus Ecclesiæ Nostræ Cathedralis extractam, ac dissectam præsentibus Septemviris Publicis hujus Illustristrissimæ Civitatis, una cum D. Pro-Vicario Nostro Generali, ac Cancellario Nostro infra scripto; reverenter reposuimus, & collocavimus intus thecam argenteam ovalis figuræ ab anteriori parte crystallo clausam, & funiculo serico a posteriori parte rubri coloris colligata, Nostroque in cera rubra hispanica impresso sigillo pro majori dictæ S. Reliquiæ identitate obsignatam, ad majorem Dei gloriam, Sanctorumque venerationem, dono dedimus, & elargiti fuimus Ven. sodalitio Conceptionis Immaculatæ Mariæ Virginis, & ejusdem S. Benedicti erecto in Ecclesia Abbatiæ Wessofontanæ Monachorum Benedictinorum Congregationis Bavaricæ, cum facultate penes se retinendi, & in eadem, seu alia qualibet Ecclesia, Oratorio, seu Capella publica Christi fidelium venerationi exponendi. In quorum fidem has testimoniales litteras manu Nostra subscriptas Nostroque sigillo munitas expediri mandavimus.*

Dat. Brixiæ in Palatio Nostro Episcopali hac die 20. Februarii 1753.

(A. M. Card Quirinus Episc.

Jacobus Pinzoni

J. U. D. Cancell. Episc.

Brachium S. BENEDICTI *deductum fuisse è monasterio Casinensi prope Civitatem Beneventanam sito ad Leonense Cœnobium* (nunc Abbazia di Leno) *in Agro Brixiano fundatum, fidem facit Chronicon Regum Longobardorum ab ann.* DLXVIII. *ad an.* DCCCLXXXIII. *Authore Monacho monasterii Brixiani ad Leones olim celebratissimi. Antiq. Ital. Medii Ævi Tom. IV.*

Non longe post introitum Regni (*Desiderii*) & inchoationem hujus cœnobii (*Leonensis*) Domino cooperante, & prænominato excellentissimo Rege translatum est à Civitate Beneventum de Casino Castro quædam Corporis partem Beatissimi atque excellentissimi Confessoris BENEDICTI Abbatis, & ab Urbe Roma Corpora Beatorum Martyrum Vitalis, & Martialis, & in eodem Sacrosanctum conditum est Cœnobio.

Vu-

Viceversa Brixia ad Casinense Cœnobium advectum fuisse Brachium S. FAUSTINI *ejusdem Urbis Patroni, fidem faciunt Chronicon Casinense Authore Leone Card. Episcopo Ostiensi, & Chronicon Vulturnense Authore Johanne ejusdem Cœnobii Monacho. Rerum Italic. Script. Tom. I. P. II.*

Chronicon Casinense loquens de Petronace Monacho Brixiano, qui Brixia ad Casini Cœnobium profectus ante medietatem Sæc. VIII. ejusdem constitutus fuerat Abbas, hac habet: Hic Ecclesiam Beati Martini, quam parvulam reperit, sedecim fere cubitos auxit; ibidemque absidam efficiens in honore Beatæ Mariæ semper Virginis, & sanctorum Martyrum FAUSTINI, & JOVITÆ in ea Altarium statuit, in quo etiam Brachium unius illorum, quod secum de Brixia asportaverat decenter recondidit.

Chronicon Vulturnense de eodem Petronace, factaque per ipsum monasterii Casinensis restauratione tempore Zachariæ summi Pontificis ita loquitur: Hoc tempore idem Petronax Beati FAUSTINI Martyris Brachium illuc secum attulerat.

MONITUM AD HETERODOXOS.

Cavete, quæso, ne ex piis ritibus ac solemnibus cærimoniis, quibus Cœlites honorare, eorumque opem apud DEUM deposcere consuevit Ecclesia Catholica, scandalum aliquod capiatis, ut mos vester est; nam si rem serio perpendetis, ipsemet religiosus fervor ille noster vobis demonstrare valet, seu parum, seu nihil fiduciæ in propriis operibus bonis à nobis reponi, ac proinde omni studio curari, ut Cœlites apud Deum intercessores nanciscamur multo quidem utiliores, quam si inter nos medio degerent, horumque precibus sese infirmitas nostra commendaret, ea scilicet ratione, quam nec ipsi vos usque adhuc, ceu in Christum Mediatorem injuriosam, ausi estis improbare.





ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ.

Angelo Mariæ Quirino
Illustrissimæ, Antiquissimæ, ac Senatoriæ
Quirinorum styrpis
Clarissimo syderi,
Felicissimæ soboli,
Parenti imò,
Qui omnem Proavorum gloriam in se uno complexus,
Totam in se renatam,
Non Posterorum labili memoriæ,
Sed ipsi æternitati genuit,
Familiæ pridem Purpurâ, ac Sceptrîs inclytæ (a)
Corona immarcescibilis.

Ordinis S. P. Benedicti,
Congregationis Cassinensis
Alumno,
Olim Florentini Monasterii Abbati,
Totius Benedictinæ Religionis
Defensori fortissimo,
Benefactori perpetuo,
Gloriæ immortali,
Cui, dum,
Ceu Virga Aaron, vix sacrario illatus,
Unà flores, ac fructus honoris, & honestatis germinans,
Ac proferre non desinens,
Eosdem
Assiduâ munificentiâ,
Materna sollicitudine
Fraterno amore
Cunctis decerpendos offert,
Jure optimo,
Fiduciâ filiali
Benedictina Italia, Gallia, & Germania (b)
Plaudens acclamat:
Abba Pater!

Cor-

Corcyrensi Archi-Episcopo

De Toga ad Pallium felicissimè translato,
Dum Pastor bonus
Græcanæ non tantùm fidem, sed & invidiam superans,
Annuente Grajugenâ Præsule,
Utriusque gregis oviculis,
In uno Ovili congregatis
Verbi Divini pabulum tanta sinceritate dispensavit,
Ut tantùm non faceret utraque unum.

Brixiensi Episcopo

Fausto Jove
Ad SS. Faustinum, & Jovitam translato,
Pontifici
Ad Christi ideam,
Pauli Regulas,
Tridentini Concilii Apices
Exactissimo,
Lucernæ ardenti in domo Dei,
Ad Sacrorum Præsulum exemplum
Supra candelabrum positæ,
Cui Brixia Civitas
Templũ Cathedrale ad ipsius Romæ, ac Græciæ invidiam Magnificentissimũ
Musæ
Bibliothecam celeberrimam,
Clerici
Seminarium splendidissimum,
Infirmi, ac debiles
Nosocomium amplissimum,
Pauperes,
Quorum gregem in numeris, & loculis servat,
Exhaustâ egestate
Non jam Eleemosinas, sed pene divitias (c)
Debent.
Moribus verè Angelo, (d)
Formæ gregis ex animo,
Quem assidua sollicitudine

Materno

Materno affectu,
Quotidie novum in Christo parturit,
Donec Christus formetur in illo. (e)

S. R. E. Cardinali Presbytero

Domus DEI
Verè Cardini, ac lapidi angulari,
In qua,
Veritate Catholica ad Ipsorum impugnantium reverentiam defensa,
Errantibus syderibus
Quasi stella matutina in medio nebulæ: (f)
Virtutum splendore
Fidelibus Populis
Quasi luna plena in diebus suis;
Publicis in Ecclesiam meritis
Abundantiùs omnibus,
Non ad privatam gloriam,
Sed ad commune exemplum
laborans,
Quasi sol in meridie coruscans
refulget.

Vaticano Bibliothecario,

Ac Dotatori munificentissimo,
Musarum omnium Delicio,
Sapientiæ Oraculo
Per omnem Europam notissimo, celeberrimo,
Vivæ potius Bibliothecæ nomine
Insigniendo,
Templorum Conditori, ac Benefactori profusissimo,
Piarum omnium causarum Promotori perpetuo, (g)
Quòd præ aliis Germaniæ Monasteriis,
Quæ suis donis, Patrocinio, Præsentia, Amore ditavit,
His nostris Wessonis Fontibus
Argenteam lampadem,
Divi Benedicti statuam ejusdem reliquiis sacram donaverit,
Alteram S. Scholasticæ promiserit,
Bibliothecam eruditissimis suis lucubrationibus auxerit,

Mon-

Monasterium amore perpetuo, protectione continua, Beneficentiâ assiduâ
Dignetur, Tueatur, Prosequatur,
Grati animi monumentum
Publicis Historiæ tabulîs consignatum
statuit
Anno à condito cœnobio millesimo
Beda Abbas,
Ac Conventus Wessofontanus.

(a) *Illustrissima hac familia inter Progenitores suos recenset Sergium Sulpitium Galbam Romanum Imperatorem, Mauritium & Joannem Galbaios Duces Venetos &c. Hybneri Lexicon Universale Verbo Quirini.* (b) *Hac & alia pro Ordinis, sua, ac aliarum Ecclesiarum bono Eminentissimi Cardinalis acta sciendi cupidum lectorem remisimus ad ejusdem Commentarios de rebus suis Brixia editos anno 1749. & ad Epistolas Geminas Abbatis D. Antonii Sambucca de gestis quibusdam praclaris Eminent. DD. Card. Quirini in latinum traductas, ac Augusta Vind. editas sumptibus ipsius hujus Bibliopola D. Ignatii Wagner 1749.* (c) *Effusissimam hanc, & sanè admirandam charitatem in pauperes latius describit citatus Sambucca Epist. 1. fol. 3. & 4. & Epist. 2. fol. 11. & 12.* (d) A fœminis (*verba sunt Sambucca Epist. 1. fol. 3.*) adeò est alienus, ut juramento ausim adstruere, ab octodecim annis, quibus ipsi servio, nunquam me illum vidisse cum ulla colloquentem. (e) *Pastorales ac personales labores tum in laudatis Epistolis tum in ipsis Commentariis videre est.* (f) *Dogmaticas, atque alias doctissimas litterarias Eminent. Cardinalis lucubrationes recenset ingens ejusdem Operum Catalogus Brixia Italico idiomate impressus per Joannem Mariam Rizzard.* (g) *Testes sunt vel in sola Germania Berolinensi Catholicorum Ecclesia donata magnifica Christi Magdalena apparentis statua, contributio facta ad readificationem monast. Ettalensis, item pro Missione Benedictina in Alpibus Salisburgensibus &c.*

CAPUT VI.

Beda Abbas LVI.

§. I.

Chronologia Bedæ Abbatis.

1. REverendissimus ac Amplissimus DD. Beda Schallhamer Anno 1684. die 10. Januarii spectabili familiâ, à Ferdinando III. scuto gentilitio decorata, Deisendorffii Provinciæ Salisburgensis oppido natus, è S. Sacro fonte Pauli Erem. nomen tulit. Absolutis Juvavii humaniori-

manioribus, ac Philosophicis disciplinis Religiosæ vitæ tyrocinia positurus ad Monasterium venit die 20. Sept. 1702., quamquam Ordinem profugis superiore bello Religiosis primum 1704. 6. Januarii in Epiphaniæ festo professus sit. Theologicis inde disciplinis, ac utroque Jure cùm in Communi Congregationis nostræ Studio, tum in Salisburgensi Universitate imbutus, atque Sacerdos 1708. 2. Junii initiatus, decima septima ejusdem mensis die primam Deo hostiam ad aras litavit, deinceps cellæ Vlnariæ præfectus; sed 1714. ad Canonicam Congregationis nostræ cathedram evocatus illi tum Prislingæ, tum Michaelfeldæ totum sexennium præsedit, quod alterum domi anno 1721. Prior electus, ac 1724. confirmatus Monasticæ Disciplinæ impendit. Granarius deinde 1727. & Archiviarius rem œconomicam promovit, anno 1731. denuò integro triennio Prior, donec 1734. Lycæi Frisingensis Regens, ac SS. Canonum Professor renunciatus est, primus ab Eminentissimo ac Serenissimo Principe ac Præsule Theodoro ex illius Lycæi Regentibus inter Ecclesiasticos Consiliarios adlectus. Septenniô ibidem expletô Salisburgum accitus supremâ Juris utriusque Laureâ redimitur 1741. 23. Aug. atque denuo Jus Pontificium docuit, donec editis pluribus Thesibus, seu variarum Canonicarum quæstionum elucubrationibus Anno 1743. die 30. Julii unanimi calculo Abbas sit electus, Confirmatus verò 23. Aug. ac solenni benedictione consecratus 25. ejusdem mensis, ac anni die. Anno denique 1747. exiguo temporis intervallo simul Lycæi Frisingensis, Universitatis Salisburgensis, ac Exemptæ Congregationis nostræ Præses renuntiatus est, quod ultimum dignitatis officium jam in tertium triennium confirmatus adhuc hodie gerit, Quinquagenarius Ordinis ac Monasterii hoc ipso nostro millesimo anno Professus, cui Deus O. M. Jubilæum quoque Sacerdotium ac Regimen clementer indulgeat!

§. II.

Labores Literarii Confratrum Viventium.

1. A. R. R. P. Veremundus Eisvogel p. t. Senior, olim in Communi Congregationis nostræ Studio S. Scripturæ Professor, ac Concordantiarum nostrarum præcipuus promotor, præterea complures Asceticos libros typis vulgavit: *Concordiam animæ Benedictinæ cum Deo*, seu Meditationes quotidianas ex vitis Sanctorum Ord. nostri: *Mane nobiscum*, seu exercitia quotidiana, Devotiones, ac institutiones pro usu Tyronum nostræ Congregationis, item *Recipe Medico-Christianum* pro piè exercitantibus, *Consolatorem animæ* pro Patribus Spiritualibus seu confessariis &c.

A. R.

A. R. R. P. Virgilius Sedlmayr SS. Theolog. Exam. & Approb. Philosophiæ ac Theologiæ per 20. annos Professor emeritus vix non integram utramque Disciplinam plurimîs editîs Thesibus illustravit. Ejusdem etiam elucubrationes de famosa controversia circa amorem Dei purum vel interessatum omnium manibûs teruntur.

A. R. R. P. Cœlestinus Leuthner in Frisingensi Lycæo, ac Salisburgensi universitate per plures annos Humaniorum, ac Rhetorices Professor hujatis historiæ auctor Opuscula varia Comica, Poetica, & Ascetica edidit, alia ex Italico sermone translata Latinâ aut patriâ linguâ donavit.

A. R. R. P. Alphonsus Campi J. U. Doctor, ac olim Sacrorum Canonum tum in Communi Studio tum in Principali Monasterio Corbejensi SS. Can. Professor ex eadem facultate Theses edidit, Libros plures scripsit publica luce dignissimos.

A. R. R. P. Gregorius Zallwein J. U. Doctor noviter erecto Clericorum suorum seminario à Reverendissimo ac Celsissimo S. R. J. Principe DD. Josepho ex Comitibus de Thun Episcopo Gurcensi primus Regens ac SS. Theologiæ Professor datus, p. t. in Universitate Salisburgensi SS. Canonum Professor, Theses plures eruditissimas, seu *Prolegomenales ad Jus Pontificium Dissertationes* typis vulgavit.

A. R. R. P. Josephus Maria Packenreith Philosoph. Doct. SS. Theolog. ac J. U. Exam. & Approb. superioribûs annîs in Comm. Studio Philosophiæ Professor plures ex eadem Disciplina Theses, sub. Tit. *Usus contra abusum Logicæ Sophisticæ* & *usus Logicæ Analyticæ* & *Sepicæ* publici juris fecit.

A. R. R. P. Bernardus Hipper *vitam S. P. Benedicti* à Cæsare Calino conscriptam criticis notis auxit, atque eandem, ac plura hujus Auctoris opera in patriam, nuperrimè verò *Muratorium de nævis in Jurisprudentia* occurrentibus &c. &c. in Latinam linguam transtulit.

3. Cæterùm, cùm vix non omnes ex vivis Confratribus in concinnandis *S. Scripturæ Concordantiis* egregiam, ac indefessam operam navaverint, ut neque illis debita laus decedat, Apostolicum Breve subnectimus, quo nostros labores Sanctissimus in Christo Dominus, ac Pater Benedictus XIV. Pontifex Maximus honorare dignatus est.

BREVE APOSTOLICUM.

DILECTO FILIO

BEDÆ ABBATI

WESSOFONTANO,

PRÆSIDI

CONGREGATIONIS

BENEDICTINO-BAVARICÆ.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem. Magnam sane ex epistola tua de Concordantiis SS. Bibliorum nova & hactenus non visa methodo, commodiori ordine, sensuque pleniori concinnatis in lucem edendis anno proxime elapso ad Nos data spem conceperamus, fore nimirum opus hujusmodi, etsi cæteris præstantius, non tanti tamen faciendum, quanti re ipsa experti sumus. Nam non sine ingenti lætitia pœne hæsimus hesterna die, cum Dilectus Filius MARCUS CARCANUS Palatii Nostri Apostolici in munere Adjutoris Bussolæ constitutus, Nobis in primis acceptus, qui inclytæ Congregationis tuæ negotia jam diu accuratéque in hac alma Urbe Nostra gerit, volumina illa typis impressa, Nobisque inscripta, tuo & ejusdem Congregationis nomine obtulit. Quoad autem per tempus Nobis licuit eadem volumina revolvere, mirati profecto sumus immensos labores cum diuturnis assiduisque plurimorum Congregationis tuæ virorum sapientia, prudentia, & omnigena eruditione insignium studiis conjunctos, quorum opus fuit, ut pro votis editio hujusmodi omnibus numeris absoluta prodiret, & communi applausu ubique exciperetur, & maxime omnibus Orthodoxæ Fidei cultoribus Divinarum Scripturarum studiosis utilitati futura esset, quemadmodum Nobis omni procul dubio auguramur. Eapropter tibi, dilecte fili, tuisque alumnis ex corde gratulantes, meritas quoque Apostolicæ prædicationis laudes rependimus, & gratum obstrictúmque Pontificium animum Nostrum tam pro eximio munere, quam pro ejusdem operis dedicatione profitemur. Etsi autem pro certo habe-

habemus, ab Omnipotenti DEO, pro cujus Divini honoris incrementi tot suscepistis labores, uberrimam coelestium charismatum mercedem Tibi ipsisque Religiosis Alumnis retribuendam esse; Nos tamen, vobis persuasum esse cupimus, opportunas praestolari occasiones, per quas Nostrae etiam remunerationis argumenta vobis praebeamus. Caeterum te dilecte fili, & ejusdem Congregationis Alumnos, quamvis sponte sua tuoque auspicio ac ductu propensos rogamus & hortamur; agite, & ad DEI eloquia dulciora super mel & favum semper meditanda, novisque Christianae pietatis & Catholicae eruditionis vestrae documentis adaugenda operam omnem studiúmque traducite, ut per consolationem scripturarum spem habeatis, firmiori prophetico sermoni attendentes quasi lucernae lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat, & lucifer tam in vestris, quam in omnibus Christi fidelium cordibus oriatur. Interim tibi, dilecte fili, & universis Congregationis Religiosis viris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX. Septembris MDCCLI. Pontificatûs Nostri anno duodecimo.

CAJETANUS AMATUS

§. III.

Memoria Confratrum defunctorum sub Beda Abbate.

A R. R. P. Meinradus Franck vir spectatissimae virtutis, ac maximae in rebus agendis dexteritatis, ac prudentiae, qua sibi ad amorem ac familiaritatem usque primae nobilitatis Viros ac Magnates conciliavit, Monasterii plurimis negotiis, ac muneribus gnaviter, & feliciter gestis, ac saepiùs Prior salutatus, fractus demum senectute, ac laboribus diem supremum obiit 9. Augusti 1745.

Hunc anno sequente 1746. 13. Decembris secutus est A. R. R. ac Venerabilis Senior noster P. Sebastianus Hentschuecher, integerrimae vitae, ac singularis innocentiae senex, ac Jubilaeus Ordinis Professus, sua peritiâ, ac industriâ rem domesticam, cui à multis annis praeerat, insigniter curavit, ac promovit.

A. R. P. Hermannus Aussenhoffer vir per omnia utilis, ac indefessus, dum Wessofontanæ Parochiæ præfectus infirmis oviculis ad æternitatem parandis sollicitam operam exhibet, ac jamjam eadem lue afflatus cum Parochianis Andecium peregrè abit, ibidem pastor bonus pro ovibus animam posuit, 1747. 16. Maii in Sacello SS. Sacramenti ad pedem montis sepultus.

Anno 1750. 9. Decembris mortuus est A. R. P. Marianus Wiser vir à natura, & gratia copiosis donis ornatus.

A. R. P. Edmundus Schwaiger, postquam multis annis Oeconomica varia officia gnaviter gessit, per sexennium denique Prior anno 1752. 14. Septembris in festo B. V. Mariæ de mercede laborum suorum præmia (ut pie speramus) percepturus ad plures abiit.

Denique paucos ante dies nempe 26. Augusti nobis communi nostrum planctu ereptus est A. R. R. P. Rupertus Mayr ad summa quæque natus, aut factus potius à natura cunctis se amabilem & affabilem præbens, diversa officia maximè cum laude gessit, Parochus præsertim zelosissimus, atque Sacri Curionis Officio immortuus etiam, dum de cathedra inchoatis jam Missarum solemniis ad populum verba facit, apoplexia tactus post brevem luctam tranquillus exspirat.

His ergo ac omnibus monasterii nostri defunctis Confratribus, Benefactoribus, ac familiaribus, ut Deus O. M. isto Jubilæo anno, ac tempore pœnarum indulgentiam concedere ac requiem æternam donare dignetur, nobiscum Candide Lector precare.

Ut in omnibus glorificetur DEUS.



CATA-



CATALOGUS
CONVENTUS WESSOFONTANI.

Ven. D. P. Bonifacius Wagner Rottensis Bojus, Prior.
R. P. Dominicus Hagenauer Salisburgensis, Sub-Prior.
R. P. Veremundus Eisvogl VVeilhaimensis Bojus, Senior.
R. P. Benedictus Millbaur Erdinganus, Bojus.
R. P. Virgilius Sedlmayr stadlensis Bojus.
R. P. Amantius Franck Obern-Viechtachensis Palatinus.
R. P. Cœlestinus Leuthner Traunsteinensis Bojus.
R. P. Alphonsus de Campi, de monte sancto Bulsanensis Tyrolensis.
R. P. Paulus Nagl Alten-Frauenhovensis Bojus.
R. P. Gregorius Zallvvein Obern-Viechtachensis Palatinus.
R. P. Josephus Maria de Backenreith Landishutanus Bojus.
R. P. Udalricus Mittermayr, Augustanus Suevus.
R. P. Bernardus Hipper, VVeilhaimensis Bojus.
R. P. Petrus Marstaller, Mundrachingensis Bojus.
R. P. Maurus Beyrhamer, Salisburgensis.
R. P. Placidus Kellner, Frunheimensis Suevus.
R. P. Romanus Kandler, Veldensis Bojus.
R. P. Thassilo Beer, Schongaviensis Bojus.
R. P. Anselmus Kastl, Augustanus Suevus.
R. P. Leonardus Schmid, Landspergensis Bojus.
R. P. Bonaventura Völckhl, Ensdorffensis Palatinus.

R. P.

R.P. Sympertus Schvvarzhueber, Augustanus Suevus.
R.P. Maximinus Eckart, Ysmensis Algoius.
R.P. Sebastianus Altinger, Veldensis Bojus.
R.P. Angelus Maria Widmann, Beissenbergensis Bojus.

R.F. Engelbertus Goggl, Tegernseensis Bojus.
R.F. Pontianus Schallhard, Salisburgensis.
R.F. Joannes Damascenus de Kleienmayr ex valle Zilleriana, Tyrolensis.
R.F. Augustinus Ashpacher ex valle Achensi, Tyrolensis, Novitius.
F. Thiento Sailer, Wessofontanus Bojus conversus.
F. Waltho Pambler, Arnschvvangensis Bojus conversus.



Index I. Historicus

Rerum, Locorum, ac Personarum notabilium,

In hoc opere occurrentium.

Prior numerus paginam, posterior marginalem notam indicat: Personæ etiam haud ita celebres plerumque ad loci aut Styrpis cognomina referuntur.

Schis-

C. Cæ-

C.

F. Falcken-

B. Hen-

I.

L.

Lapi-

M.

N.

Thassi-

Si-

Volck-

IND. II.

INDEX II.
STEMMATOGRAPHICUS
Nobilium Familiarum,
quarum nomina, facta, aut fata in hoc opere occurrunt.

Prior numerus paginam, posterior notam marginalem, littera B. verò adjecta Beneficia à tali stirpe fuisse Monasterio collata indicat.

De Cal-

Rech-

S.

T.

U.

W.

Z.

HISTORIÆ MONASTERII WESSOFONTANI PARS SECUNDA,

SEU

Appendix Instrumentaria,

Antiquissimis Membranis, Diptychis, Chronicis, Episcoporum & Abbatum Catalogis, & maximè documentis in Parte I. promissis, illustrata

A

P. COELESTINO LEUTHNER, BENEDICTINO WESSOFONTANO, EXEMPTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ SECRETARIO, PROTONOTARIO APOSTOLICO IN CURIA ROMANA IMMATRICULATO.

PERMISSU SUPERIORUM.

M. D. CC. LIII.

AUGUSTÆ VINDELICORUM & FRIBURGI BRISGOIÆ,
Sumptibus Fratrum Ignatii & Antonii Wagner, Bibliop.



PRÆFATIO.

1. OMitti poterat hæc Pars Instrumentaria, nisi eam in prima Parte hinc inde allegâssem. Erat & operæ pretium, venerandæ antiquitatis monumenta è tenebris in lucem proferre, unde multorum Sanctorum Acta ac Germaniæ, & præsertim Bavariæ, historia illustrentur. Primo loco Benedicti I. inter Abbates nostros VIII. Calendarium collocavi, circa quod animadvertendum, defunctorum nomina eidem inserta non esse omnia eiusdem ævi, imò paucissima, sed sæculi X. XI. & XII. à Christo nato: immò etiam vereor, ne Stephanus noster unum alterúmve recentius festum eidem inseruerit.

2. Chronologiam Imperii, utpote ex veteribus membranis à Leopoldero collectam, non inutilem vel injucundam curiosis putavi. Verùm hoc lectorem moneo, attentè & discretè ut legat; non enim semper, ut res gestæ sunt, sed ut geri desiderata sunt, ita scribebantur, pro scriptoris affectu. Quare de Ecclesiæ & Imperii Capitibus sub illa schismatum & dissidiorum tempora pro sua multos inclinatione scripsisse, manifestum est. Acta Walthonis, quæ prima Parte produxi, etsi in iisdem complura Diplomata iam legantur, tamen ampliùs illustranda putavi ex Codicibus Leopolderi.

3. Sub-

3. *Subnexui antiqua documenta miscellanea ex membranis noni & sequentium trium sæculorum, coætaneis desumta. I. Prædia Monasterio nostro subtracta sub Ludovico IV. qui Infans vocabatur, & anno Christi 9.2. defunctus est. II. Diptychon vetus. Quid diptycha sint, dixi in prima Parte pag. 98. num. 2. III. Catalogum coævum Monachorum Tegernseensium sub Herirando Abbate. IV. Tributarios de Hagenheim. V. Homines censuales S. Petri. VI. Aliud prolixius diptychon. VII. Catalogum Archiepiscoporum Salisburgensium. VIII. Catalogum Episcoporum Augustensium. Circa hos & illos Antistites maxime attendi cupio monitum supra datum de scriptorum affectionibus, & remitto Lectorem ad primam Partem, ubi meam sententiam satis prodo, reverenter ubique de Ecclesiarum Capitibus loquens, eorumque acta ex documentis veracibus & ingenuis illustrans.*

4. *In prima Parte huius Historiæ promisi hinc inde documenta in variorum Abbatum Acta. Adjeci hæc sub finem Partis huius II. siquid oblitus sum, ignoscet Lector Authori temporis angustiis presso. De Diptychis adjicio verba D. Antonij Sambucca in Epistola de Gestis Eminentissimi Cardinalis Quirini, à me ex Italica in Latinam linguam translata: „ Gratissima „ hisce diebus accidit oblata Eminentiæ Suæ eruditissima quæ„ dam Dissertatio Doctoris Joannis Antonii Volpi publici „ amœniorum litterarum in Universitate Patavina Professo„ ris, cum nova interpretatione voluminis pretiosi, Diptychi „ nimirum antiqui, ab Eminentissimo Cardinale Bibliothecæ „ Vaticanæ donati, quem in librum celeberrimi totius Euro„ pæ Litterati ipso hortante, sua quisque Commentaria edi„ derunt. „ Hucusque Sambucca. Ego talia duo, ut inveni Diptycha, Instrumentis inserui, notulas quasdam addidi, plura Eruditorum divinationi reliqui. Boni consule, Lector, conatus meos, & vale.*

I. Calen-



I.

CALENDARIUM BENEDICTI I.

ABBATIS OCTAVI WESSOFONTANI.

JANUARIUS.

CALEND. Jani prima dies & septima fine timetur.
Principium Jani sancit tropicus Capricorni.
Januarius habet dies XXXI. Luna XXX.

1. A. JANUARIUS. CIRCUMCISIO DOMINI XII. Lect. Basilii episcopi & confessoris. *Heilwvic obiit.*

2. b. 4. Nonas. Octava S. Stephani prothomartyris. III. l. *Obiit Sigbaldus Abbas* (a) *nostræ congregationis. Sophia comitissa obiit.*

3. c. 3. Nonas. Octava S. Joannis apostoli & evangelistæ. III. l. *Fridericus nobilis laicus obiit, qui dedit partem predii Galtprunnen.*

4. d. 2. Nonas. Octava S. Innocentum III. l. Gelsi episcopi & confessoris. (b) *Perchtold nobilis laicus obiit, qui dedit I. mansum Perga.*

5. e. NONÆ. Vigilia Theophanie Domini. III. l. *Dietericus presb. et mon. nostre congregationis obiit.*

6. f. 8. Idus. EPIPHANIA DOMINI. XII. lc.
7. g. 7. Idus. *Gerunc laicus obiit.*
8. A. 6. Idus. Herhardi episcopi & confessoris. (c)
10. c. 4. Idus. Pauli primi heremite. III. lc.
12. e. 2. Idus. *Dietericus conversus obiit.*
13. f. IDUS. Octava Epiphanie. XII. lect. Hilarii episcopi.
14. g. 19. *Calend. Febru.* Felicis presbyteri. III. l. *Ouldalricus laicus obiit, qui dedit dimidium mansum Poule.* (d)
15. A. 18. Cal. Mauri Abbatis. III. l.
16. b. 17. Cal. Marcelli pape & mris. III. l.
17. c. 16. Cal. Anthonii monachi. *commem.* Speosippi & socior. ejus. III. l. (e)
18. d. 15. Cal. Prisce virginis III. lc. *Helica obiit.*
19. e. 14. Cal. *Erchinger presb. obiit, qui dedit predium Paldesvvin.*
Gerbozc presb. obiit. Engilscalcus monach. n. c. obiit.
20. f. 13. Cal. Fabiani & Sebastiani martyrum XII. lc. *Ougo laicus obiit, qui dedit Hagenaba.*
21. g. 12. Cal. Agnetis V. & Martyris. XII. lc.
22. A. 11. Cal. Vincentii Martyris. III. lc.
23. b. 10. Cal. Emerenciane V. & Martyris. III. lc. *Hartman laicus obiit, qui dedit pradium ad Heilrichesboven.*
24. c. 9. Cal. Thimothei Apostoli. III. lc. (f)
25. d. 8. Cal. Conversio S. Pauli Apostoli. XII. lc.
26. e. 7. Cal. Policarpi episcopi & martyris. III. lc. *obiit Chuonradus Pozzo presb. & monachus n. c. ac plebanus ad Pergen & Landsperg.* (g)
28. g. 5. Cal. Octava S. Agnetis V. III. lc.

(a) *Nempe Abbas XVIII. cujus acta dedimus Sæc. V. Cap. 4.* (b) *Est secundus inter eos 23. Episcopos Trevir. quos Rmus Hontbemius negat in Catalogis X. Sæculi inveniri. Tom. I. Hist. Trev. in Serie Archiep. f. LVII.* (c) *Nempe Ratisbonensis. Vid. Boll. ad hunc diem.* (d) *Nunc Peul & Päbl vocatur, vicus infra arcem cognominem, ubi Pratura olim, nunc Weilhemium translata.* (e) *S. Speusippus cum sociis Eleusippo & Meleusippo adhuc colitur in Diœc. nostra Augustana.* (f) *Episcopi nempe Ephesini & Martyris.* (g) *De Conrado Pozzone egimus sub Conrado II. Abb. XX.*

FEBRUA-

FEBRUARIUS. (a)

CALEND. Menſe Nume in medio ſol ſydus diſtat aquari.
Aſt februi quarta eſt. precedit tercia finem.
Februarius habet dies XXVIII. luna XXVIIII.

d. Brigidæ virginis. III. lc.
e. 4. Non. Purificatio S. Mariæ V. XII. lc. *Kounradus converſus obiit.*
f. 3. Non. Blaſii epiſcopi & martyris. XII. lc. *Erchinger presb. & mon. n. c. obiit.*
g. 2. Non. - - - *Kounradus laicus obiit, qui dedit eccleſiam ad Holzbuſen & Rideroune.*
A. NONÆ. Agathe V. & Mart. *XII. lc.* Ingenuini epiſcopi. *commem. Palduinus presb. & mon. n. c. obiit.* (b)
d. 6. Idus. - - - *Arnoldus laicus obiit.*
e. 5. Idus. Altonis confeſſoris III. lc.
f. 4. Idus. Scolaſtice virginis XII. lc.
A. 2. Idus. - - *Eppo laicus obiit, qui dedit predium Plitmoteſunn.*
b. IDUS.
c. 16. Cal. MARCII. Valentini martyris. III. lc.
d. 15. Cal. - - *Walcunus Abbas & mon. n. c. obiit. Richolfus pbr & m. n. c. ob.*
g. 12. Cal. *Gertrud ob. Luitpaldus laicus ob.*
A. 11. Cal.
c. 9. Cal. *Heinricus pbr & m. n. c. ob.*
d. 8. Cal. Kathedra S. Petri Ap. XII. lc. *Heilrat ob. qui dedit predium ad Poule.*
e. 7. Cal. Vigilia. *Durinc nobil. presb. ob. qui dedit Hagenhaim & Mulebuſin.*
f. 6. Cal. MATHIE APOSTOLI. XII. lc.
g. 5. Cal. Waltburge virg. III. lc.
A. 4. Cal.

(a) *Menſis eſt à Numa Rom. Rege inſtitutus in honorem Plutonis, quem Februum vocabant. Carol. Steph. Lexicon. art.* Februus. (b) *S. Ingenuinus Epiſcopus fuit Sabionenſis, ſeu hodie Brixinenſis, cujus Diœceſis monaſterium noſtrum ante S. Sympertum fuiſſe credibile eſt.*

MARTIUS.

CALEND.		Procedunt duplices in marcia tempora pisces. Martis prima necat. cujus sic cuspide quarta est. Marcius habet dies XXXI. luna XXX.
d.		Donati martyris.
f.	5. Nonas.	DEDICATIO CAPELLARUM. S. MARIE V. IN HONORE IPSIUS ASSUMPCIONIS. ET S. MICHAHELIS. ET S. BENEDICTI CONFESSORIS. (a)
b.	2. Nonas.	*Heiluuic conversa obiit. Judita laica de Selevve obiit.*
c.	NONÆ.	Perpetue & Felicitatis mart. *commem. Albradus pbr & mon. ob. Hadavvic conversa obiit.* (b)
f.	6. Idus.	*Hartmannus mon. ob. nostra congr. frater. Heinrich conversus ob.*
g.	5. Idus.	*Geroldus pbr. & mon. n. c. ob.*
A.	4. Idus.	Gregorii pape. XII. lect. *ob. Wolframus mon. n. c. Hartuinc. l. ob. qui dedit duas vineas. Werinherus mon. n. c. ob. Fridericus mon. ob.*
d.	IDUS.	*Walchoum subdiac. & mon. n. c.*
e.	17. Cal.	APRILIS.
f.	16. Cal.	Gerdrudis virginis.
c.	12. Cal.	Benedicti Abbatis. XII. lect. *Rouzila conversa.*
f.	9. Cal.	*Irmingart conversa ob.*
g.	8. Cal.	Annunciacio S. Mariæ virg. XII. lc. *Chuonradus abbas & mon. n. c. ob.*
		Ita conversa ob. Werinhardus conversus & advocatus (c)
b.	6. Cal.	Ruperti archiepiscopi. (d) RESURRECTIO DOMINI.
c.	5. Cal.	*Heriman pbr & mo. n. c. ob.*
e.	3. Cal.	*Obiit bone memoria Diemouth inclusa. Luodeuuicus & Radkis monachi n. c. obierunt.* (e)

(a) *Vide P. I. à fol. 122. num. 1. & 4.* (b) *De hac Hadewiga V. Sac. 4. c. 5. §. 2.* (c) *P. I. f. 162. num. 3. & 4.* (d) *lege:* Episcopi; *primus enim Archiepiscopus fuit Arno. Hansiz Germ. S. Tom. 2. fol. 110. num. XXVII.* (e) *De Diemode egimus à f. 166. de Ludovico Sec. V. Cap. VI. §. IX.*

APRI-

APRILIS.

CALEND. Aprilis decima est. undeno & fine minatur.
Respicis aprilis aries frixee Kalendas.
Aprilis habet dies XXX. luna XXVIIII.

g. Marie egypciace.
A. 4. Non. *Mathild. co. obiit.*
b. 3. Non. *Gundachar nobil. laicus ob. qui dedit predium ad Scalingisuuang.*
c. 2. Non. Ambrosii episcopi III. lc. *Mathild. ob.*
d. NONÆ. *Oudalscalch & Kuono monachi n. cong. obierunt.*
f. 7. Idus. *Otolt pbr. & mo. n. cong. ob.*
e. IDUS. *Willehalmus mo. n. congr. ob.*
f. 18. Cal. MAI. Tiburtii, Valeriani, & Maximi martyrum. III. lc.
g. 17. Cal. *Helinprebt co. ob.*
A. 16. Cal. *Meginhardus mo. n. congr. ob.*
d. 13. Cal. Leonis pape.
f. 11. Cal. *Obiit pie memorie Pertholdus de Greut, qui dedit S. Petro curiam in Greute pro remedio anime sue.*
g. 10. Cal. Abrunculi episc. & confess. III. lect. *Wambertus mon. n. c. ob.* (a)
A. 9. Cal. *Reinboto l. obiit de Albrechishouen.*
b. 8. Cal. Georii martyris XII. lect. Adalperti episc. & mart.
c. 7. Cal. Marci euangeliste. XII. lc. *Engildie l. ob. qui dedit partem predii Menzingen. Otto l. obiit.*
f. 4. Cal. Vitalis martyris III. lc. *Kounradus pbr & m. n. c. ob.*
A. 2. Cal. *Irmingart conversa obiit. Pilegrinus pbr & mo. n. c. ob.*

(a) *Apruncullus Archiep. Trev. obiit A. 527. Hist. Treu. in Serie fol. LX.*

MAJUS.

CALEND. Majus agenorei minatur cornua tauri.
Tertius est majo lupus. est & septimus anguis.
Majus habet dies XXXI. luna XXX.

a. b. PHILIPPI ET JACOBI. XII. lect. Waldpurge virg. *commem.*

2. c. 6. Nonas. *Heinricus comes de Wolfartshausen ob. qui dedit mansum ad Raistingen.*
3. d. 5. Nonas. Invencio S. Crucis. XII. lc. Alexandri & aliorum. *commem.*
4. e. 4. Non. Floriani mart. III. lc. *Heriman l. ob. qui dedit predium ad prantenberc. Petto l. ob. qui dedit predii partem Ephenhusen.*
5. f. 3. Non. ASCENSIO DOMINI. *Megimuuardus pbr & m. n. c. ob.*
6. g. 2. Non. Johannis ante portam latinam. XII. lc. *Loudeuuicus diac. n. c. ob.*
8. b. 8. Idus. Victoris mart. III. lc. *Heilica conversa ob.*
9. c. 7. Idus. *Obiit Gisila monialis de Seuelt. qua dedit predia Biberbach. Gutingen. Wolmuotsabe. Tangrebrien. & Rinnenbach.*
10. d. 6. Idus. Gordiani & Epimachi mart. III. lect.
12. f. 4. Idus. Nerei Achillei & Pancracii. III. lect. Modoaldi episc. *commem.* (a)
13. g. 3. Idus. Gangolfi martyris. Oudalscalcus l. ob. de Waleshouin. qui dedit duo predia. ad Plintincelli. & ad Ayche. utrinque duas curtes. Pilegrinus l. ob. qui dedit partem predii Ramasum. (b)
14. A. 2. Idus. Bonifacii mart. Obiit Ilsungus primus hujus cenobii Abbas.
15. b. IDUS. DESCENSIO SANCTI SPIRITUS. Kounradus Subdiaconus, qui dedit predium ad Perloch. & ad Leibingen.
16. c. 17. Cal. JUNII
18. e. 15. Cal. *Adelbertus mon. n. c. obiit.*
19. f. 14 Cal. Potenciane V. & mart. *Luitbertus pbr & mo. n. c. ob.*
21. A. 12. Cal. *Merigart conversa n. c. obiit.*
22. b. 11. Cal. *Mahtfrit l. ob. qui dedit predium Pachman.*
25. e. 8. Cal. Urbani pape & martyris.
27. g. 6. Cal. *Heinricus pbr & mo. n. c. ob. Susanna conversa n. c. ob.*
29. b. 4. Cal. Maximini episcopi Treuerensis. XII. lect.
31. d. 2. Cal. Petronelle virginis. III. lc.

(a) *S. Modoaldus Episcop. Trevir. Hist. Trev. in Serie f. LXI.* (b) *De S. Gangolfo jam egimus Part. I. fol. 145.*

JUNIUS.

JUNIUS.

CALEND. Junius equatos celo videt ire laconas.
Junius in decimo quindeno a fine salutat.
Junius habet dies XXX. luna XXIX.

1. e. Symeonis confessoris.
2. f. 4. Non. Marcellini & Petri. III. lect.
5. b. NONÆ. Bonifacii archiepiscopi cum aliis duodecim. III. lc.
9. f. 5. Idus. Primi & Feliciani Mart. III. lc.
11. A. 3. Idus. Barnabe apostoli. III. lc.
12. b. 2. Idus. Basilidis Cirini & aliorum. III. lc. *Herwigus mon. n. c. ob.*
13. c. IDUS. *Purchardus pbr & mo. n. c. ob.*
14. d. 18. Cal. JULII. *Waltherus l. ob. qui dedit predium ad Cholobach.*
15. e. 17. Cal. Viti Modesti & Crescencie. XII. lc.
16. f. 16. Cal. *Dietericus mo. n. c. ob. Perhtolt l. ob.*
17. g. 15. Cal. *Adelbertus monachus. qui ipse & frater ejus Reinbertus dederunt predia Sliten. Ruffian. Adalbrechriete. & quorum predium Buoch datum est pro Panzingen.* (a)
18. A. 14. Cal. Marcelliani & Marci Mart. III. lc.
19. b. 13. Cal. Geruasii & Prothasii Mart. III. lc.
21. d. 11. Cal. Albani Mart. III. lc. *Oudalricus mo. n. c. ob.*
22. e. 10. Cal. Paulini episc.
23. f. 9. Cal. Vigilia.
24. g. 8. Cal. NATIVITAS S. JOHANNIS BAPTISTE. XII. lc.
26. b. 6. Cal. Johannis & Pauli mart. III. lc.
28. d. 4. Cal. Leonis pape. III. lc. Vigilia apostolorum.
29. e. 3. Cal. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM. XII. lc.
30. f. 2. Cal. Commemoracio S. Pauli apostoli. XII. lc.

(a) *De hoc Adelberto vid. P. I. f. 160. num. 5.*

JULIUS.

CALEND. Solstitium ardentis cancri fert Julius astrum.
Tredecimus Juli decimo innuit ante Kalendas.
Julius habet dies XXXI. luna XXX.

1. g. Octava S. Joannis baptiste. III. le.
2. A. 6. Non. Processi & Martiniani mart. III. lc.
4. c. 4. Nonas. OUDALRICI EPISCOPI. XII. lc.
6. e. 2. Non. Octava apostolorum. XII. lc.
7. f. Nonæ. Willibaldi episc. III. lc. *Ob. bone memorie Sigibardus Abbas pater istius loci.* (a)
8. g. 8. Idus. Kiliani & socior. ejus. III. lc.
10. b. 6. Idus. Septem fratrum. III. lc.
11. c. 5. Idus. Translacio S. Benedicti. XII. lc. *Kounradus mo. n. c. ob.*
12. d. 4. Idus. MARGARETE V. ET MART. III. lc. (b)
14. f. 2. Idus. *Eberhardus subdiac. & mo. n. c. ob.*
15. g. IDUS. Divisio XII. Apostolorum. XII. lc.
16. A. 17. Cal. AUGUSTI.
17. b. 16. Cal. Alexii confessoris. III. lc.
19. d. 14. Cal. *Adalpertus pbr & mo. n. c. ob.*
20. e. 13. Cal. Severe virginis.
21. f. 12. Cal. Victoris martyris. Braxedis virg. III. lc.
22. g. 11. Cal. MARIE MAGDALENE. XII. lect.
23. A. 10. Cal. Apollinaris Episc. & mart. III. lc.
24. b. 9. Cal. Christine virg. III. lc. *Wolftrigil l. ob.*
25. c. 8. Cal. JACOBI APOSTOLI. XII. lc. Christofori Mart. *commem.*
26. d. 7. Cal. *Luitoldus pbr & mo. ob. Heinricus mon. n. c. obiit.*
28. f. 5. Cal. Panthaleonis Mart. III. lc.
29. g. 4. Cal. Felicis pape & mart. III. lc. Simplicii Faustini & beatricis. *commem.*
30. A. 3. Cal. Abdon & Sennes. III. lc.
31. b. 2. Cal. Tertulini mart. III. lc. (c)

(a) *De hoc egimus P. I. f. 116.* (b) *S. Margareta Festum in Diœc. August. celebratur 13. Julii, alibi 20. ejusdem.* (c) *Cujus Reliquiæ Schlechdorffii. Chron. Benedictoburanum P. I. fol. 32.*

AUGUSTUS.

CALEND. Augusti nepa prima fugat. de fine secunda.
Augustum mensem leo fervidus igne perurit.
Augustus habet dies XXXI. luna XXIX.

1. c. Ad vincula S. Petri. XII. lc. Septem fratrum Machabeorum. *commem.*

2. d. 4. Nonas. Stephani pape & mart. III. lc. *Bertha obiit.*

3. e. 3. Nonas. Invencio S. Stephani protomart. XII. lc. (a) *Adalbero Abbas istius loci. & reparator cenobialis vite obiit.* (b)

5. g. NONÆ. Oswaldi regis & mart. III. lc. (c)

6. A. 8. Idus. Sixti pape & mart. III. lc. Felicissimi & Agapiti mart. *comm. Magenhardus pbr & mo. n. c. ob.*

7. b. 7. Idus. AFRE MART. XII. lc. Donati episc. & mart. commem. *Heinricus l. obiit, qui dedit predium ad Obenbercb. Maria conversa ob.*

8. c. 6. Idus. Ciriaci & socior. ejus. III. lc.

9. d. 5. Idus. Romani mart. *commem.* Vigilia.

10. e. 4. Idus. LAURENCII MART. XII. lc. *Arnoldus Abbas ob. Aribo mo. n. c. ob.*

11. f. 3. Idus. Tiburcii mart. III. lc.

13. A. IDUS. Yppoliti & soc. ejus martyrum. III. lc.

14. b. 19. Cal. SEPTEMB. Eusebii pbri III. lc. *Hermannus subdiac. & mo. n. c. ob.*

15. c. 18. Cal. Assumpcio S. Marie V. XII. lc. *Fridericus diac. & mo. n. c. ob.*

17. e. 16. Cal. Octava S. Laurencii. III. lc.

18. f. 15. Cal. Agapiti mart. III. lc. *Luikart conversa ob.* (d) *Helphericus mo. n. c. ob.*

22. c. 11. Cal. Octava S. Mariæ V. XII. lc. Thimothei & Symphoriani mart. *commem.*

23. d. 10. Cal. Vigilia.

24. e. 9. Cal. BARTHOLOMEI APOSTOLI. XII. lc.

28. b. 5. Cal. Augustini episc. XII. Hermetis mart Pelagii mart. *Pilegrimus pbr & mo. n. c. ob. Irmingat l. ob. que dedit predium ad Eringesingen.*

29. c. 4. Cal. Decollatio S. Johannis baptiste. XII. lc. Sabine V. *commem.*

30. d. 3. Cal. Felicis & Adaucti mart. III. lc.

31. e. 2. Cal. *Kounradus mo. n. c. ob.*

(a) *De hujus martyrio lapidem possidemus, & ejus Ecclesiam in Pelschwang.* (b) *De Adalberone vid. P. I. à fol 106.* (c) *Colitur S. Oswaldus Traunsteina in superiore, & ad S. Oswaldum prope Granenau in inferiore Bav Hund. Metrop. T. III. fol. 57. Hac ecclesia hodie à Benedictinis Nideraltabensibus administratur.* (d) *Eam fuisse suspicor, qua cum B. Juditha vixit, de qua nos Sæc. IV. Cap. X. §. 2.*

SEPTEMBER.

CALEND. *Sidere virgo tuo bachum september opimat.*
Tertia septembris vulpis ferit à pede denam.
September habet dies XXX. luna XXX.

1.	f.		Prisci mart. *III. lc.* Egidii Abbatis. & Verene virginis.
2.	g.	4. Non.	Wolffinde virginis. *XII. lc. Adalpero mo. n. congr. ob.* (a)
3.	A.	3. Non.	Antonini mart. *III. lc.*
6.	d.	8. Idus.	Magni confessoris. *XII. lc. Hiltigart conversa ob.*
8.	f.	6. Idus.	NATIVITAS S. MARIE VIRG. *XII. lc.* Adriani mart. Corbiniani episc. *commem.*
9.	g.	5. Idus.	Gorgonii mart. *III. lc.* Translatio S. Chunigundis virg. *XII. lc.*
11.	b.	3. Idus.	Prothi & Jacinti. *III. lc.* Felicis & Regule.
14.	e.	18. Cal.	OCTOB. Exaltacio S. Crucis. *XII. lc.* Cornelii & Cipriani mart.
15.	f.	17. Cal.	Nicomedis mart. *III. lc. Hartnidus l. ob. qui dedit predium ad Husen.*
16.	g.	16. Cal.	Eufemie virg. *III. lc.* Lucie & Geminiani mart. *comm.*
17.	A.	15. Cal.	Lamperti episc. & mart. *III. lc.*
19.	c.	13. Cal.	*Purchardus mo. n. congr. ob.*
20.	d.	12. Cal.	Vigilia. *Pabo l. ob. qui dedit mansum unum ad Puzzen.*
21.	e.	11. Cal.	MATHEI APOST. ET EVANGELISTE. *XII. lc.*
22.	f.	10. Cal.	Mauricii & soc. ejus. *XII. lect.* Emmerammi Epi & mart. *commem.*
23.	g.	9. Cal.	Tecle virg. *III. lc.*
24.	A.	8. Cal.	Rouperti episc. *III. lc.* (b)

26. c.

26. c. 6. Cal. Cipriani episc. & mart. Justine virg. *Wolfstrigil mo. n. c ob.*
27. d. 5. Cal. Cosme & Damiani mart. *III. lc.*
28. e. 4. Cal. Veneslai martyris. Dedicatio ecclesie Marie Matris Domini. *XII. lc.*
29. f. 3. Cal. Michahelis Archangeli. *XII. lc.*
30. g. 2. Cal. Jeronimi presb. *III. lect.*

(a) *De quo vid. P. I. fol. 160 num.* 7. (b) *Festum Translationis ejus bodie in Septembri celebratur.*

OCTOBER.

CALEND. *Tercius october gladius decimum ordine nectit.*
Equat & october sementis tempore libram.
October habet dies XXXI. luna XXIX.

1. A. Remigii episc. *III. lc.*
2. b. 6. Non. Leodegarii episc. & mart. *III. lc. Oudalrich l. qui dedit predia ad Erpftingen. ob. Dietericus l. ob. qui dedit I. mansum ad Suabbusen.*
3. c. 5. Non. *Obiit Heinricus laic. liber de Seuelt, qui dedit mansum in Vueringen.*
6. f. 2. Non. *Irmingart l. qua dedit II. predia ad Sandolsbusen & ad Marbbach.* Eccehardus l. ob. qui dedit I. mansum ad Perga. Werinh. l. ob. qui dedit I. mansum ad Cussun.
7. g. NONÆ. Marci pape *III. lc.* Sergii & Bachi mart. *comm. Sigimarus mo. n. c. ob.*
8. A. 8. Idus. *Routpertus mo. n. c. ob.*
9. b. 7. Idus. Dionisii & soc. ejus. *XII. lc.*
10. c. 6. Idus. Gereonis & soc. ejus. *III. lc.*
14. g. 2. Idus. Calixti pape & mart. *III lc. Egilolf l. ob. qui dedit dimidiam ecclesiam & dimidium predium ad Viligundenbouen. Adalman l. ob. Kounradus pbr & mo ob.*
16. b. 17. Cal. NOVEMB. Galli confessoris. *XII. lect. Otuuin nobil. vir ob. qui dedit predium ad Rubes. Ita comitissa ob. qua dedit ad Münechen predium.*

18. d. 15. Cal. Luce Evangeliste. *XII. lc.*
19. e. 14. Cal. Januarii & soc. ejus. *III. lc.*
20. f. 13. Cal. *Pernhardus pbr & mo. ob.*
21. g. 12. Cal. Sanctarum virginum XI. milia. *XII. lect.*
22. A. 11. Cal. DEDICATIO HUIUS MONASTERII.
23. b. 10. Cal. Seuerini episc. & confess. *III. lc.*
25. d. 8. Cal. Crispini & Crispiniani mart. *III. lc.*
28. g. 5. Cal. SIMONIS ET JUDE APOST. *XII. lc.*
29. A. 4. Cal. Narcissi episc. & mart. *XII. lec. Walchoun nobil. de Stainbach ob. qui dedit predium in Phaphinhouen.*
30. b. 3. Cal. *Udalricus l. ob. Magenhardus presb. ob. qui dedit predium ad Wile & Gerenshusen.*
31. c. 2. Cal. Vigilia. Quintini mart. *III. lc.* Wolfgangni episc.

NOVEMBER.

CALENDÆ. Scorpius hybernum præceps jubet ire novembrem.
Quinta Novembris acus vix tertia mansit in urna.
November habet dies XXX. luna XXX.

1. d. OMNIUM SANCTORUM. *XII. lect.* Cesarii mart. *commem.*
3. f. 3. Nonas. *Richere mo. n. c. ob.*
4. g. 2. Nonas. *Aribo mo. n. c. ob.*
5. A. NONÆ. *Ratold l. ob. qui dedit dimidium mansum ad mulun.*
7. c. 7. Idus. Willibrordi episc. *III. lc.* Leonhardi confess.
8. d. 6. Idus. Sanctorum quatuor coronatorum.
9. e. 5. Idus. Theodori mart. *III. lc. Benedictus Abbas & mon. n. congregacionis, qui istum librum scripsit, obiit.*
11. g. 3. Idus. MARTINI EPISC. *XII. lc.* Menne mart. *commem.*
13. b. IDUS. Briccii episc. *III. lc. Pernhardus pbr & mo. n. c. ob.*
14. c. 18. Cal. DECEMBRIS.
16. e. 16. Cal. Othmari abbatis *XII. lect.*

18. f

18. g. 14. Cal. Octava S. Martini episc. *XII. lc.*
19. A. 13. Cal. *Adalprebt l. ob. qui dedit predium ad Gerensbusen.*
21. c. 11. Cal. *Adalbeit obiit.*
22. d. 10. Cal. Cecilie V. & mart. *XII. lc.*
23. e. 9. Cal. Clementis pape & mart. *XII. lc.* Felicitatis, *comm.* Columbani Abb. *comm.*
24. f. 8. Cal. Chrisogoni mart. *III. lc.*
29. d. 3. Cal. Saturnini mart. *III. lc.* Chrisanti Mauri & Darie V. *commem.*
30. e. 2. Cal. ANDREE APOST. *XII. lc.* Eodem die DEDICACIO HUIUS ECCLESIE, vulgariter, *des Alten münsters.* (a)

(a) *De hac Dedicatione egimus Sac. I. Cap. I. §. III. fol. 14. &c.*

DECEMBER.

CALENDÆ. *Terminat arcitenens medio sua signa decembris.*
Dat duodena cohors septem. inde decemque decembris.
December habet dies XXXI. luna XXVIIII.

1. f. Longini mart. qui latus domini lancea aperuit.
3. A. 3. Non. *Hartnid l. ob. qui dedit II. predia in Phephinhouen. & in Cheminnatim.*
4. b. 2. Non. Barbare V. & mart. *III. lc.*
6. d. 8. Idus. NICOLAI EPISC. *XII. lect.*
7. e. 7. Idus. Octava S. Andree apost. *III. lc.*
8. f. 6. Idus. Zenonis episc. & mart. *commem.*
10. A. 4. Idus. Eulalie virg. *Ulricus l. ob. de Vindingen, qui dedit nobis molendinum Vindingen.*
11. b. 3. Idus. Damasi pape. *III. lect. Thassilo dux, qui congregationem istam perfecit, obiit.*
13. d. IDUS. Lucie Virg. & mart. *XII. lc.*

14. e. 19.	Cal.	JANUARII. Mettilo l. obiit.	
15. f. 18.	Cal.	*Volmarus mo. n. c. ob. Bertha conversa ob.*	
18. b. 15.	Cal.	Wunibaldi confess.	
19. c. 14.	Cal.	*Luipaldus l. ob. qui dedit predia ad Aicha.*	
21. e. 12.	Cal.	THOME APOST. *XII. lc.*	
22. f. 11.	Cal.	Rome XXX. Martyrum.	
23. g. 10.	Cal.	*Bertha ob.*	
24. A. 9.	Cal.	Vigilia. Gregorii pueri & mart. *commem.*	
25. b. 8.	Cal.	NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Anastasie virg. *Dietpurc. ob.*	
26. c. 7.	Cal.	STEPHANI PROTHOMART. *XII. lc.*	
27. d. 6.	Cal.	JOHANNIS EVANGELISTE. *XII. lect.* ***Obiit pie memorie Walto Abbas n. congr.***	
28. e. 5.	Cal.	Sanctorum Innocentum. *XII. lc.*	
31. A. 2.	Cal.	Siluestri pape & confessoris. *XII. lc.*	



II. STE-

II.
STEPHANI LEOPOLDER
MONACHI WESSOFONTANI
SELECTA COLLECTANEA
DE
HISTORIA IMPERII ROMANI ET
MONASTERII SUI.

I.
De Fundatione Thassilonis Ducis.

Thassilo Dux primùm, post Rex, Monachus sed ad imum.
Idibus in ternis decesserat iste Decembris.
Cœlitus imbutus, divináque jussa secutus
Claustrum, Petre, tibi statuit spectabile soli,
Fontem Wessini regali clave tueri.
Nobilium donis nitet hæc domus, aucta Patronis,
Quorum sint memores, omnes hæc scripta legentes.

Ex Monasterio S. Salvatoris in Pollingen.

Cœnobium Fons Bessonis cognomine dictum
Illustris Princeps Tassilo condiderat,
Quem erecta in cœlum scala summum instruxerat: inde
Dux idem insignis repperit ipse Cruces
Ternas: per cervam mirè terram fodientem.
Cœlitus hinc motus Tassilo, Cœnobium
Fundavit Pollinganum, elapsis tribus annis,
Sedes cui æthereas det Deus omnipotens.
Utraque claustra hæc Antistes Bonifacius almus
Ore dicat proprio, consecrat atque Deo.

CHRO.

CHRONICON IMPERII.

Anno Domini DCC.LVII. Thassilo Dux Bavarorum venit ad Pipinum Regem cum Primoribus gentis suæ, fidelitatémque tam ipsi Regi, quàm filiis ejus Carolomanno & Carolo promisit jurejurando super corpus S. Dionysii, nec solùm ibi, sed etiam super corpus S. Martini, & S. Germani id ipsum sacramentum cum omnibus primoribus suis firmavit.

Anno Domini DCCLX. S. Othmarus Abbas in insulam, quæ dicitur Stain, relegatus migravit ad Dominum. Eodem anno Josephus Episcopus Frisingensis tertius obiit. Hic Præsul præcipuus, divini amoris igne accensus, pastor & rector dominicarum ovium, impetravit ad sedem suam Erching. Sed & gloriosus Dux Thassilo, quicquit ad Feringen pertinebat, consentientibus possessoribus, totum tradidit sibi & ecclesie sue.

Anno Domini DCCLXIII. Pipinus Rex habito Conventu in Nivernis, huic se Thassilo Dux Bauuarie subtraxit, ac postponens sacramenta que juraverat, & oblitus omnium bonorum, que sibi avunculus suus Pipinus rex fecerat, simulata infirmitate ab hac expeditione, per dolum se subtraxit & in Bauuariam rediit, firmatóque ad defectionem animo, ad conspectum Regis se ulterius venturum abjuravit.

Anno Domini DCCLXV. Otilo Dux Bauuarie, & genitor Thassilonis Regis & Principis obiit.

Anno Domini DCCLXVIII. Pipinus Rex post bellum & interfectionem Walfarii Ducis in territorio Petragorico, Sanctonas reversus est, ibique demorans aliquamdiu, egritudine decubuit. delatus tamen Turonos apud S. Martini memoriam oravit. indeque Parisium veniens VIII. Kal. Octobris obiit. corpusque ejus in Basilica S. Dionysii episcopi humatum est.

Anno Domini DCCLXXIII. Dedicata est primo Ecclesia sancti Ruoperti Salzburge a S. Virgilio episcopo, anno XXVI. vel circa, regni Thassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus S. Ruopertum, & duos ejus Capellanos Chunialdum & Gislarium.

Anno Domini DCCLXXIV. Adrianus Papa primus successit. Et sedit XXIII. annis. menses X. & XVIII. dies. Hic egregius Pontifex celebravit septimam synodum cum CCCL. Episcopis, in qua primum Feliciana heresis de imaginibus tollendis damnata est.

Anno

Anno Domini DCCLXXV. Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum de Roma per Carolum regem translata sunt ad monasterium Campidonensem, ubi & sicut Patroni habentur.

Anno Domini DCCLXXXVIII. Thassilo dux & filius ejus Theodo jussu & licentia Caroli imperatoris attonsi sunt, & ad monasterium Laurisheimensem missi, quod prius ipse Dux quàm sumptuosissime construxerat. in quo & ad vite sue terminum quam religiosissime vixerunt.

Anno Domini DCCCIV. S. Simpertus in episcopatu successit.

Anno Domini DCCCXIV. Carolus Imperator dictus magnus obiit, cui Ludovicus filius suus dictus pius successit.

Anno Dni DCCCXXXIII. obiit S. Simpertus Episcopus Augustensis.

Anno Dñi DCCCXXXVIIII. Lupus quidam vir doctus (ut credo Trevirensis ecclesie canonicus) scripsit, ut ipse in fine operis testatur, vitam & gesta atque miracula S. Maximini Treverensis Archiepiscopi.

Anno Dni DCCCXLI. Lotharius primus Imperator successit.

Anno Dni DCCCLVI. Ludovicus secundus successit.

Anno Dni DCCCLXXIV. Carolus secundus in regno successit.

Anno Dni DCCCCXIII. Conradus I. Imperator successit.

Anno Dni DCCCCXX. Heinricus I. Imperator, pater Ottonis magni successit in regno.

Anno Dni DCCCCXXIII. S. Udalricus episcopus efficitur.

Anno Dni DCCCCXXXV. S. Conradus Episcopus efficitur & sedit annis XLII.

Anno Dni DCCCCXXXVII. Otto I. Imperator successit, & præfuit regno annis 38.

Anno Dni DCCCCLXVIIII. exustum est monasterium Tegernsee funditus.

Anno Dni MLXVI. Cometes per totum orbem diu apparuit.

Anno Dni MLXVIIII. Agnes Imperatrix, mater regis Henrici tedio affecta, vel potius divinitus compuncta, Ducatum Baioarie deposuit, & regni gubernacula penitus contemnens. pro Christo se Romam contulit, ibique dignis penitentie fructibus mira inserviens humilitate, post aliquot annos in Domino presentem vitam finivit. Et in ecclesia S. Petronelle sepulta est.

Anno Dni MLXXI. Otto Dux Baioarie Ducatum, ut reus majestatis amisit. Quem Welfo quidam illustris & acer atque bellicosus, natu Sueuus accepit. Idque tam principalis discordie semen in perpetuos heu preliorum & sedicionum, predarum & incendiorum, scismatum eciam & heresium, atque morcium lamentabiles fructus germinavit atque succrevit.

Anno Dni MLXXIIII. Alexandro Papa II. defuncto, Gregorius VII. successit, professione monachus & Archidiaconus, sub quo Romana respublica, & omnis ecclesia novis & inauditis scismatum erroribus periclitari cepit.

Anno Dni MLXXVII. Gloriosus & venerandus Embrico Episcopus Augustensis, plenus bonis operibus in Domino obdormivit IIJ. Kal. Augusti. Hujus ut fertur temporibus inventa sunt corpora sanctorum martyrum Aphre. Hylarie. Digne. Eunomie. Eutropie, & aliorum sanctorum. Et reliquie S. Narcissi de Gerunda civitate Hispaniarum Augustam allate sunt.

Anno Dni MLXXXI. Bellum inter Conradum in orientali Bajoaria ducis Bohemie fratrem. Et Luipoldum marchionem commissum IV. Idus Maji. Eodem anno aliud bellum fuit inter Alemannos & Baioarios III. Idus Augusti juxta Danubium aput Hochensteim ubi Palatini Comitis Chunonis filius Chuno occisus est.

Anno Dni MLXXXIII. Welfo Bajoariorum antea Dux. Augustam civitatem summo mane intravit. Sigifrido episcopo II. vix evadente. Wigoldum quemdam ejusdem loci Canonicum inthronisavit.

Anno Dni MLXXXIV. Heinricus Imperator de Italia digrediens. Augustam civitatem ab Alemannis invasam obsedit & accepit.

Anno Dni MLXXXVI. Sub quodam Brunone ex urbe Colonia ordo Carthusiensium traxit originem.

Anno Dni MLXXXVIII. Sol eclipsim passus est, & fames intolerabilis fere per universum orbem fuit. Nimia eciam inundacio aquarum fuit multis in locis damno & periculo. Nam & in Italia diluvies tanta fuit, ut rupes liquefacte plures villas ruina sua destruerent. Domestice eciam aves, pauones, galline, anseres a domibus se extrahentes, omnes fiunt silvatice. Eodem anno Augusta urbs insidiis Suevorum in Cena Domini capta est, secunda feria Pasce destruitur. Et Sigifridus II. ejusdem urbis episcopus per Welfonem ducem custodie mancipatur, in Castro suo Ravenspurg. Et Wigoldus invasor ejusdem ecclesie intra paucos dies moritur VI. Idus Maji. Et sepelitur in Faucibus

bus

bus Alpium in Cenobio S. Magni Confessoris. Bertha eciam Imperatrix hoc tempore obiit, & spire sepulta est.

Anno Dni MLXXXVIIII. Henricus Imperator IV. secundas nupcias Colonie celebravit, quamdam Utonis marchionis viduam Ruscorum Regis filiam ducens uxorem.

Anno Dni MXC. Adelberus Würzburgensis Episcopus de sede sua jam diu depulsus in Bajoaria moritur, ibique in monasterio suo Lambach sepelitur. Eodem anno Heinricus Imperator Italiam ingreditur, ibique fere per septem annos moratur.

Anno Dni MXCII. Pestilencia magna facta est, hominum atque pecudum.

Anno Dni MXC. III. Visus est splendor quidam, quasi facula volans per aërem ab oriente in occidentem. Eclipsis solis etiam facta est IX. Kal. Octobris hora tercia. Et mortalitas magna subsecuta fuit.

Anno Dni MXC. IV. Ecclesia in mortalitate immensa incredibiliter vastata est. Insuper pestilentia, turbinibus, imbrium inundacionibus, cladibus nimium afflicta.

Anno Dni MXC. VI. Welfo antea Dux Noricus, qui ab Imperatore jam dudum abjuraverat, & ob id Ducatum perdiderat, in graciam ejus rediit, ducatumque recepit. Hoc etiam anno signum in sole apparuit V. Nonas Marcii feria secunda incipientis quadragesime. Diversa eciam prodigia mundus ubique referebat.

Anno Dni MXCVII. Cometes apparuit, quo tempore Heinricus Imperator ab Italia rediens Ratisponam Baioarie urbem venit, ibi aliquamdiu moratus. Eodem anno æstas fertilissima, hyems vero lenis & pestilens fuit, imbrium & fluminum inundaciones nimis increverunt.

Anno Dni MXCVIII. Ordo Cisterciensium sub regula S. Benedicti originem duxit sub quodam Stephano Abbate. Sed paulo postea mirabiliter fuit dilatatus per beatum Bernhardum Claretuallensem.

Hoc quoque anno Welfo dux Bajoariorum denuo filios suos & ipsos rebellare temptantes gracie Imperatoris H. IV. reconciliavit & uni eorum Ducatum post se impetravit.

Anno Dni MXCIX. Henricus Imperator natale Domini Colonie celebravit & in Epiphania vero Aquisgrani filium suum juniorem Henricum quintum Regem fecit, reprobato majore suo Conrado, quem prius coronavit.

 Eodem

Eodem anno. Dum etiam Imperator cum Principibus colloquium Ratisbone haberet, mortalitas subitò exorta duos magnates absumpsit, de inferioribus verò etiam quam plures. Per civitates quoque ac regiones non modicam vulgi stragem fecit. Fames etiam improvisa multis locis invaluit.

Anno Dni MC. Canonicè est electus Paschalis Papa II. Sedit annis XVIII. & mensibus quinque. Hujus tempore anno anno quinto concilium generale sub eo Florentiæ celebratur, CCCXL. Episcopis ibi existentibus.

Eodem anno Frisingia & Augusta urbes destruuntur per Welfonem Noricorum Ducem.

Anno Dni MCI. Welfo Dux senior, & quartus in ordine, Fundator Monasteriorum Staingaden. Altorf, quod nunc Weingarten vocatur. Altenmünster, & Raytenpuch, iter Jerosolimitanum aggressus est, III. Kal. Aprilis.

Anno Dni MCIV. Circa solstitium æstivale commutato in tempestatem aëre decidisse fertur inter grandinum lapides, in pago Würzburgensi, tantæ magnitudinis glacies, quæ in quatuor divisa, totidem hominibus importabilis videretur. Eodem anno in Episcopio Spirensi sanguis ex panibus fluere visus, necnon in lenticularum edulio prodigiose repertus, civile, immo intestinum bellum & discordiam civitatum innotuit. Hoc quoque anno Natale Domini H. IV. Imperator Ratisbone agens, orta sedicione, sigehardus Comes à familia principum, qui ministeriales vocantur, eo quod justiciam eorum infringere diceretur, occisus fuit.

Anno Dni MCXVII. Inter ipsa Dominice Nativitatis festa tertio nonas Januarii hora vespertina commota est & contremuit terra, ab ira nimirum furoris Domini, adeo ut nemo inventus sit super terram, qui tantum se umquam sensisse fateatur terrèmotum. Nam multa inde subversa sunt edificia. Civitates etiam quasdam subrutas referebantur. Quin etiam tonitrua valde terribilia III. Kal. Februarii cum grandi turbine sunt audita, fulgura etiam eodem tempore crebro visa.

Anno Dni MCXIX. Gelasius Papa II. aput Viennam Synodum congregavit, eaque transacta post paucos dies in monasterio Cluniacensi vitam presentem in Domino finivit. Huic Concilio interfuit Northertus, postea Premonstratensis Ordinis institutor.

Anno Dni MCXX. Incepit Ordo Premonstratensium, cujus loci & Ordinis vir Dei Nortbertus, de partibus Lotharingie oriundus, fundator extitit gloriosus.

Anno Dni MCXXIV. Eclipsis lune apparuit in Purificatione S. Marie virginis. Unde etiam perterritus Conradus consobrinus Imperatoris, conversionem morum suorum professus, Jerosolimam se profecturum ibidemque Christo militaturum devovit. Eodem anno fuit maxima discordia inter Imperatorem & civitatem Wormaciensem.

Hoc anno Henricus V. Imperator Natale Christi Jesu Aquisgrani celebravit.

Anno Dni MCXXV. signa diverso modo apparuerunt in sole, luna, & stellis. Fuit eciam Hyems asperrima, ver tempestuosum, fames validissima, ac mortalitas crudelissima secute, tantam stragem per universas provincias, maximè tamen de vulgaribus dederunt, ut pene tercia pars populi notaretur occubuisse. Nam post vulgi stragem immensam tam fame quam pestilentia, judicio patrata divino, lues tanta tamque indifferens per populos ubique grassari cepit, ut nulli condicioni, sexui, vel etati parcendum fore, mors minitaretur pallida, vixque vivi sufficerent ad curanda defungencium cadavera. Post his quartà feria ebdomade Pentecostes dirissime pruine frigus plagam magnam tam novellis ubique frugibus, quam vineis abundantissimam jam fetuum suorum spem turgendo promittentibus intulit. Nec multo post, i. e. XVI. Kal. Julii residuum frigoris tempestas tam immensa, que diluvium minari videretur alicui, crudeliter omnia devastavit.

Eodem anno H. Imperator Natale Christi Argentine celebravit frequentantibus ibi curiam principibus transrheninarum. Hoc quoque anno Heinricus quintus Imperator obiit, cum nonnullis Episcopis & Nobilibus Germanie provincie.

Anno Dni MCXXVI. Lotharius dux Saxonie electus est rex. Erat inquit vir ille strenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis, Dei & sancte ecclesie veritatis amicus, justicie socius, injusticie inimicus, cujus probitas patuit in sicilia, viguit & in Saxonia, qui quamdiu vixit, totum Romanum imperium, quod ejus custodie deputatum fuerat, titubare non potuit. Eodem anno maxima inundacio aquarum facta est circa Romam in die S. Eleutherii Pape & martyris.

Anno Dni MCXXXII. Augusta civitas Vindelicorum combusta est.

Anno Dni MCXXXIII. xiv. Kal. April. Eligitur Waltharius Augustensis episcopus, & sedit annis XIX. Hic fuit maximus benefactor nostri Cenobii & Waltonis Abbatis.

Anno Dni MCXXXVI. Lotharius fuit in Apuliam, in qua expeditione Heinricus Dux, qui dictus fuit superbus, & frater Welfonis, duxit mille quingentos milites.

Anno MCXXXVII. Innocentius Papa II. ex Germania veniens Romam, sedem suam per Lotharium meruit accipere.

Anno Dni MCXXXVIII. Lotharius Rex obiit in Autumno sine filiis. Dux verò Heinricus, in cujus finibus obierat, regalia reservavit, ut in generali Conventu Principum, qui in proxima Pentecoste Moguncie condictus fuerat, presentaret.

Eodem anno Otto Chronographus hujus nominis primus Frisingensi Ecclesie Episcopus preficitur. Et sedit annos XIX. Fuit autem in ordine pontificum XXII. dus.

Anno MCXXXIX. Conradus rex tertius sublimabatur ad regnum.

Anno Dni MCXLII. comparuit S. Bernardus Abbas apud spiram in collegio Principum coram Rege Conrado ex jussione Innocencii Pape secundi, causa pacis ecclesie.

Anno Dni MCXLVI. Dns Hermannus Abbas Altachensis inferioris incepit scribere Addiciones temporum. Obiit pridie Kal. Augusti anno etatis suæ LXXV. to.

Anno MCXLVII. fundatum est monasterium Staingaden in honore S. Johannis Baptiste a Welfone Duce Bavarie, videlicet quarto.

Anno Dni MCXLVIII. Eugenius Papa III. canonisavit S. Heinricum Imperatorem. Sed unus Cardinalium se vehementer opponens, visum perdidit. Sed factum postmodum promovens, illuminatus est.

Eodem anno claustrum in Raittenhaslach construitur. Eodem anno obiit S. Malachias Episcopus ex Hibernia ortus, & in Claravallensi monasterio sepultus.

Anno Dni MCLII. Fridericus hujus nominis primus regnum accepit. Erat autem vir armis strenuus, acer animo, exercitatus in bellis, corpore robustus, in consiliis providus, in negociis peragendis virilis, affabilis, mansuetus, superbis resistens, ingenio subtilis, memoria excellentissimus, facie satis eleganti, barba & capillo rufus.

Anno Dni MCLIII. Sanctus Bernhardus Abbas Claravallensis obiit anno etatis sue LXIII. Fertur autem in testamento suis fratribus tria reliquisse documenta. Nemini scilicet in primis in vita mea scandalum

lum dare volui, & si aliquando incidi, sedavi ut potui. Secundum. Minus semper sensui meo credidi, quam alterius. Tercium. Lesus nunquam vindictam expetivi. Ecce hominis Caritatem, Humilitatem, & Pacientiam.

Anno Dni MCLIV. proxima die post festum S. Blasii episcopi & martyris obiit venerandus dominus Waltharius episcopus Augustensis. Et resignavit episcopatum tribus annis ante mortem suam.

Anno Dni MCLV. Fridericus primus Imperator Romanorum ab Adriano Papa quarto Imperiali Benedictione sublimatur.

Hic in margine annotat Stephanus: *Aliis Anastasius IV.* At verò anno prædicto jam sederat Adrianus.

Anno Dni MCLVI. Fridericus Imperator de Coronacione Romana rediens Curiam Ratisbone habuit, & restituto Ducatu Bavarie Henrico Duci Saxonie Marchionatum Austrie in Ducatum mutavit. Ex quo facto multum est diminutus honor & potencia Ducum Bavarorum, ut patet in privilegiis supradicti Friderici primi. Deinde Imperator veniens in Lumbardiam contra Mediolanenses cœpit pugnare.

Anno MCLVII. Nix magna & frigus insolitum circa Passionem Domini inhorruit, quod mortalitas magna hominum ad tempus innotuit. Et exustio maxima per totam estatem est subsecuta. Et in Kalendis Julii maxima severitas grandinis, & tanta concussio ventorum invaluit, ut non solum segetes consumeret, & arbores evelleret, sed eciam edificia, castrorum municiones humo prosterneret, & in aliquibus ecclesiis campanaria cum campanis dejecta confringeret.

Anno Dni MCLVIII. Fridericus Imperator secundam expedicionem fecit propter secundam rebellionem Mediolanensium.

Eodem anno Otto I. Frisingensis Episcopus obiit X. Kal. Octobris. Huic successit Albertus Comes, Frisingensis Ecclesie Prepositus.

His temporibus sub Alexandro Papa III. & Friderico I. Imperatore Romanorum Scisma oritur, quod fere per XX. annos duravit.

Anno Dni MCLX. Imperator jam tercio rura Mediolanensium cum civitate ad dedicionem coegit. Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus in Ecclesia beati Jacobi occiditur.

Eodem tempore Mediolano totaliter subverso Imperator Reliquias Sanctorum ibi inventas inter Prelatos & Principes divisit. Trium quoque Magorum corpora apud S. Eustorgium, ubi nunc est monasterium fratrum Predicatorum, recondita dedit Reinaldo Coloniensi Archiepiscopo.

scopo. Qui ea ad Coloniam honorificè transportavit, & in majori ecclesia decentissimè collocavit.

Audivimus eo tempore, aput Mediolanum in quadam Basilica, annotatos inveniri duos versus excriptos in quodam lapide ex antiquissimo tempore, qui hanc destructionem credebantur prenunciasse his verbis.

Rex est venturus, Mediolanum, tibi durus,
Rex tibi crudelis, per quadrum diminueris.

Uladislaus quoque XXV. Dux Boemorum à Friderico Imperatore honoratur cum candelabro Salomonis, quod ex Mediolano asportatum, in ecclesia S. Viti Prage collocavit.

Anno Dni MCLXIV. Gebehardus Comes de Purckhausen sine herede obiit. Ex tunc Duces Bauarie arcem cum civitate possederunt.

Hoc anno facta est translatio sancti Caroli Imperatoris magni, feria quarta post nativitatem Domini.

Anno Dni MCLXVII. Welfo senior, & fundator Monasterii Steingaden circa Epiphaniam Domini jam secundo iter Hierosolymitanum aggreditur, in Italia circa Romam Imperatorem reperiens, filium suum juniorem Welfonem cum omnibus ad se spectantibus gracie ejus commendans, Pascha sanctum apud sepulchrum Domini celebravit. Interea Imperator filium Welfonis senioris multis promissionibus eum cum aliis principibus ad Italiam revocat. Cúmque mense Julio Imperator circa Romam magnam vastacionem & stragem populorum faceret, atque multi Romanorum propter exortum scisma in parte ipsius fuerunt. Welfo senior jam reversus hoc perpendens. Hec tanquam detestabilia aspicere non potuit, sed ad propria rediit, filium suum ibidem relinquens. Ubi mox ulcio divina subsecuta est, & maxima pars exercitus Imperatoris mortalitate interiit, Quorum omnium pene ossa, carnibus per excoctionem consumptis, ad propria reducta sunt. Translata sunt & ossa Welfonis junioris ad monasterium Staingaden à Patre suo olim fundatum.

Anno Dni MCLXVIII. Fridericus Imperator reversus in Germaniam totam terram & universam substanciam Friderici Ducis de Rotenburg, al. Sueuorum, fratruelis sui, hereditaria successione possedit.

Anno Dni MCLXX. Terremotus maximi facti sunt. Et ingens inundacio aquarum mense Septembre.

Anno Dni MCLXXIIII. S. Thomas Canthuariensis Archiepiscopus pro fide Christi martirisatur.

Anno

Anno Dni MCLXXVI. Ratisbona urbs Bavarorum tota penitus conflagravit incendio, exceptis monasteriis S. Emerammi, S. Marie in Superiori, & S. Pauli Apostoli 3. Kal. Septembris.

Anno Dni MCLXXVII. Heinricus primus dux Austrie post multa virtutum ac probitatum insignia obiit. Cui Leopoldus filius ejus successit.

Anno Dni MCLXXXIII. Indictione prima, XVI. Kalendas Julii circa nonam horam, cùm nimius esset estus, fabrica quædam in valle sita, igne exestuans vicinas domos & inde omnes officinas, tandem Claustrum & Ecclesiam sanctorum Udalrici & Aphre mira celeritate in favillas redegit, ita ut in proxima cena nec panis ad victum superesset, nec tugurium, in quo proxima nocte fratres quiescerent. Dispersi ergo per civitatem fratres, pre nimia afflictione spiritus, tedebat eos vivere. Tandem resumptis viribus domicilia ceperunt edificare, in quibus ad divinum servicium & ad cultum religionis peragendum se pro posse receperunt. Post hæc ex precepto & consilio Hartwigi episcopi quesitum est corpus S. Udalrici pene per duas septimanas, tandem placuit sancto Confessori in Anniversaria nocte sancti patris sui Hupaldi revelari. Ex quo tempore nunc semper ab ecclesia colitur ejusdem festivitas Translacionis feria secunda post octavam Pasce.

Eodem anno defuncto Alberto episcopo Frisingensi Otto Canonicus Magdeburgensis eligitur & introducitur in Kalendis Januarii.

Eodem anno in festo S. Dionysii Episcopi & martyris quidam puerulus subitò mortuus ad ecclesiam Parisiacensem ejusdem martyris a parentibus deportatus & ante corpora Sanctorum super altare positus, meritis eorum coram universo populo resuscitatus est.

Eodem tempore Carnotum populosa civitas in Francia exustione subita exarsit, eoque incendio insignis ecclesia beate Marie Virginis cum toto claustro conflagravit & corruit, ubi Reliquiarum & hominum multitudo & ornamentorum congeries immensa periit.

Anno Dni MCLXXXVI. Fridericus Imperator filium suum, Henricum scilicet sextum hujus nominis Italie prefecit. Inter quem & Papam Clementem tercium simultas multa orta est. Cùm autem his temporibus in Curiis Regum & Principum frequens hystrionum turba congregaretur, qui a Principibus verbis adulatoriis ac joculatoriis equos, vestes, aurum & argentum extorquebant. adeoque hec pestis invaluerat, ut hi miseri & avari reputarentur, qui talium leccatorum societate carerent.

Anno Dni MCLXXXVIII. Predicante Crucem Christi quodam Episcopo Ravennate Ordinis Cisterciensis Florencie in subsidium terre sancte plurimi devotè Cruce assumpta cum magna comitivia perrexerunt & satis juverunt in capcione terre Damiate. Propter quod Fridericus Imperator restituit eis Comitatum usque ad decem miliaria. Et circa illud tempus fuit largitum Florentinis brachium beati Philippi Apostoli à regina Jerusalem, quod est in ecclesia beati Johannis Baptiste.

Eodem tempore Concilium Generale Parisius celebratum est à Philippo rege Francorum in subsidium terre sancte.

Anno Dni MCLXXXX. Fridericus primus Imperator Romanorum obiit. Cui successit Henricus VI. filius suus primogenitus. Hic statim postquam regnum accepit, ad regnum Sicilie aspirans, hostiliter sibi resistentibus Apulis Apuliam intravit atque usque Neapolim, cuncta sibi subjiciendo pervenit. Cumque eam urbem per tres menses continuos obsedisset, tam vehemens pestilens morbus invasit exercitum ejus, quod omnes ibidem mortui aut infirmati sunt. Quare & ipse Imperator languens cum paucis coactus est terra dimissa, quam eciam occupaverat, relinquere.

Anno Dni MCLXXXXI. Filius Philippi Regis Francorum Ludovicus usque ad vite desperacionem egrotavit, quem totus Conventus monachorum sancti Dionysii, Clavum & Coronam spineam Domini secum ferentes, una cum Clero & innumerabili populo nudis pedibus incedentes visitaverunt. Postea vir venerabilis Mauricius episcopus Parisiensis, facto sermone ad populum, fusa oracione, puer tactu sanctarum reliquiarum ab omni periculo mortis liberatus fuit.

Ea que sequuntur ab hoc anno Dni 1195. usque ad annum 1227. optimo antiquo Caractere in antiquo lectionum matutinalium libro scripta habentur, exceptis his locis, ubi apponitur propria rubrica. *Sunt verba Stephani Leopolder, minio scripta. Authorem hujus Chronici credo fuisse Conradum Pozzonem ex Parocho Landspergensi monachum Wessofontanum.*

Anno Dni MCLXXXXV. Heinricus Imperator VI. filius Friderici secundario revertitur, & subjugavit sibi Apuliam, Siciliam, & Calabriam.

Anno MCLXXXXVI. Conradus Moguntinus Archiepiscopus duxit exercitum trans mare contra inimicos Crucis Christi.

Eodem anno Henricus VI. Imperator Romanorum obiit in Sicilia & in ecclesia Panormitana magnifice est sepultus. Obierunt eciam Fri-

dericus

dericus Palatinus, & Otto episcopus Bambergensis, filius Perchtoldi comitis de Andechs, & frater beate Mechtildis.

Anno Dni MCLXXXXVIII. Philippus rex, & Otto comes usurpaverunt sibi regnum Romani Imperii.

Anno Dni MCLXXXXVIIII. Conradus archiepiscopus Moguntinus sine victoria rediit, & eodem anno obiit. Cui & Eberhardus Brixiensis episcopus successit. Eodem anno Corpus Domini versum est in cruentam carnem in civitate Augusta.

Anno Dni MCCI. Terre motus magnus factus est 3. Nonas Maji, ita ut multas urbes & ecclesias destrueret, & mortes hominum fierent.

Anno Dni MCCIII. propter Guerram inter Episcopum Kounradum Ratisbonensem & Ludovicum Ducem Baioarie, pene tota provincia incendio periclitatur. Ob quam litem predicto C. episcopo Ratisbonensi venit confœderatus dns dns Eberhardus archiepiscopus Salzburgensis cum manu valida in auxilium nullo resistente, & diruta sunt castra & civitates ex utraque parte, factáque sunt incendia plurima per universam Bajoariam, villarum depredaciones, & ecclesiarum, ita ut nec altaribus abstinerent, sed etiam reliquias Sanctorum inde auferrent, aliaque plurima nephanda & inaudita perpetrata fuerunt.

Anno MCCIIII. Ludovicus dux Bajoarie Castrum & Civitatem Landshuot construere cepit.

Anno MCCV. Philippus rex Aquisgrani intronisatur, & eodem anno cum valido exercitu Coloniam Agrippinam obsidione cingit fines circumjacentes potenter obtinens.

Eodem anno major Domus Frisingie sancte Marie matris Dei consecratur, & corpus beati Corbiniani episcopi gloriosa translacione sublimatur. Poppo Pataviensis episcopus obiit, cui Manigoldus Abbas de Tegernsee successit.

Anno Dni MCCVII. Rex Philippus ab Ottone Palatino Comite de Wittelspach in Babenberg occiditur mense Junio, & Otto adversarius ejus ei substituitur, & mira celeritate nullo resistente in regno sublimatur.

Anno Dni MCCVIIII. Otto Palatinus pro eo, quod Regem occiderat, à Marscalcho ipsius Regis occisus est.

Anno Dni MCCXII. Manigoldus Pataviensis Episcopus, & Rapotto Palatinus Rheni simul discordantes, ob quam causam monasteria & ecclesiæ una cum omni provincia incendio devastantur.

Anno Dni MCCXIII. Gertrudis regina Hungarie, & mater sancte Elisabeth, occisa est à quodam Comite.

Anno MCCXV. Celebrata est sancta universalis synodus Rome in ecclesia S. Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, presidente Dno Innocencio Papa III. Pontificatus ejus anno XVIII. in qua fuerunt Episcopi CCCCXV. inter quos extiterunt de precipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus & Jherosolimitanus. Antiochenus autem graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Anteradenum episcopum. Alexandrinus verò sub Saracenorum dominio constitutus fecit, quod potuit, mittens pro se Diaconum germanum suum. Primates autem & Metropolitani LXXI. Cæterum Abbates & Priores ultra octingentos. Procuratores verò Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, Cappellanorum absencium non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum verò Regis Sicilie in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Francie, Regis Anglie, Regis Hungarie, Regis Israhelitani, Regis Cypri, Regis Arragonie, nec non aliorum Principum & magnatum, Civitatum eciam aliorumque locorum, ingens fuit multitudo.

Eodem anno Rex Fridericus secundus Aquisgrani inthronisatur & coronatur, & eadem die ad miliciam Dei, cum multis principibus & primoribus terre, signaculo Crucis insignitur.

Eodem anno Coloniam Agrippinam in graciam & dedicionem suscepit.

Anno MCCXVI. Honorius Papa III. successit, & sedit annis X. & mensibus II. *Alius Codex hoc refert anno 1214.*

Eodem anno civitas tota Frisinge combusta est, tam Ecclesie cum campanis, quam domus, sub glorioso Episcopo Ottone secundo.

Anno Dni MCCXVII. Cometa visus est. Fames eciam valida sequitur per totam Bavariam, Austriam, Marchiam, & Hungariam.

Anno Dni MCCXVIII. Ludovicus Dux Bavarie oppidum Straubing construere cepit.

Anno Dni MCCXX. Fridericus Rex secundus cum uxore sua Regina ab Honorio Papa III. honorificè & sine omni contradictione consecratur in Imperatorem Romanorum solenniter, Duce Baioarie Ludovico aliisque Principibus & viris nobilibus presentibus.

Eodem anno Otto II. Frisingensis Episcopus obiit. Sanctus quoque Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & martyr ab Honorio Papa, missis

missis Cardinalibus translatus est. Hoc quoque anno beatus Dominicus migravit Bononie feliciter ad Dominum.

Anno Dni MCCXXI. Ludovicus Dux Bavarie in auxilium sancte terre transfretavit, ipso vero & aliis Christi militibus ab exercitu paganorum circumveniencium (*legendum puto* circumventis) callidè, Soldano Damieta resignatur.

Anno Dni MCCXXIV. Landau oppidum construitur.

Anno Dni MCCXXV. Johannes predicator totam Alemaniam circuiens, quamplures homines cruce signavit. Preterea fames valida incolis illius terre incubuit. Insuper pestilencia inedicibilis predicte terre dominabatur. Item Fridericus Imperator II. juste legitimeque matrimonium cum regina Jerusalem contraxit. Eodem anno Leopoldus dux Austrie cum consensu Ludovici ducis Bavarie construxit Castrum in Scherding.

Quæ sequuntur, expressè tribuuntur Fratri Conrado monacho Wezzinsbrunnensi.

Anno Dni MCCXXVII. Lantgravia Turingie & episcopus Augustensis Syfridus de Rechberg, cum aliis Principibus in peregrinacione perierunt. *Pro Lantgravia lege* Ludovicus Landgravius. *Vid. Khamm Hier. P. I. fol.* 236. Item Honorius Papa III. obiit, & Gregorius Papa IX. successit.

Anno Dni MCCXXVIII. Otto filius ducis Ludovici Bavariæ aput Straubing presente Rege Heinrico, & Heinrico Marchione de Andechs, & multis aliis Principibus, in festo Pentecostes, gladio accingitur. Postea eodem anno Heinricus Marchio de Andechs obiit.

Anno Dni MCCXXVIIII. Quam multi peregrini, contra inimicos Crucis Christi transfretare volentes, a Papa Gregorio repelluntur. Eodem anno Dei misericordia favente, Jerusalem ab Imperatore Friderico secundo gloriose obtinetur. Hoc etiam anno propter Guerram Regis, & Ducis Baioarie pene tota provincia, rapina & incendio periclitatur.

Anno Dni MCCXXX. Gebehardus Episcopus Pataviensis propter infamiam occisionis Eberhardi Canonici ejusdem Ecclesie & aliis criminibus, à Comite Conrado de Wazzerburg captus fuit. Postea eciam Episcopatum resignavit.

Anno Dni MCCXXXI. Castrum Valax aliàs Valay à Gebehardo tabernario obtinetur, unde tota provincia devastatur. Leopoldus dux

Austrie, apud S. Germanum obiit, cujus corpus in monte Cassino, in monasterio S. Benedicti sepelitur. Rapoto Palatinus Baioarie obiit.

Anno Dni MCCXXXII. Ludovicus dux Baioarie in Kelheim occiditur, præsente familia sua, a quodam ignoto Pagano cultro percussus, XVI. Kalendas Octobris obiit. Et hoc ex insidiis Friderici Imperatoris Romanorum.

Anno Dni MCCXXXIII. Otto dux Baioarie & Principes aput Lantshuot conveniunt tractaturi ibi de pace. Ibique Conrado Episcopo Frisingensi Castrum Purkrain redditur. Post orta Guerra inter Regem Heinricum, & Ottonem Ducem iterum provincia tota devastatur. Heinricus Rex Friderici Imperatoris Romanorum filius, cum exercitu valido Baioariam ingreditur, & sibi Otto Dux per filium, quem dedit obsidem, reconciliatur.

Anno Dni MCCXXXIIII. Otto Dux Meranie obiit.

Anno Dni MCCXXXV. Fridericus Imperator secundus de Apulia veniens, partes Theutonicorum ingreditur, filium suum Heinricum regem a regno ejicit. Item Imperator cum filia regis Anglie matrimonium contraxit.

Anno Dni MCCXXXVI. Corpus beate Elisabeth, præsente Friderico Imperatore magnifica translacione sublimatur. Eodem anno Fridericus dux Austrie, edicta Friderici Imperatoris, & amicicias Principum contempsit, ob quam causam ab Imperatore in collegio Principum Auguste vindelicorum ab honore & potestate Principatus proscribitur.

Anno Dni MCCXXXVII. Fridericus Imperator invitatur a civibus Wiennensibus & quibusdam aliis contra Fridericum ducem Austrie. Imperator verò secum duxit plures Episcopos & Principes regni, e quibus specialiter Ekkebertum Bambergensem episcopum, & tres Comites videlicet de Hennenberg, de Eberstein, & de Nürnberg, hos constituit rectores pro majori pace conservanda.

Anno Dni MCCXXXVIII. Fuit eclipsis solis quasi tocius circa horam nonam die VI. Junii, unde aer ita obscuratus fuit, ut quasi nox appareret. Hoc secundum aliquos significavit mortem Gregorii Pape noni, & diversas guerras inter Fridericum Imperatorem, & Fridericum Ducem Austrie, inter quos diu certatum est, neque adhuc hoc tempore finem habuit.

Anno Dni MCCXXXVIIII. Gregorius Papa nonus obiit, cui Cœlestinus quartus successit de Mediolano, & quia erat senex & infirmus,

firmus, non nisi XVIII. diebus, quibus vixit, ecclesiam Dei valuit gubernare. Eo defuncto vacavit Sedes XXII. mensibus. Causa hujus tam prolixe vacationis dicitur fuisse, quia Imperator operam dabat cum Cardinalibus, qui pauci erant, ut non crearetur Papa, nisi ad voluntatem suam, quam ob rem dissensio erat inter Cardinales. Quia enim Imperator multum afflixerat Ecclesiam, & prevaluerat, & ob hoc legitur, institutam fuisse Octavam nativitatis sancte Mariæ virginis, quia votum fecerunt Cardinales, ut si eis prestaretur gracia unitatis & concordie in ipsa electione, prout oportebat, ipsam Octavam mandarent celebrari per orbem. Quod secutum est, concordia habita, & voto impleto.

Anno Dni MCCXLI. Saraceni Caccexeer dicti sunt, intrantes Hungariam, & vastaverunt eam. Sol obscuratus est in meridie, & stelle vise sunt, pridie nonas Octobris. Eodem anno Bela rege quarto Hungarorum regnante, intraverunt Tartari regnum Hungarie prima vice cum quinquies centenis millibus armatorum, & manserunt ibi tribus annis.

Anno Dni MCCXLII. Innocentus Papa quartus successit VII. Kalendas Julii, seditque in cathedra S. Petri annis XI. mensibus VI. & diebus VI.

Anno Dni MCCXLVI. Fridericus Dux Austrie in conflictu Hungarorum occiditur. Eodem anno Conradus rex filius Imperatoris Friderici, matrimonium cum Elisabeth filia Ottonis ducis Bauarie, in Vochburg contraxit. Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus obiit, cui Philippus filius Bernhardi Ducis Carinthie successit.

Anno Dni MCCXLVII. Terra Bauarie a domino Papa Innocentio quarto sub interdicto ponitur, nonas Augusti, plusquam tribus annis. Eodem anno Ludouicus dux junior Comitem Conradum de Wazzerburg ejiciens, tam castra, quam homines, infra XVII. ebdomadas potenter obtinuit. Rudigerus Pataviensis episcopus multas concrematas ecclesias iterum consecravit, in mense Augusto, tempore interdicto.

Anno Dni MCCXLVIII. tertio Idus Februarii in nocte factus est terremotus magnus.

Anno Dni MCCXLVIIII. Innocentius Papa IV. Concilium generale Lugdune celebravit, in quo omnium consensu Fridericum Imperio & Regio titulo privavit.

Anno

Anno Dni MCCL. Rudigerus episcopus Pataviensis propter ecclesias sub interdicto consecratas, & pro eo, quod tempore schismatis inter Regnum & sacerdotium favere videbatur parti adverse, ab Innocencio Papa IV. ab omni officio & dignitate deponitur, eciam contra voluntatem Conradi regis, & Ottonis ducis Bauarie.

Anno Dni MCCLI. Fridericus II. quondam Imperator Romanorum obiit in quadam ciuitate Apulie, que dicitur Firenciola.

Anno Dni MCCLII. Domina Elisabeth, filia Ottonis ducis Bauarie, genuit Conrado Regi Romanorum filium, in die Annunciationis S. Marie virginis, & vocatus est Conradus.

Anno Dni MCCLIII. Otto dux Bauarie novam monetam in Landshuot fecit fabricari, circa inicium mandans ipsos denarios, & non alios recipi. Hic igitur Otto dux in principio sui regiminis fuit seuerus Judex & Princeps mansuetus. Postea propter favorem, quem impendere videbatur Friderico quondam Imperatori & Conrado filio ejus, ab Innocentio Papa & Episcopis jam diu & sepe excommunicatus, persequi cepit Clerum, & mala malis addens, tandem in Vigilia S. Andree Apostoli, cum de nocte sero, cum uxore & familiaribus ejus, valde jocundus fuisset, præsentem vitam subitanea morte finivit.

Anno Dni MCCLIIII. Conradus rex, filius Friderici Imperatoris obiit aput partes & terre latinorum. Innocentio IV. defuncto vacavit Sedes Apostolica per biennium. Demum canonicè successit Alexander Papa quartus, & sedit sex annis. Hic Anagnie canonisavit S. Claram virginem.

Anno Dni MCCLV. Ludovicus dux junior & frater ejus Heinricus circa festum Pasce suos inter se dividunt principatus. Heinrico verò cessit Landshuot & Purckhausen cum aliis. Ludovico autem cessit superior pars Bavariæ, & alia loca ad eundem principatum pertinentia. Eodem anno Heinricus Dux cum Alberto Episcopo Ratisponensi plenam concordiam fecit.

Similiter etiam fecit cum Domino Ottone Pataviensi Episcopo, ac interdictiones divinorum, jam plusquam per triennium observatæ, relaxantur.

Anno Dni MCCLVI. Ludovicus dux & Comes Palatinus Reni occidit Mariam uxorem suam propter suspiciones adulterii in Werde Suevico XV. Kal. Februarii.

Anno Dni MCCLVII. Richardus frater regis Anglie Rex Romanorum creatur. Eodem anno Otacherus rex Bohemie, qui & dux Austrie,

Austrie, Bavariam hostiliter ingreditur, sed sine victoria in terram suam revertitur.

Anno Dni MCCLVIII. Conradus Episcopus Frisingensis obiit XV. Kal. Februarii, cui Ch. Silvester comes successit.

Anno Dni MCCLVIIII. Eclipsis lune apparuit XV. Kal. Junii. Eodem anno fames validissima facta est & morticinium grande nimis hominum atque pecudum. Et innumerabilis multitudo hominum Hungariam est profecta.

Anno Dni MCCLX. Alexander Papa quartus misit epistolam de incontinentia Clericorum ad Archiepiscopum N. Salzburgensem. *Hanc epistolam recitat Hansiz. tom. 2. Germ. S. fol. 356.*

Eodem anno Rex Hungarie regem Bohemie bello aggreditur, habens in exercitu suo diversarum orientalium nacionum, eciam Paganorum, circa XL. millia equitum. Cui rex Bohemie Otacherus cum centum millibus occurrit, inter quos fertur habuisse VII. millia equitum de ferro coopertorum. Ludovicus vero dux Bavarie, exercitu forti in auxilium Otacheri regis Bohemie Austriam ingreditur. Cúmque postea in confinlis regnorum bellum inchoatum fuisset, ex collisione equorum & armatorum tantus pulvis de terra surrexit, ut media & clara die vix homo hominem cognoscere potuisset. Tandem Hungari rege eorum graviter vulnerato terga vertentes in quodam fluvio profundissimo, quem transire debuerant, præter aliquos occisos, CC. & XIIII. millia hominum submersa dicuntur. Factum est hoc bellum feria secunda in die S. Margarete Virg. & martyris, estu maximo existente.

Hoc eciam anno surrexit secta flagellatorum a quodam Perusie ortum habens, que tantum invaluit, quod per totam Longobardiam & Carinthiam eciam ad Theutonicos sive Germanos devenit. Sed quia origo ejusdem penitencie nec a Sede Apostolica neque a sanctis vel perfectis viris fulciebatur, ideo a quibusdam episcopis & domino Henrico duce Bavarie cepit haberi contemptui, unde tepescere in brevi cepit.

Anno Dni MCCLXI. Postquam Alexander Papa IV. diem clausit extremum, elapsis quinque mensibus post vacacionem Sedis Apostolicæ, electus est canonice Urbanus IV. & sedit annis tribus. Hic etsi infime condicionis fuit secundum seculi vanitatem, quia filius pauperculi resarcientis sutilares in Francia, nobilissimus tamen sapiencia & virtutibus. Repperit namque ecclesiam Dei multum dejectam in temporalibus & perturbatam. Hic Urbanus Papa IV. instituit solemnitatem

Corporis Christi celebrari per orbem. Ideo imposuit fratri Thome de Aquino, ut officium ipsius festi ipse dictaret, quod & fecit.

Anno Dni MCCLXIII. In octava S. Agnetis ventus tam validus est exortus, ut non solum edificia plurima subverteret, sed eciam prosternendo multas arbores magnum damnum faceret in nemoribus & silvis.

Eodem anno tanta fuit sterilitas & ariditas terre, ut in omnibus prouinciis cum multa penuria tam jumenta quam eciam homines sustentabantur. Similiter apparuit in celo quedam nova stella, quam sapientes Cometem vocant, cum magnis radiis seu coma, que surgens ab oriente cum magna luce usque ad medium celi versus occidentem suos radios emittebat: per tres autem menses duravit apparicio ejus. Ipsa autem apparente infirmatus est Urbanus Papa, & eodem anno obiit. Similiter etiam multa incommoda subsequuntur, in diversis namque regionibus inter reges & principes cedes hominum multe fiunt, mortalitas quoque hominum & pecorum non mediocriter est secuta.

Anno Dni MCCLXVI. Tempore Autumnali Otacherus rex Bohemie & dux Austrie & Stirie Bavariam ingreditur cum exercitu forti, & inimicicias jam dudum contra Ludovicum & Henricum duces Bavarie conceptas totis viribus in arma convertit, Salzburga, Patavia, Ratisbona sibi auxiliantibus. ex quibus tunc facta sunt in Bavaria multa incendia, occisiones hominum, & rapine. Tandem ad propria est reversus. Post hec III. Kalendas Novembris Heinricus dux Bavarie civitatem Pataviensem per tradicionem cepit, aliquibus ibidem civibus interfectis novum forum cum quibusdam domibus ac magnam partem civitatis igne combussit. Facta est eciam strages maxima tam in partibus Alemannie, quam latine.

Anno Dni MCCLXVII. In vigilia Ascensionis Domini fuit sol obscuratus in meridie. Filius eciam Conradi regis Chunradinus dictus ad partes latinas processit. Similiter fit Terremotus magnus, ita ut in multis locis Germanie edificia corruerent.

Anno Dni MCCLXVIII. Rex Chunradus occiditur.

Anno Dni MCCLXVIIII. In ipso festo Nativitatis Christi tanta facta est inundacio aquarum, quanta nunquam a tunc viventibus visa fuit.

Anno Dni MCCLXXI. Indictione XIII. ex sterilitate terre fuit fames validissima ubique terrarum. Eodem anno eciam multi Christiani a Tartaris in confinibus Austrie occidebantur. *Hic in margine adscriptus est iste versus:*

Qui me scribebat, Konradus nomen habebat.

Anno

Anno Dni MCCLXXIII. Feria quinta post Misericordia Domini Cathedralis ecclesia Ratisponensis cum palacio Episcopali & optimis campanis incendio totaliter est consumpta, tempore Leonis Episcopi. Rudolfus Comes de Habspurg in regem Romanorum creatur, & Aquisgrani statim intronisatur. Rex Bohemorum potenter & patenter Hungariam ingreditur, & cum magna occupacione civitatum & castrorum revertitur.

Anno Dni MCCLXXIIII. Papa Gregorius decimus apud Lugdunum Concilium celebravit.

Anno Dni MCCLXXVI. Dnus Papa Gregorius obiit. Cui substitutus est Innocentius V. in die S. Agnetis, qui mortuus est ante Johannis Baptiste. Et illi successit Adrianus V. Et ille obiit in die S. Agapiti. Cui successit Johannes XXI. & sedit octo mensibus.

Eodem anno Dnus Rudolfus rex Romanorum Austriam potenter est ingressus, & obtinuit Carniolam, Stiriam, Karinthiam, & ipsam Austriam infra duos menses. Rex Hispanie duabus vicibus vicit Regem Francie in conflictu. Filius regis Romanorum contrahere promisit cum filia regis Boëmorum. Et e converso filius Boëmi cum filia regis Romanorum.

Anno Dni MCCLXXVII. Contractus matrimoniales inter prescriptos Reges dissoluti sunt, & guerra gravis fuit inter eos.

Anno Dni MCCLXXVIII. Ambo Duces aput Frisingiam concordati sunt, quod propterea destructum fuit.

Dnus Rudolfus rex Romanorum devicit & occidit regem Bohemorum, & obtinuit Moraviam. Et cum voluisset occupare Boëmiam, prohibitus fuit per Marchionem Brandenburgensem, qui sunt concordati, ut infra invenitur. Duces concordaverunt se usque ad XX. annos.

Anno Dni MCCLXXIX. Filius regis Bohemi contraxit matrimonium cum filia regis Romanorum. Item contraxit & Marchio Brandenburgensis cum filia regis Romanorum matrimonium. Rudolfus rex fuit in discordia.

Anno Dni MCCLXXXI. Martinus Papa quartus successit.

Anno Dni MCCLXXXVI. Quo anno Adolfus Rex suscepit regni gubernacula.

Anno Dni MCCLXXXXVIII. Albertus rex Romanorum successit Adolfo in regno, & rexit per X. annos.

IV.

Documenta vetera, ex coævis chartis per Stephanum Leopolder Monachum Wessofontanum transscripta, de Beato Walthone Abbate, quibus ejusdem Acta, priori Parte edita, multis antiquitatis testimoniis elucidantur.

Anno Dominice Incarnacionis MCXXX. temporibus Innocencii Pape II. & Lotharii II. Imperatoris Romanorum, sub Herimo, al. Herimanno Episcopo Augustensi, Electus fuit venerandus & Religiosus Pater & monachus nostræ Congregacionis Walto in Abbatem & Pastorem ecclesie sancti Petri Apostoli. Et prefuit in omni sanctitate vite XXVI. annis, & III. dies.

Omnium fidelium memorie commendamus, quod quidam Pernhardus de Wilheim, nobilis homo, curtem in Auulunges cuidam Penanoni de Riffenstein, pro VIII. talentis impigneratam, Deo & S. Petro, fratribúsque in Wessinsbrunn tradidit, pro amore filii sui Norberti Augustensis Canonici ibidem seculo abrenunciantis. Hujus rei testes sunt hi. Aribo de Wilheim. Arnoldo. Gebino filius Pernhardi, & frater Norberti. Volmarus. Sigifridus. Rudigerus. Lantfridus.

Omnium fid. mem. commendamus, quomodo Werinhardus nobilis de Stauffen, ecclesie Wezzinsbrun. advocatus, pro dilectione sororis sue Richinse, quam ipse spirituali vite in eodem loco tradiderat, nec non pro redemptione anime tam sue, quam parentum suorum, predia que ad Hochenmos & Durchholsen juste possederat, cum manibus uxoris suæ, & fratris sui, ad altare S. Petri tradiderit, cum mancipiis eysdem possessionibus attributis, fratrum inibi Deo serviencium usibus perpetuo profutura. Coram testibus in numero XIII. viri. Obiit autem Richinsa monialis S. Petri XIV. Kal. Julii.

Omnibus Christum profitentibus notum esse volumus, quia Dnus Heinricus nobilis de Stauffen Advocatus Wezzinsbrun. multa instancia per Abbatem Walthonem & fratres ecclesie nostre obtinuit, quatenus ei mansus unus in Gezines ad vitam suam permitteretur, cujus loco ipse in Bözenhusen mansum unum beato Petro fratribúsque delegavit, adjecta illa condicione, ut post ejus obitum Gezines nihilominus in prebendam fratrum, remota contradictione, reverteretur. Coram VI. testibus.

Con-

Constitutum est apud nos & communi consilio domini & patris nostri Waltonis Abbatis, omniúmque fratrum assensu confirmatum, ut in primis Festis Dominicis, scilicet Natalis Domini. Pasce. & Pentecosten. In vigilia & in sancto die *Cellararius*. Secunda die *Prepositus*. Tercia die *Camerarius*. Quartie itidem *Prepositus*, copiosa fratribus impendant servicia. Post festum omnium sanctorum, hoc est, in die Commemoracionis omnium defunctorum *Elemosinarjus* solenne fratribus impendat servicium. Siquis hanc institucionem pii patris & domini nostri, videlicet Waltonis Abbatis infringere attemptaverit, deleatur nomen ejus de libro vivencium, & cum justis non scribatur, pereátque memoria ejus in secula seculorum. Amen.

Sequitur dein Diploma Heinrici Episcopi Ratisbonensis, quod recitavimus Parte I. f. 130. Deinde Bulla Innocentii II. Papa, recitata Parte I. f. 124.

Donacio Gisile vidue de Seeuelt & Monialis S. Petri in Wezzinsbrunnen. 1141.

Omnium in Christo credentium memorie firmiter inherere cupimus, quod quedam nobilis femina, Gisala nomine de Seeuelt, predia suæ proprietatis. *Bibirbach*. *Brunnen*. *cum Hoznran*. *Rinnenbach*. *Tangrebin*. *Wolmutsabe*. *Guttingin*. sancto Petro, nec non fratribus in Wezzinsbrunn Deo militantibus, potestativa manu tradidit, *eo tenore*, ut predia, que a marito Hoholdo ei provenerant, Advocatum semper habeant seniorem stirpis illius. Et de eysdem, siquid videbitur forte vendendum, neminem contingat empcio extra eamdem stirpem alicui. Cujus tradicionis hy testes fuerunt. Heinricus de Stouphen. Wolftrigil de Perge. Hartmannus de Williburgerieth. Adelbertus de Grunharsthoven. Gotebolt de Ruote. Hiltebrant de Morenwis. Geroldus de Seeuelt. Udalricus dè Tadinswanc. Cum aliis XIIII.

Matre verò predicte Gisile huic delegacioni contradicente, prediumque Biberbach in suum jus vendicante. *Venerabilis Abbas ejusdem loci Walto nomine*, sapienti usus consilio, talenta decem cum Caballo prestantis forme eidem domine optulit, eo pacto, ut potestate predicti predii publice se disvestiret, omnemque metum exactionis ex parte sui in posterum fratribus aufferret. *Illa ergo peticioni fratrum liben-*

libenter annuens, usum sepedicti predii cum manibus filie sue ad altare S. Petri delegavit. Cujus rei hy testes fuerunt. Wolstrigil *de Perge*. Heinricus de *Stouffen*. Udalricus de *Wichfridesbouen*. Adelbertus de *Grunbartsbouen*. Goteboldus de *Rote*. Sigibotto de *Grizzenpach*. & filius ejus Conradus. Hiltebrant de *Morenwis*. Conradus de *Ambingin*. & frater ejus Udalscalcus. Otto de *Husin*. Heinricus de *Ussingin*. Sigibotto de *Bitingowe*. cum aliis VIII.

Postmodum verò Ludewicus quidam de Oettingin, avunculus sepe dicte Gisile, temerario ausu, prenominatum predium in suam dicionem contraxit, & ad cumulum iniquitatis sue, consiliis allectus Aistetensis Episcopi, fratribus Plancstetensis cenobii, quod in ejusdem episcopio situm est, id ipsum predium tradere promisit, pecunia centum talentorum ab eis accepta. Taliter ergo Wezzinsbrunnenses fratres, possessione sua spoliati, tam diu clementissimum principem dominum Chuonradum regem assiduis interpellabant querimoniis, donec ipsius consilio, cum predicto Ludovico actum est, ut quadraginta talentis ipsius vice, fratribus Plancstetensibus, a fratribus sancti Petri redditis, presente Rege, predicti predii proprietate se disvestiret ex parte sua. Wezzinsbrunnensis ergo Abbas suadente rege, licet ad presens evidencia testium, quos pro dirimenda controversia secum adduxerat, se speraret evadere, Tamen ut ex omni parte suo Cenobio libera foret ejusdem predii possessio, postulatam a Ludewico pecuniam se dare spopondit, ea condicione, ut omnem suspicionem exactionis fratribus S. Petri, ex parte fratris sui, & filiorum suorum aufferret. Qui jurejurando promisit, ut si non infra terminum unius anni id efficeret, centum talentorum regie majestati debitor existeret. Acta sunt hec in regali colloquio apud Nourinberch habito. Anno ab Incarnacio Dni M. C. XLII. Indictione quinta anno Imperii Dni Konradi regis quinto, presentibus multis primatibus Bauuarice gentis, qui etiam testes horum effecti sunt. Dietpoldus Marchio. Gebehardus Comes de *Sulzbach*. Prefectus Ratisponensis. Otto, & duo filii ejus Heinricus & Otto. Poppo Comes de *Andechs*. Ernestus de *Hochenburch*. Fridericus ratisponensis Advocatus, Conradus comes, & frater ejus Arnoldus de *Dachoune*. Ludewicus. Luppurch. Udalricus de *Stein*. & frater ejus Conradus de *Biburch*. Adelbertus de *Hollenstein*. Cum aliis XX. viris.

Dona-

Donacio prediorum Wilpurgsried, Apfeldorff, & Bernpach.

Noverint omnes divini nominis cultores, qualiter nobilis homo Hartmannus de Williburgeriete, predia, que in his locis habuit, videlic. Williburgeriet, Apfeldorf, Pernbach fratribus S. Petri pro XX. talentis ſibi dandis allegaverit, ut ſi prenominatam pecuniam infra quinque annos non reddiderit, fratres W. jure proprietatis predia prefata poſſideant, nec ipſe infra terminum quinque annorum poteſtatem habeat aliquit ordinandi ſuper eisdem prediis, niſi prefatam pecuniam reddiderit. Teſtes. Hartmannus. H. H. Werinherus W. Wolnoldus. Waltherus W. Ozi. Conradus. cum aliis octo, omnes de villa Ephach.

Anno Dni M. C. XLIII. Indict. IV. 11. kal. Julii. Dedicata eſt Capella S. Nicolay epiſcopi & confeſſoris, a venerando Ottone epiſcopo Friſingenſi. Eodem anno idem Epiſcopus conſecravit Capellam ſuperiorem, in honore Aſſumpcionis ejusdem virginis Marie II. Idus Julii. Et fuit annus quintus Ottonis epiſcopi.

Sciant omnes Chriſtiane fidei profeſſores, qualiter quedam Matrona Luikardis nomine, predia, que in his locis habuit, videlicet Nidernhofen, & Walchoupeten, Wezzinsbrun cenobio tradiderit, per manum Dietrici de Rote, pro ſalute anime tam ſue, quam parentum ſuorum, & pro amore filiorum ſuorum Heinrici & Albrandi, quos eadem die monaſtice vite ſociavit. Coram teſtibus.

Omnium fidelium noticie commendamus, qualiter rogatu precibusque Ducis Welfonis Dominus Walto venerabilis Abbas, fratresque Weſſinsbrun. ſuo in collegio ſigibotonem quemdam de Hunſoln ſuſceperunt, cum Adalheida uxore Heinrici, fratris ejusdem ſigibotonis, nec non & filiam ipſius Heinrici.

Donacio predii in Landſperg.

Predium in *Loudewiginſperge*, quod fuerat de proprietate prefate Adalheidis, monaſterio S. Petri delegatum eſt a memorato Heinrico, & filio ejus Udalrico, juſſu & licentia prefati Ducis Welfonis. Teſtes. Udalricus Parrochianus de Hunſoln. Hiltiprandus de *Morenweis*, & miles ejus Hugo. Dieto ſenior & junior de *Wale*. Weriandus de *Richilingin*. Arnoldus de *Vindingin*. cum aliis multis.

Predia

Predia in Peckſteten & Ramungen, obtulerunt S. Petro in Wezzinsbrunnen Touno famulus Ducis Welfonis cum fratre ſuo Conrado de *Stochaim.*

Dnus Udalſcalcus clariſſimi generis de *Wielenpach*, peregrinacionem transmarinam aggreſſus, optulit S. Petro duo predia, videl. Aiche & Plintencelle pro remedio anime ſue. Obiit idem Udaſcalcus preclarus vir in die S. Gangolfi martyris.

Udalricus miles cum uxore ſua Hemma de *Mülhuſen dederunt* S. Petro predia ad Mülhuſen, & Waltershofen.

Hermannus de *Sandorff* famulus Ducis Welfonis, tradidit S. Petro predium ad Holzburg ſitum.

Hiltiprandus de *Morenwis* cum uxore ſua Irmigarda, dederunt S. Petro duo predia in locis, Marhpach, & Sandolshauſen. Obiit autem Irmigarda predicta pridie nonas Octobris.

Udalricus de Sandau, famulus Heinrici Ducis Saxonie, peregrinacionem aggreſſus eſt transmarinam. Hic obtulit S. Petro predium unum ad Hauſen, ſive liberos generet, ſive non

Omnium fidelium tam preſencium quam futurorum noticie pateat, qualiter nobilis quidam homo, Werinherus dictus, predium ſuum, quod liberè poſſederat in loco, qui dicitur *Paſinhuſen*, liberà & potenti manu Deo & S. Petro, & fratribus Weſſinsbrun. contradidit, ad perpetuum eorum uſum, ſine omni contradictione. Soror quoque ejus, ſiquid poteſtatis habuit in eodem predio, conducto dimidii manſus precio ejusdem predii, legitimè cum omni jure abnegavit ſuam eciam partem ſiquam habuit, parti illius pleniter & integràliter doctis verbis ſuper addidit. Cum autem predicti fratres idem predium in uſum ſuum per omnia legitime contraxiſſent, annuali eciam, imo longiori poſſeſſione cum quiete poſſediſſent, predicta ſoror Werinheri illius, exercens quod potuit, non quod debuit, memoratos fratres, ſicut ſuum fratrem, ſine racione, ſuper juſta poſſeſſione predii illius incauſavit. Fratres autem illi jure ſue leg. & cauſa quietis proprie, cum ex jure legis humane nihil haberent, quod ſibi reſponderent, ſuper juſta annuali & legitima poſſeſſione, ejus injuſtam querelam compeſcuerunt, & quod ipſa ſimul cum filiis ſuis, ſecundo jam & tercio, doctis verbis legalibus, legitimam fecerit abnegacionem predicti predii, quiſiti & inquiſiti, precio talenti denariorum Auguſtenſium obtinuerunt. Cujus rei facti ſunt teſtes. Heinricus de *Staufen.* Deginhardus de *Seuelt.* Egilolf de *Wile.* Hiltiprandus de *Morenwis.* Ortolfus & frater

frater ejus de *Gerensbuſen.* Pero de *Kuviringin.* Ortolfus de *Phetine.* Heinricus de *Uſſigin.* cum aliis XIIII.

Ammalbertus nobilis homo, de Lechhauſen, dedit S. Petro predium unum ibidem, quiſitum & inquiſitum cum omni jure, & cum centum ſexaginta mancipiis. Aliud predium, quod aput Wolmotſahe poſſederat, quiſitum & inquiſitum tradidit eadem die cum omni jure, ad predictam eccleſiam.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter quedam femina, propria eccleſie Tadiswanck, tradiderit Deo & S. Petro, fratribúſque Wezzinsbrun. Prædium quoddam apud Mülehuſen ad perpetuum fratrum eorumdem uſum atque ſolacium. Domino autem Adalberto tunc temporis aput Rote, & aput Taidiswanck parrochiano, & aliis quibusdam hanc delegationem caſſantibus ac dicentibus, feminam illam predium ſuum alio non potuiſſe conferre, preter ad eccleſiam, cujus ipſa propria fuerit. Hoc inquam modo illis delegacionem predictam caſſantibus, Venerabilis Abbas ejusdem loci Walto dictus, ſapienti uſus conſilio, in Conventu Auguſtenſi, coram epiſcopo Walthario, & coram Clericis ac laicis, litigium tale ventilandum atque ſedandum propoſuit. Judiciario igitur jure, hec ibi juſticia adinventa eſt, & firmata, Omnem virum vel feminam, cujuscumque eccleſie proprium vel propriam, Predium ſuum licite ac libere poſſe conferre illi eccleſie, cujus proprius vel propria fuerit, cum ſua eccleſia, ſicut & majoris eccleſie proprius aut propria predium ſuum itidem absque omni contradictione poſſit conferre illi eccleſie, que propria eſt majoris. Hac itaque juſtitia, controverſia omnis illa, finita eſt.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter quedam miniſterialis ducis Heinrici, Luikardis de *Rauinsburch*, ſoror bone memorie *Gebezonis*, tradidit ad altare S. Petri prædia duo ſuper *Ekke*, accepta ab Abbate Waltone & fratribus XIIII. talentorum pecunia. Que tradicio eo tenore facta eſt, ut ſi infra terminum quinque annorum predicta domina pecuniam monaſterio redderet, predia illa ſibi in beneficium, ad tempus vite ſue deberentur. Sin aliter expleto illo termino annorum, in proprietatem & in uſum monaſterii, poſſeſſiones ille cederent. Expleto itaque termino, pecunia non reddita eſt fratribus. Sic predia manent usque hodie fratribus Weſſinsbrunn. Teſtes hujus tradicionis. Dietericus de *Chuſringin.* Rapot de *Ubingin.* Udalſcalchus de *Ambingin,* Pabowin de *Raiſtingin.* Arnolt de *Vindingin.*

Noverint omnes Christiane fidei professores, quod quidam ministerialium ducis Welfonis, Otto cognomento *Rizzare*, sine filiis diem obiit, cujus beneficium in *Pirsewalde*, due videlicet curtes, quas de manu predicti domini sui Ducis habuerat, ipso defuncto in potestatem ejusdem domini sui ducis redierunt. De his prediis vide infra lacius sub Sigibaldo Abbate.

Anno autem ab incarnacione Domini MCXLVII. cùm in expedicionem Hierosolimitanam totus jam Romanus orbis, cum ipso tunc rege romano Chonrado unanimiter conjurasset, predictus dux Welfo, expedicionem ipsam profecturus, decem a fratribus Wessinsbrunn. talentis acceptis, prefatas duas curtes, una cum suis manentibus, hoc est, Eberhardo Wolf & filiis ejus, Deo & S. Petro in perpetuum servituras, pro sua anima & omnium parentum suorum animabus, potestativa manu delegavit. Cujus delegacionis aput Ratisponam, in loco, qui dicitur Steten, facte hy sunt testes per aurem tracti. Dnus Fridericus, tunc Dux Suevie, postmodum Imperator. Comes Udalricus de Lenziburch. Comes Werinherus de Paden. Comes Poppo de Lêche. Comes Rudolfus de Phullendorf. Adalgozus advocatus Augustensis. Cum aliis VI.

Noverint omnes veritatis assertores, quod dux Welfo, tum pro remedio anime sue, tum etiam ductus dilectione & affectu sororis sue domine Wulfhildis, monasterio S. Petri tradidit predium, quod dicitur Cheffing, cujus predii pars quedam in beneficium concessa est Konrado Zundin, usque ad terminum vite sue, ea condicione, ut nullus liberorum ejus, post obitum ipsius, ex eodem beneficio quidquam sibi vendicare quasi pro beneficio presumat.

Insuper predictus dux Welfo tradidit eidem monasterio predium cum quodam servo & conjuge, & liberis ejusdem servi Gisihero nomine, situm in loco, qui dicitur Nidervênd.

Sequitur Epitaphium Wulfhildis, sororis Welfonis, quod recitavimus P. I. fol. 177.

Nec hoc lateat, Quòd quidam homo nobilis Pernhardus de Weilhaim, ob amorem celestis vite, nec non eciam affectu ductus filie sue Machtildis, tradidit predium Forchaim, S. Petro in Wezzinsbrunne, & fratribus ibi Deo servientibus, quam eamdem filiam suam intra septa virginum ibi manencium inclusit.

Nec

Nec hoc filendum cenfuimus, quod filius ejus Heinricus feculo renunciaturus, predium Bartinchirche, & predium Hetiningen fepedicto monafterio legitima tradicione optulit, quam tradicionem pater fuus, una cum fratribus ipfius, ftabilem & inconvulfam, coram pofitis multis teftibus, firmaverunt.

Similiter pandimus cunctis, predium quod jam diu poffedimus, Barthinchirche ex forore noftra Adalhaida de Morenwis, rogatu noftro delegatum effe in manus cujusdam minifterialis de Frifinga, fancto Petro & fratribus Deo fervientibus in Wezzinsbrunn fideli delegacione in perpetuum confervandum. Vel eandem delegacionem, fi placuerit fratribus, quocunque pecierint delegari, ubi vis delegacionis paciatur.

Anno Dni M.C. XLVIII. Eugenius Papa III. canonifavit S. Heinricum Imperatorem, fundatorem Cathedralis ecclefie Bambergenfis. Sed unus Cardinalium fe vehementer opponens vifum perdidit. Sed factum poftmodum promovens, illuminatus eft.

Sequuntur Litteræ Waltheri epifcopi, jam recitatæ Parte I. f. 128. *Item Diploma Friderici I. Imp. recitatum P. I. fol.* 137.

Anno Domini MCLVI. Venerandus religiofúsque Walto Abbas, mifericordie operibus plenus, vitam prefentem finivit in Domino, in die S. Johannis Apoftoli & Evangelifte. Hic Deo dilectus pater pluribus annis Abbaciam hujus monafterii Wezzinsbrunnenfis laudabiliter rexit, multásque paffus eft adverfitates a Principibus & Nobilibus fui temporis. Quibus res monafterii ad fe trahere conantibus, viriliter, ut potuit, reftitit. Vixit in magna abftinencia, ceterarúmque virtutum exercitio, & oves fibi commiffas verbo & exemplo diligentiffime pavit. Tandem in fenectute bona (Deo vocante) deceffit non fine fanctitatis opinione. Primùm fepultus in introitu capelle S. Nicolai, ut ex epitaphio, quod juxta hoftium ejusdem Sacelli antiquo Charactere exaratum eft, quod tamen ob antiquitatem & negligenciam fucceſſorum fic obliteratum eft, ut nulla induftria poffit reparari. Dicitur hic devotus pater in vita & poft obitum multis claruiffe miraculis. Quapropter, ne tam fancte reliquie vulgi teretentur pedibus, de eo loco ejus levatum eft facrum corpus in fepulchro elevato, retro altare omnium Sanctorum, honorabilius conditum eft. In cujus fepulchri lateribus picturis appofitis oftenditur, quibus idem fanctus pater poft obitum

tum miraculis claruerit. Libet hic unum ponere, quod adhuc vivens dicitur fecisse miraculum. Quodam namque tempore, cum in mensa sua honorabiles haberet hospites, deficiente vino vitrum non parve capacitatis Cellarario porrexit, jubens ut in eo hospitibus afferret vinum. Quo respondente, nihil superesse vini, cuidam famulo vitrum porrigens dixit: in nomine Domini, affer aquam de fonte. Qua allata cum desuper signum sancte Crucis fecisset, in optimum vinum conversa est, quod convive cum gustassent, cum gaudio biberunt, Deoque Optimo Maximo gracias magnifice egerunt. Servatur id vitrum in Sacrario, usque in hodiernum diem, inter Reliquias, ex eoque in die Cene Domini hi, qui mandato intersunt fratrum, in miraculi memoriam bibunt.

Anno dominice Incarnacionis MCLVI. Eligitur Northertus monachus nostre congregacionis in Abbatem. Temporibus Adriani Pape IV. & Friderici I. Imperatoris Romanorum. Hic Northertus nobilis ex oppido Weilhaim natus, prius Canonicus ecclesie majoris Augustensis, præfuit IV. annis, & octo dies.

Notum sit omnibus Christi fidelibus. Qualiter Ludewicus filius Ludewici de Oetingin, infestatoris quondam nostri in predio Bibirbach, sicut supra invenitur, Qualiter inquam hujus filius publicam fecerit abnegacionem prenominati predii, & omnem metum ac suspicionem infestacionis & exaccionis fratribus Wezzinbrunnensibus penitus abstulerit. Cujus abnegacionis fuere Testes. Dominus Dux Welfo. Pernhardus de Wilheim. Pernhardus junior. Egino de Musse. Pertholdus de Perge. Dieto de Rauinsburch. Cum aliis octo.

IV.

Monumenta miscellanea, non ex Stephano, sed archetypis excerpta decimi, undecimi, duodecimi Saculi Christiani.

NUM. I.

Predia Wescinesbrunnensi ecclesie subtracta. *Additur in Codice quodam recentiore:* sub Ludovico IV. *nempe Infante, qui obiit anno 912.*

Ad Ludenhusen. dimidia hoba. Ad hirssouva. hoba dimidia. Ad mammingen prata XX. carrad. Ad eringisingen, hoba 1. & dimidia. Ad

Ad Wila. hoba 1. Ad Wagilineshusen. hoba una. Ad etinrlet. hoba dimidia. Ad duringinvelt. hoba una. Ad mahtolfingen. hoba dimidia. Ad Germarescouue. hobe due. Ad munichen. (*a*) hobe decem. Ad Sliten. VI. hobe. Ad scalisvuanch. hobe sex. Ad cucunberch. hoba dimidia. Ad vinningen. hoba dim. Ad Lenginuelt. hob. dimid. Ad Otheringen. Ecclesia dimid.

(*a*) *Ad Munichen.* Monachium, hodie Serenissimorum Bavariæ Ducum Sedes, vicus olim fuit, nomen inde adeptus, tum quòd Monachi Schefftlarienses, Ordinis olim Benedictini, prædia ibidem possiderent, tum quòd ab Hungaris fugati illuc se receperint. Monumenta nostra docent, ibidem nos bona quædam possedisse.

NUM. II.

Diptychon primum.

Egilolfus (*b*) patronus noster, & uxor ejus Berehta. Hunprecht. Adalgoz. Oudalscalch. Oudalrich. item Oudalrich. Adalpero. Suuitker. Reginpreht. Fridihart. Enzewib. Amalpreht. Himildrut. Heriburch. Richkart. Madalpreh. Amalpreht. Landpreht. Alamar. Hinrich. Adalburc. Adalpreht. Maheldrut. Eigil. Omar. Beradrud. Perenhrat. Ruodine adala pertha. Sigimar. Kerpirlc. Beranhart. Mathilt. Kebino. Richhere. Noripreht. Hadewin & uxor ejus Rihkart. Burchwart. Eber. Dietina. Irmangart. (*c*) Helmpreht. Adalhait. Rihdrut. Waltilo. Irmenrat. Engilrat. Lancparth Dæthto. Iermankart. Willinant diaconus. Aengaldeo. Hiltikart. Ougo. Irmankta. Durinc. Læutkat. Kaunrat. Hadamot. Wolfram. Dætmar. Wolfram. Aegilolf. Aengaldieo. Isti sunt testes. Aegilolf. Sigipreht. Aærhannosp. Kaunpreht. Rænpreht. Bero. FrecHof. Aernest. Luduwic. Pero. Francho. Dietpolt. Poppo. Berechta. Sophia.

Dancholf archipresbiter. Heimo presbiter. Adonay prbr. Hunpreht. Engilpreht. Irmingart. Wortwin. Engilscalch. Dietmar. Gotapold. Jagab. Gisilpreht. Starchant. Adalhart. Heriman. Egilolf. Guntpreht.

(*b*) *Egilolfus.* De hoc Vilgertshovensis villæ donatore vide Indicem posticum Partis I. An ab illo forte Barones hodierni de Eglof.

(c) *Irmangart.* De hoc nomine vid. Not. ad Num. 6. sicut & de *Jermankart* hoc ipso Diptycho. Vulgatum erat hoc nomen inter fæminas nobiles.

NUM. III.

Catalogus Tegernseensis de anno 1042.

Hæc sunt nomina tegrinseensium fratrum viventium. Domnus Abbas Herirandus. Ellingerus prbr. Meginhelmus prbr. Gotafridus prbr. Pero prbr. Heroldus prbr. Liucpertus prbr. Rihkerus prbr. Oudalheri prbr. Heripato prbr. Eperhart prbr. Helmuni prbr. Sigipolt prbr. Otpertus prbr. Otloh prbr. item Otloh prbr. Rihheri diaconus. Reginfridus diac. Oudalhart diac. Phano diac. Arnolt diac. Perehtoldus diac. Ederam subdiac. Papo subdiac. Oudalscalh subd. Guntpreht subd. Wecil subd. Hartwic subd. Gotahalm subd. Ruodolf & Werinheri. & Gerol. & Eperhart. Item Gotehelmus Abbas. Oudalricus prbr. Rihpoldus diac.

NUM. IV.

Tributarii. De hagenhaim.

Bilizza & filii ejus. Oudalpreht & Ougo. Waltrat. Enza. Azala. Himiza. Luitza. Adalger & soror ejus Suuiza. Otzza. Hizila. Hartman. Abba. Lantfrit. (d) & frater ejus. De raistingen Bezela.

(d) *Abba. Lantfrid.* Vide num. seq.

NUM. V.

Isti sunt, qui Censum daturi sunt ad Wescinesbrunen. ad altare S. Petri. a.

Ougo. Oudalpreht. Aripo. Cunthere. Adalpreht. Waltrat. Engilmot. Azala. Lirza. Hizila. Oza. Suiemot. Albsunt. Hartman. iterum Hartman. Piligart. Albsunde due filie. Cotehalm. (e) Abba. Lantfrit & frater ejus. (f) Bezela. Richkart. Adalger. Suiza. Biliza. & filii ejus. Enza. Himiza.

(e) *Cotehalm. Abba.* Credas ferè, hunc Gothelmum fuisse Monasterii Bburani Abbatem, ex Tegernseensibus accitum.

(f) *Lant-*

(*f*) *Lantfrit & frater ejus* vix intelligi poſſunt illi Benedictoburani Monaſterii Fundatores, quòd liber, tametſi antiquus, ex quo hæc deſumpſimus, non ſit tam antiquus, ut coævus eſſe potuerit, quippe ſummùm Sæc. IX. ſcriptus.

NUM. VI.

Diptychon ſecundum.

Haſtvuic. Maganhaſt. Routpurac. Hirmankat. (*g*) Richolſe. Maganhaſt. Adalhatt. Alazei. Loudouic presb. Hadamot. Ruodolf. Wolauerat presbyter. Aenkanrat. Konrat boppo Waltarih fratres. Waltarih presb. Ruotuih. Ougo (*h*) occiſus & Aemhilt mater ejus. Hiltharam. Watarih. Ratolt. item Ratolt. Werenhaere ſubdiac. Haeriman presb. Vuolfgis presb. Waltilo presb. Adalpraeh presb. Regilæ. Magenhart. Dieotmar. Heriman. Albrih presb. Erminhilt. Pethilt. Reginhilt. Chunigunt. (*i*) Wilpure. Pirin. Heriman. Radpurch. Dultinch. Johannes. Liemot. Lantfrit. Dietpirch. Udalger. Cotim. Lantfrit. Reginpirch. Oudalger. Engilpirch. Gerrat. Dieppurch. Adalpero. Drutgich. Gerrat. Penno. Hunolt. Irimpirch. Goclidie. Perahta. Arnolt. Engilpirch. Waltilo. Dietpirch. Engilpirch. Heriſuinc. Adalhart. Emtta. Madelgrer. Alppurch. Routdrud. Gunipirch. Routlaih. Otgart. Erchinhilt. Liubrih. Diemot. (*k*) Reginpirch. Reginhaſt. Altpurch. Purechart. Waltchuon. (*l*) Hiltini. Ruodolf. Himildrud. Bozholt. Giſilhilt. Willihart. Gozfrit. Dieterih. Sigeni. Anthugi. Waltarat. Berehcunt. Altburec. Welfhart dux. (*m*) item Welfhart miles ejus. Amalgoz. Dieterich. Hailburec. Kuonrat. Berenhart. Cuotheri. Magenhart. Dieto. Hartman. Adalpreht. Judit. (*n*) Roudpiric. Oudalger. Wodiſta. Rathalm. Engilhilt. Kunigunt. Dieterich. Gebeni. Gunthart. Dietprhet. Taringer. (*o*) Hiltibreht. Haluuich. Ruodpirin. Einhart. Ruodolf. Berechcunt. Himildrut. Cundalpreht. Oudalrich. Engilfrit. Gerhart. Erneſt & Aua. Richger. Berechthilt. Berehtolt. Hiltigart. Reginpreht. Engilhilt. Berehtgunt. Eccolf. Hailrat. Ruodhart. Waltarat. Gerrat. Oudalmunt. Reginger. Luitburic. (*p*) Guotheri. Benedicta. Waltpreht. Cundarat. Adalpreht. Iſinger. Irminrat. Hartman. Roudrut. Finhart. Confrit. Ilbuno. Gerrat. Helmdrud. Williſunt. Berehſunt. Hunpreht. Adalburec. Lanfrid. Ellinrat. Lantfrit. Burgrat. Mahalpreht. Walta-

rat.

rat. Cuntbolt. Adalsunt. Reginhalm. Rachhilt. Wentilpuric. Beruuart. Snelhart. (q) Wolfpreht. Irmingunt. Imma. Wiserich. Gerhilt. Guodhert. Wibera. Mahthilt. Luitburec. Imhilt. Ruodpreht. Rihger. Berehthilt. Gerhoh. Berenhart. Heresint. Altsunt. Finhert. Richcunt. Otini. Burcsunt. Reginpreht. Engilfrit. Sigimot. Meginhart. Humilitas. (r) Luipreht. Dietpiric. Oudalhart. Engilgart. Hartman. Adalgoz. Gotini. Rihhart. Imhilt. Adalhart. Gerloch. Heinrich. Albsunt. Adalmot. Berechunt. Gerbiric. Hadamot. Adalmoth. Helrich. Oudalger. Irittuich. Diettmar. Arpfa. Ruondrud. Tetta. Luitbolt. Kunigunt. Hiltiburec. Cunthart. Adalburc. Heruuart. Gisilni. Gozpreht. Adalbure. Ratolf. Berenhart. Herempreht. Kadolt. Pero. Adalpreht presb. Judith. Hiltipurcih. Waltrath. Piltorim presb. Waltilo. Ribreht. Ata. Grim. Herimpreht. Adalbolt. Guntbret. Elpic. Altric. Pertolt. Rorttrut. Pertolt. Alpric. Adelpur. Gerhilt. Magines. Gunderam. Pernhath. Oudalrih. Friderich. Gozpreht. Nortpreht Diac. Adalpotto.

(g) *Hirmankat.* An forte est Irmingarda Hiltibrandi de Morenwis uxor? Fit ejus mentio P. I. f. 141. & 183. An illa Irmengarda filia Gertrudis de Liechtenstein, de qua fol. 223. num. 17.

(h) *Ougo.* Quis iste & mater ejus, aliis lubens disceptandum relinquo. An forte pro *Ougone* Chuno legendus, qui anno 1081. occisus est in bello inter Alemannos & Baioarios, ubi Palatini Comitis Chunonis filius Chuno occisus est? Vide superius Chronicon Stephani ad h. annum.

(i) *Chunigund.* An Imperatrix S. Henrici uxor?

(k) *Diemot.* Commune hoc eo tempore nomen fuit. An in venerationem Diemodæ cujusdam, tunc famâ inclytæ?

(l) *Waltchuon.* Non potuit esse Walchunus Abbas, de quo 1243. electo diximus à fol. 265.

(m) *Welfhart Dux.* Ex Welfonum stemmate.

(n) *Judith.* An illa, de qua egimus f. 187.

(o) *Taringer.* Iterum videmus, Taringeros Monasterii nostri fautores & vicinos fuisse.

(p) *Luitburic.* Non ausim hanc Luitburgam Thassilonis conjugem credere.

(q) *Snelhart.* An alius à Snelhardo, de quo P. I. fol. 65.

(r) *Humilitas:* Nempe Diemot aliqua.

V. Ca-

V.

Catalogus Episcoporum Salisburgensium à Stephano Leopolder concinnatus.

1. Sanctus Rupertus Monachus beati Columbani, & primus Episcopus Saltzburgensis. successit anno Domini. & sedit quadraginta quatuor annis.

2. Sanctus Vitalis Episcopus secundus. & Abbas primus Monasterii S. Petri Saltzburge. successit anno Domini. & sedit in Episcopatu viginti duobus annis.

3. Ansologus Episcopus tertius. & Abbas S. Petri. successit anno Domini. & sedit viginti octo annis.

4. Sauolus Episcopus quartus. & Abbas S. Petri. successit anno Domini. & sedit quatuordecim annis.

5. Ezius Episcopus quintus. & Abbas S. Petri. successit anno Domini. & sedit viginti tribus annis.

6. Flobargisus Episcopus sextus. & Abbas S. Petri. successit anno Domini. & sedit quadraginta tribus annis.

7. Johannes I. Episcopus & Abbas S. Petri. successit anno Domini 721. & sedit quadraginta tribus annis.

8. Sanctus Virgilius Episcopus, ex Hibernia. successit anno Christi 764. & sedit quasi duobus annis ante consecrationem. Deinde anno Domini 767. decimo septimo Kal. Julii suscepit consecrationem, & rexit octodecim annis. obiit anno Domini 784. quinto Kal. Decembris. §. Anno Domini 737. S. Virgilius consecrat Cathedralem Ecclesiam, quam ipse construxerat.

9. Wertricus Episcopus, & Abbas S. Petri. Sedit ultra dimidium annum. Sub eo Corpora Sanctorum Sauinii & Idunii MM. de suis tumulis sunt elevati.

10. Arno primus Archiepiscopus Saltzburgensis. successit anno Domini 784. & sedit triginta octo annis. Obiit anno Domini 821. nonô Kal. Februarii. sepultúsque juxta altare S. Mariæ Magdalenæ.

11. Amilon (aliis Amilion) Abbas S. Petri. Episcopus eligitur, sedit non confirmatus quasi quinque menses. & obiit. sepultus in cripta.

12. Adalrammus Archiepiscopus. successit annô 823. sedit quindecim annis. & obiit anno Domini 836. pridie nonas Januarii. sepultúsque in cripta Chori.

13. Luiprandus Archiepiscopus successit anno Domini 837. & sedit viginti tribus annis. sepultus in cripta. §. Hujus tempore, anno decimo, Ecclesia S. Ruperti igne concrematur. Deinde anno salutis 891. transtulit Saltzburge S. Hermetem Martyrem.

14. Adalbinus Archiepiscopus, quem enutrivit Luiprandus, successit anno Domini 859. & sedit annis quindecim. §. Hic acquisivit Corpora Sanctorum Crispini & Crispiniani, Crisanti Mauri & Darié Martyrum. & sepultus jacet in cripta Chori.

15. Odilbertus Archiepiscopus. successit anno Domini 873. & sedit octo annis. sepultus in cripta.

16. Dietmarus Archiepiscopus. successit anno Domini 880. & sedit 18. annis. §. Hic transtulit Corpus S. Vincentii ad Saltzburgam. & occisus est anno Christi 897. in persecutione Hungarorum Ottone & Zacharia Episcopis.

17. Pilegrinus Archiepiscopus. sedit annis 16. & sepelitur in cripta Chori.

18. Adalbertus Archiepiscopus. successit anno Domini 913. & sedit viginti tribus annis. sepultus in cripta.

19. Egilolfus Episcopus. successit anno Domini 937. & sedit annis sex. sepultus in cripta Chori.

20. Herolffus Episcopus. successit anno Domini 943. & sedit novendecim annis. §. Hic propter translationem S. Martini Episcopi oculis transfoditur, quòd noluit ostendere, ubi ipsum posuit. Igitur hujus devoti & religiosi Episcopi sepultura ignoratur.

21. Fridericus Archiepiscopus. successit anno Domini 962. & sedit viginti octo annis. & jacet in cripta Chori.

22. Sanctus Hartwicus Archiepiscopus. successit anno Domini 990. sexto idus Novembris. & sedit triginta quatuor annis. obiit anno salutis 1023. ac pluribus miraculis fulgens. Sepultus in Capella Sancti Gregorii Papæ requiescit.

23. Guntherus Archiepiscopus. successit anno Domini 1024. & sedit quatuor annis. sepeliturque in cripta.

24. Dietmarus II. successit anno Domini 1028. & præfuit laudabiliter septendecim annis. & sepelitur in capella S. Gregorii. Hic adduxit corpus S. Vincentii.

25. Walbinus Archiepiscopus. eligitur anno Domini 1045. & sedit 15. annis. ac sepelitur in cripta Chori.

26. San-

26. Sanctus Gebehardus annô Domini 1055. quarto nonas Martii presbyter ordinatus est. deinde anno Domini 1060. Archiepiscopus eligitur. & sedit 29. annis. §. Hic inprimis fundat Episcopatum Gurcensem in Carinthia, ubi prius fuit claustrum fæminarum. postea anno Domini 1074. fundavit præclarum Monasterium admund. §. Similiter fundavit Monasterium Reycherspeg Canonicorum regularium. & sic requiescit sanctus Gebehardus in monasterio suo admund.

27. Sanctus Thyemon Archiepiscopus & Martyr, nobilis ex Bavaria natus: enutritus in monasterio Altahensi. & sic primò efficitur Abbas S. Petri Saltzburge, deinde anno Domini 1089. Archiepiscopus eligitur. & sedit annis duodecim. & in tertiodecimo anno transmarinis partibus pro fide Catholica ab infidelibus martyrisatur. & sepultus est in Civitate Corrosaym millesimo centesimo primo anno.

28. Conradus I. de Abensperg. præfuit laudabiliter quadraginta sex annis. & obiit anno Domini 1147. sepultúsque juxta altare S. Gertrudis. §. Hic incepit Ordinem Canonicorum regularium S. Augustini, in Ecclesia Cathedrali Saltzburge anno 1121.

29. Sanctus Eberhardus I. Comes de Hilpoltstain, Canonicus Babenbergensis, & postea monachus in Prüfeningen. Deinde Abbas in Pibugk efficitur. Ultimo tandem anno salutis 1147. Archiepiscopus eligitur, & sedit octodecim annis. sepultúsque juxta altare omnium Sanctorum. multis clarens miraculis.

30. Conradus II. filius Leopoldi pii Ducis Austriæ, successit in Archiepiscopatu anno Domini 1164. & sedit annis quinque satis religiosè. §. Hujus tempore Cathedralis Ecclesia, & major pars Civitatis igne secundariò consummitur. §. Fuit etiam priùs Pataviensis Episcopus gloriosus. & obiit 4. Kal. Octobris.

31. Adalbertus II. successit anno Domini 1168. & sedit tredecim annis. Hic fuit filius Ladislay Regis Bohemiæ, & Gertrudis sororis Conradi supradicti. & sepultus jacet ante altare S. Andreæ.

32. Eberhardus II. Archiepiscopus. successit anno Domini 1180. & rexit gregem sibi commissum valde laudabiliter quadraginta sex annis. §. Hic fundavit tres Episcopatus, videlicet in Kyemsee, Lauentin, & Seckau. construxit quoque Lauatorium in ambitu. §. Fuit etiam priùs Episcopus Brixensis gloriosus. & sepultus est juxta altare S. Virgilii quarto nonas decembris. §. Hujus tempore facta est translatio S. Kunigundis Imperatricis Babenberge 1204. in præsentia ipsius.

33. Burckhardus I. de Zigenhagn. successit anno Domini 1225. non Canonice electus, sed per Papam introductus, ideo non fuit confirmatus. neque consecratus. sedit annis 36. obiit in Salmansweyl. & ibidem sepultus.

34. Philippus Dux Carinthiæ. successit anno Domini 1261. & sedit annis decem. sine confirmatione & consecratione. obiit apud Krembs in Austria, & ibidem sepultus est.

35. Wlodislaus Dux Poloniæ. successit per Clementem Papam IV. anno Christi 1270. & sedit quinque. sepultus ante altare Beatæ Mariæ Virginis.

36. Fridericus II. Archiepiscopus. successit anno Domini 1274. & sedit undecim annis. sepultus ante altare S. Andreæ Apost.

37. Rudolffus Archiepiscopus. successit anno Domini 1284. & sedit annis quinque. §. Hic transtulit S. Virgilium Episcopum septimo idus Novembris anno Christi 1288. & eodem anno obiit.

38. Wichardus de Polhaim. successit anno Domini 1289. & sedit quatuor annis. obiit pridie nonas Octobris. sepultus ante altare S. Ruperti Episcopi.

39. Conradus III. Praytenfürter, aliis Winstorffer. successit anno Domini 1292. & sedit 24. annis. obiit tertio Kal. Aprilis, eodem die, in quo in hunc mundum natus est. & plurima bona Ecclesiæ suæ fecit.

40. Fridericus III. de Leübnitz. successit anno Domini 1315. & sedit 23. annis. ac obiit tertio Kal. Aprilis. sepultus est juxta altare S. Crucis.

41. Heinricus de Pirenprunn. successit anno Domini 1337. & sedit annis sex. ac requiescit in Capella Pilegrini Episcopi juxta altare S. Nicolai Episcopi.

42. Ortolffus de Weyssenegk. successit anno Domini 1343. & sedit viginti duobus annis. obiit pridie idus Augusti. sepultúsque juxta altare S. Trinitatis.

43. Pilegrinus de Puechauen Archiepiscopus. successit anno Domini 1364. & sedit triginta duobus annis. obiit quinto Kal. Aprilis. sepultus in sua propria Capella. §. Hic anno Domini 1389. in die S. Virgilii captus fuit in Raytenhaslach à Friderico Duce Bavariæ, & ductus in Burckhausen, & ibidem detentus fere per sex hebdomadas.

44. Gregorius Schenk de Osterwitz. successit anno Domini 1395. & sedit octo annis. sepultus in medio Ecclesiæ S. Ruperti.

45. Eber-

45. Eberhardus III. de Neuenhausen. successit anno Domini 1404. & sedit 24. annis. obiit in die Priscæ Virg. & requiescit in sua propria Capella in honore S. Annæ consecrata.

46. Eberhardus IV. de Starchenberg. successit anno Domini 1427. & sedit duobus annis. obiit quinto idus Februarii. sepultus in Capella S. Annæ.

47. Johannes II. de Reychsperg. successit anno Domini 1429. & sedit tredecim annis. obiit tertio die Septembris. & sepultus est in Capella S. Martini Ep.

48. Fridericus IV. de Emerberg. successit anno Domini 1441. & sedit undecim annis. sepultusque quiescit ante altare S. Andreæ.

49. Sigismundus de Volkenstorff. successit anno Domini 1451. & sedit decem annis. obiit tertio die Novembris.

50. Burckhardus II. de Weyspriach, & Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, successit anno Domini 1461. & sedit quatuor annis. obiit decimo sexto die Februarii. & sepelitur ante altare S. Ruperti.

51. Bernhardus I. de Ror. Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Saltzburgensis. successit anno Domini 1465. & sedit annis . postea resignavit Archiepiscopatum Johanni Episcopo de Gran. & sepultus quiescit apud Dietmaringen.

52. Johannes III. de Gran. Strigoniensis ex Hungaria. successit anno Domini . & sedit annis .

53. Fridericus V. Comes de Schaumburg. successit anno Domini . & sed.t annis .

54. Sigismundus II. dictus Holenegker. successit anno Domini 14

55. Leonhardus I. dictus Reytschacher. successit anno Domini 14 & sedit annis . obiit 1519.

56. Matheus I. Augustensis. dictus Lang.

VI.

Catalogus Episcoporum Augustensis Ecclesiæ.

Sanctus Narcissus Episcopus Tolosensis, & primus plantator Augustensis Ecclesiæ in fidei prædicatione.

Sosimus frater Sanctæ Hilariæ, primus Episcopus. quem baptizavit S. Narcissus Episcopus, & vocatus est Dionysius, postea Mar-

tyr sanctus, tempore Diocletiani Imperatoris. sedit annis octodecim, & menses octo.

Perwelf Episcopus. sedit annis quinque.

Taginbertus (aliis Tagabertus) Episcopus Augustensis. sedit annis sedecim, vel circa. postea vacavit sedes.

Manno Episcopus sedit annis octodecim. & vacavit sedes.

Wicho (aliis Wico) Episcopus. sedit annis 18. & vacavit sedes.

Britho (aliis Piricho Episcopus) sedit annis viginti.

Zeysso Episcopus. sedit annis 21.

Marcomannus Episcopus. sedit annis 29.

§. Prædicti Episcopi gubernaverunt laudabiliter Ecclesiam Augustensem, sub Hæreticorum pullulatione.

Sanctus Fortunatus Episcopus. traditur in historia Pauli Lombardi libro secundo; quòd Sanctus Fortunatus Episcopus transiens & intendens ire Thuronum ad sanctum Martinum transivit in itinere per Augustam, quam Wertha & Licus percurrunt, anno Domini 670. tempore Justini junioris. Hic fuit natione Italus. & factus Episcopus Pictaviensis. Vir egregius, ingenio clarus, ore suavis, Beati Martini Heroico metro gesta in quatuor voluminibus digessit, Hymnos etiam festivitatum singularium composuit.

§. Stephanus Leopolder addit: *non fuit Episcopus Augustensis.*

Sanctus Witterpus (aliis Wicterpus) Episcopus. efficitur anno Domini 736. & sedit annis 17. & Gallicus Monachus Ordinis S. Benedicti fuisse dicitur, vir magnæ sanctitatis. Hujus tempore fuerunt fundata, & ab eo consecrata Cœnobia Benedictpeyrn & Wessosprunnen, & Cellulam similiter Campidonensem ad preces beati Magni consecravit, ubi Theodorus monachus sancti Galli degebat, quem sanctus Magnus ibidem reliquit. Defunctus est autem Wicterpus Episcopus decimo quarto Kal. Maji, & primò sepultus in Ecclesia sancti Laurentii apud villam Ephach in altari Beatissimæ Virginis, postea translatus ad Monasterium S. Affræ Augustæ.

Sanctus Thozzo Episcopus. efficitur per electionem S. Magni Abbatis. priùs Presbyter & plebanus in Waltenhouen juxta fauces alpium, vir beatæ vitæ, successit anno Domini 753. & sedit annis 12. & vixit post sanctum Magnum annis quinque. Postea videtur sedes vacasse propter Guuerram inter Gotfridum Ducem Suevorum, & Oudilonem Ducem Noricorum.

Sanctus Sympertus Abbas Morbacensis. Episcopus Augustensis consti-

constituitur per Carolum Magnum, postquam in solio Regni Confirmatus fuit, circa annum Domini 804. & sedit annis 30. Ipse erat nepos ex Sorore Caroli Magni. Cujus parentes Ambertus Dux Lotharingiæ, & Simphorina Soror Caroli.

Hauto Episcopus. Comes, & magnæ nobilitatis de andex ortus ex Bavaria, successit anno Domini 840. & sedit annis septem.

Waltherus (aliis Waltharius) Episcopus, primus hujus nominis. Successit anno Domini 847. sedit annis decem.

Adalgerus Episcopus (aliis Wadalgerus) successit anno Domini 857. & sedit annis septendecim.

Sanctus Nitgarius (aliis Nicgerus) Episcopus. Successit anno Domini 874. & sedit annis quatuor, tempore Caroli secundi Regis Romanorum. §. Hic etiam diu rexit Abbatiam Ottenpeurn, ut traditur in antiquis scriptis apud dictum monasterium. §. De ipso Epitaphium nuper repertum est, ubi ita continetur:

Beatissimæ memoriæ hic requiescit Nidgarius Episcopus, omnes legentes orate, uti pius Deus illi misereretur.

Lanto Episcopus. Surrogatur anno Domini 878. & sedit annis quinque cum dimidio. Hic anno Domini 880. vel circa, legendam sancti Magni Abbatis cuidam prudenti Monacho Ermenrico nomine de Monasterio Elvvangen conscribendam commisit. §. Idem Episcopus anno Domini 882. construxit secundario Ecclesiam sancti Magni, & transtulit corpus ejusdem in sublimiorem locum.

Udalmannus Episcopus. Natione suevus successit anno Domini 883. & sedit annis septem tempore Caroli tertii.

Witgarius (aliis Wicgerus) Episcopus. Successit anno Domini 890. tempore Arnulfi Imperatoris. sedit annis tribus.

Sanctus Adelbero Episcopus claro genere nobilis. successit anno Domini 893. & præfuit annis sedecim. sub Arnulffo Rege secundo.

Hiltinus Episcopus. successit anno Domini 909. sub Ludovico Rege tertio. & præfuit annis quindecim.

Sanctus Udalricus Episcopus Augustensis, ex Patre Comes de Kiburg, ex Matre Comes de Veringen natus, successit anno Domini 923. & rexit Ecclesiam suam 50. annis. Obiit ætatis suæ anno 83.

Heinricus Comes de Wolfhartzhausen, filius Burgkhardi Comitis ex Bavaria, successit anno Domini 973. & sedit annis decem. §. Hic contradidit Comitatum & patrimonium suum Geysenhausen Ecclesiæ

clesiæ Augustensi. Postea anno Domini 982. interiit in Calabria cum aliis plurimis Episcopis in bello contra Sarracenos.

Eticho (aliis Entico) Episcopus. de Amergauu in Bavaria, Comésque successit anno Domini 983. & sedit annis sex. Hunc arbitror de genere Welffonum fuisse.

Luitoldus (aliis Luitholfus) Episcopus. successit anno Domini 989. sedit annis septem. sub eo anno Domini 994. templum Beatissimæ Mariæ V. corruit à se ipso, sequentique anno à fundamento erigitur ab ipso Episcopo, cooperante Adelheide Imperatrice, & postea idem Episcopus obiit sexto Kal. Augusti. §. sub ipso etiam Canonisatus est sanctus Udalricus.

Gebehardus Episcopus. prius Capellanus S. Udalrici. & primus eiusdem scriptor vitæ ac Præpositus majoris Ecclesiæ. successit anno Domini 996. & sedit annis sex. Obiit septimo idus Julii. §. Hujus tempore Anno Domini 998. fuit dissensio inter Episcopum & Canonicos, Canonicæ conversationis exterminium.

Sigifridus I. Episcopus. successit anno Domini 1002. & sedit annis quinque. Hic consecravit Capellam S. Egidii iuxta murum.

Bruno Episcopus. ex Bavaria, germanus Sancti Heinrici Imperatoris. successit anno Domini 1008. & sedit annis viginti duobus. ac obiit octavo Kal. Maij. § Sub illo Reginbaldus primus Abbas, cum Monachis ad Monasterium S. Afræ Martyris introductus est.

§. Hic etiam secundus fundator Collegii S. Mauricii extitit, ex commissione S. Heinrici Imperatoris.

Eppo (aliis Eckbertus) Episcopus Augustensis. successit anno Domini 1030. sedit annis 18. & obiit anno Christi 1047. & Heinricus subrogatur.

§. Item in Cronica vulgari suevorum legitur quidam Eberhardus Episcopus, sed quamdiu rexerit Ecclesiam, ignoratur.

Heinricus II. Episcopus. successit Anno Domini 1048. & sedit sedecim annis. Ipse novam Ecclesiam fecit Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, cum porticibus. atrio. & pallacio. Hic etiam præfuit toto regno, & educavit Heinricum quartum, à quo postea misero genere mortis excepit, quoniam diffamatus ac suspectus cum sorore dicti Regis fuit.

Embrito Episcopus. primus Præpositus Moguntinensis Ecclesiæ successit anno Domini 1064. & sedit 14. annis. §. Hic gloriosus Episcopus fecit donationem, & constitutionem Canonicis, ac extitit fundator Ecclesiarum S. Gertrudis. S. Stephani, atque S. Martini, à fundamentis

mentis restauratis cum aliis edificiis. plenus bonis operibus obdormivit in Domino tertio Kal. Augusti. §. Huius tempore anno Domini 1065. apud nos cesserunt Præpositi cum Canonicis, & introducti sunt Abbates.

Sigifridus II. Episcopus. successit anno Domini 1078. & sedit annis 19. Wigoldus cum eo in discordia à quibusdam potiùs intrusus quàm electus, occupavit Episcopatum annis decem, & sedem in Füessen habens. anno Domini 1088 Welso Dux Baioariæ Augustam obsedit & proditoriè cepit, Sigifridúmque captum secum duxit ad castrum suum Ravenspurg, & duos annos in vinculis tenuit. postea verò anno Domini 1090. Sigifridus magna pecunia redemptus, ad suam rediit Ecclesiam, & reliquum vitæ tempus in pace exegit. Obiit in die S. Barbaræ.

Wigoldus Episcopus. & invasor Ecclesiæ, cùm vi palacium & Ecclesiam Cathedralem intravit, eámque omnibus bonis in auro & argento spoliavit, rapuit námque calices, turibula, & alia vasa altaris. insuper laminas argenteas summi altaris fregit, & cum thesauro Ecclesiæ abstulit. ac etiam Canonicos expulit. Obiit in faucibus, sexto idus Maij,

Hermannus Episcopus. successit anno Domini 1097. & sedit annis 37. Hic fuit filius Comitis de Wittelspach, & sinistrè intravit, diu rexit Ecclesiam, atque molestavit Beatum Eginonem abbatem. & Clericos. fuit etiam per Apostolicos excommunicatus. & plura alia referuntur de eo, apud S. Udalricum.

Waltharius (aliis Waltherus) II. Episcopus. & Comes Palatinus de Tübingen. successit anno Domini 1134. & sedit annis 19. & anno sequenti ordinatur quinto idus septembris in monasterio Selgenstat.

§. Hic confirmavit, & roboravit monasterium S. Georgii Augustæ. & consecravit Capellam S. Michaëlis supra portam monasterii S. Udalrici 1139. & resignavit duobus annis ante mortem. Obiit anno Domini 1154. proxima die post Blasii Episcopi.

§. post istum fuit magna contentio pro Episcopatu.

Conradus Comes. dictus Lützelstein. natione Suevus. successit anno Domini 1153. & sedit annis 15. in habitu monastico, & antenam nutu Divino monachus efficitur ad sanctum Udalricum anno Christi 1156. nec tamen resignavit. sed per Provisorem rexit Episcopatum.

§. Iste sustinuit plures pressuras, propter discordiam inter Canonicos, ob quam causam Adrianus Papa IV. Episcopum ab eorum

impetitione absolvit, & omnes adversarios suos ab officio Divino suspendit.

Hartwicus I. Episcopus. Ingenuus, natione suevus, de Lierhaim oriundus, antea monachus & Prior ad S. Udalricum, in nocte omnium Sanctorum eligitur sub anno salutis 1168. & sedit annis 15.

Udalscalcus (aliis Gotschalcus) Episcopus. successit anno Domini 1183. & sedit annis 18. Hic gloriosus Episcopus originem duxit ex castro Biberpach. & in S. Policarpi circa horam nonam ab omnibus unanimiter est electus. ac multa bona Ecclesiæ fecit, multáque prædia de patrimonio suo Episcopatui & Capitulo suo tradidit.

Hartwicus II. Episcopus. successit anno Domini 1201. & sedit annis septem. Iste, ùt habetur in Libro Oblaijorum, fuit solummodò electus Episcopus, & non confirmatus. Obiit in Vigilia Philippi & Jacobi.

Sigifridus III. Episcopus. Natione suevus de Rechperg ortus. successit anno Domini 1208. & sedit annis 19.

§. Sub illo Episcopo inventum fuit Sacratissimum Corpus Christi in molendina apud Memmingen. Hic totaliter destruxit castrum in Schwabegke propter insolentias, quas Urbani in prædiis Ecclesiæ suæ in Menchingen, & alibi consueverant exercere. Unde Ipse postmodum semper timuit Imperatorem.

Sibotto Episcopus. Vir devotus & bonæ vitæ. successit anno Domini 1227. & sedit annis 26. & circa. Tandem tactus Spiritu Divino, & factus est monachus Cesariensis, & resignavit. postea obiit in die Assumptionis Mariæ sub anno salutis 1262. & sepultus est Cesarie in Choro. Anno Domini 1257. Kal. Octobris dedicata sunt hæc Altaria à Venerabili Siboldo Augustensi Episcopo, Ordinis Cisterciensis, Maius altare in honore B. Mariæ Virg. secundus in honore S. Johannis Apostoli. tertius in honore Nicolai. Hæc consecratio facta est post resignationem.

Hartmannus Episcopus. Comes de Kiburg & Dillingen. successit anno Domini 1253. & sedit 34 annis. Hic mansuetissimus hominum fuit, & Castrum Dillingen unà cum omnibus attinentiis Episcopatui tradidit, ac etiam sub eo Ecclesia corruerat. & tunc temporis vix Ecclesia habebat centum libras, dempto eo, quod à Clero solvi consuevit, licèt olym habuerit duo millia denariorum de redditibus. Obiit quarto nonas Julij. & sepultus in Ecclesia ante crucem.

Sigifridus IV. Episcopus. Natione suevus de Algishausen. successit anno Domini 1286. & sedit duobus annis. Ipse multùm profecit tempore

tempore parvo. Nam Castrum Pfershaim cum omnibus pertinentiis Ecclesiæ condonavit. Obiit in die Johannis & Pauli, sepultúsque ante Crucem in Ecclesia Beatissimæ Virginis.

Wolfhardus Episcopus. Nobilis de Rott, Natione Suevus. successit anno Domini 1288. & sedit annis duodecim. Hic fuit electus 15. Kal. Septembris, de Ecclesia Moguntina. & innumerabilia bona Ecclesiæ redemit, videlicet Marchionatus Burgau, Castrum Seyfelsperg & Hasperg cum suis attinentiis, castrum Eggental, & Hattenberg, Castrum Schöneck, cum oppido Pfaffenhausen, cum cæteris.

§. hoc eius legitur Epitaphium:

Hac sunt in fossa, Wolfhardi Præsulis ossa.
Idibus à mundo iam migravit ille secundo.
Anno milleno, centeno ter numerato.

Degenhardus Episcopus. natione suevus de Helenstain natus, ex matre Comes de Düllingen, primus S. Mauritii Præpositus. Hic etiam fuit Canonicus Sanctæ Mariæ, sub anno Christi 1280. & hoc tempore fuit in flore. successit in Episcopatu anno Domini 1300. & sedit annis septem. Obiit 24. die Novembris.

Fridericus Episcopus. de famigen. Ingenuus, dictus Speto, natione Suevus. successit anno Domini 1307. & sedit annis 22. Tempore illius fuerunt ordinatæ præbendæ, quatuor duorum, quam ordinationem ipse confirmavit & sigillavit. Similiter confirmavit Cenobium Vultenbach ut Protector monasterii. Anno Domini. 1310.

Udalricus Episcopus de Schöneck. successit anno 1329. & sedit annis octo, ante Confirmationem & post, quia adhæsit Ludovico Regi excommunicato, quapropter distulit confirmari usque ad mortem Johannis XXII.

§. Hic vendidit cum castro suo castrum Eschenloch & forum murnauu cum attinentiis & Ecclesiis ibidem. Eschenloch. Staphelsee. Hugelfingen & Antorf. Ludovico Regi quarto pro 12 libris Monacensium denariorum.

Heinricus Episcopus. de Schoneck, frater prædicti. priùs Præpositus. successit anno Domini 1337. & sedit annis 14. Hic etiam adhæsit Ludovico Regi. quapropter remotus fuit per Clementem VI. & sic vixit in gamundia post depositionem 21 annis. Obiit ibidem anno Domini 1371. sepultus in Ecclesia B. Mariæ V.

Marquardus Episcopus. Natione suevus de randeck. successit anno Domini 1351. & sedit annis 9. postea resignavit, & factus Patriarcha

triarcha Aquilegiensis. fuit etiam Capitaneus Caroli V. in Italia, & captus est per Mediolanenses 1355. & iterum liberatus 1357. Sequens legitur eius Epitaphium:

Annis millenis, C. ter, L. iunge novenis.
Chorum fundavit, australem sicque legavit.
Plures Ecclesias res hinc ob honorem Mariæ.
Hic & fundavit hanc, hanc Missam quoque donavit.

Waltherus (aliis Waltharius) Episcopus III. Nobilis de Hochenschlitz. successit anno Domini 1360. & sedit annis decem. Hic similiter antea fuit Capitaneus in Italia. postea interiit juxta oppidum Midelhaim percussus sagittâ in obsidione per quemdam Comitem de Werdenperg 1370. in die francisci.

Johannes Episcopus. dictus Schatlant, aduena friso de Ordine Prædicatorum. successit 1370. & sedit annis quatuor. Hic translatus est per Papam à Sede Wormatiensi ad Augustensem. fuit etiam prius juxta Cronicam Saxonum Episcopus Hildeshaimensis. ideo non erat acceptus. propterea reliquit & spoliavit Ecclesiam in certis clenodiis.

Burckhardus Episcopus. Natione Suevus de Ellerbach ex Patre, ex Matre Marscalcus de Biberpach. successit anno Domini 1374. & sedit annis 30. Hic Capellam in castro suo ad fauces ædificavit, & Augustenses propter quamdam discordiam mirabiliter attrivit. & sic de ipso multa laude digna reperiuntur. Obiit Dominica Lætare, qua die in Cathedram Episcopalem fuit exaltatus.

Eberhardus Episcopus. & Comes de Kirchperg. successit anno Domini 1404. & sedit annis septem. Hic fuit nimis sumptuosus, & multa bona alienavit Ecclesiæ. Obiit 1411. sepultúsque in Monasterio Wiblingen.

Anshelmus Episcopus. Nobilis natus de Nemigen. successit anno Domini 1411. & sedit annis novem. resignavítque in concordia per duos annos ante obitum videlicet 1421. Iste Augustensibus non placuit, ideo Regem Sigismundum interpellarunt, qui intrusit Fridericum Gravenegker, qui habuit possessionem Episcopatûs de facto, & scripsit se Episcopum 1414. nec prævaluit, sed Anshelmus in sede permansit.

Petrus Episcopus. de Schaunberg, antea Canonicus Herbîpolensis & Babenbergensis, constituitur per Papam anno Domini 1424. & sedit 46 annis. Hic constituit sibi ante morte Coadjutorem Johannem sequentem.

Johannes

Johannes Episcopus. & Comes de Werdenberg. successit anno Domini 1469. & sedit annis 17. Iste fuit bonus & providus Pastor, qui reliquit Ecclesiam suam in bono statu. Obiit Franckfordiæ in electione Maximiliani Regis Romanorum anno Christi 1486.

Fridericus II. Episcopus. & Comes de Hochenzolern filius sororis prædicti Johannis, antea Decanus Argentinensis. successit anno Domini 1486. & sedit annis 19. Hic in apoplexia interiit octava die mensis Martij anno Domini 1505. & sepultus retro Chorum Australem.

Heinricus IV. Episcopus. Nobilis de Lichtenauu. Doctor Juris, & Vicarius Generalis, & jam ætatis annorum sexaginta. successit anno Domini 1505. prima die mensis Aprilis. & sedit annis 12. Obiit Pascæ, & in infirmitate constituit sibi successorem Christophorum.

Christophorus Episcopus. Nobilis de Stadion, Curiæ Officialis & Canonicus. successit anno Domini 1517.

VII.

Catalogus Abbatum in Tegernsee.

Monasterium Tegernsee fundatur à Ducibus Germanis. Ockario & Adalberto, ex Patre Burgundi, ex Matre Bavari. Anno Domini 716. quo anno Gregorius Papa Secundus ordinavit Sanctum Bonifacium, & Sanctum Corbinianum in Episcopos.

Aliorum tamen opinio est, & Credibilior, quòd Monasterium Tegernsee fundatum sit anno Domini 746. vel secundùm alios anno 748. Et primi Monachi de Monasterio S. Galli adducti sunt. Quorum Pater S. Othmarus extitit. Et antiqua scripta inveniuntur, quòd 150. Monachi fuerunt, à primæva fundatione in loco per annos 169. in observantia regulari, usque ad tempora Henrici primi Imperatoris. & Arnoldi impii, Ducis Bavarorum.

Anno Domini 751. Ockarius & Adalbertus fundatores Monasterii, intraverunt Romam ad Zachariam Papam, & petierunt Corpus Sancti Quirini Martyris. Apostolicus Episcopus hoc audiens petitionem prædictorum Principum abhorruit, quia pro inde ex insolentia Romanorum se gravari pertimuit. Victus tandem devotissima precum instantia, voluntati eorum libens annuit. Sed ne raperetur, ab eis Datum, quod invito senatu consequerentur, ad præsens dandi dilatio-

nem faciens. Salubre super hac re dans consilium, Romam pro S. Martyre remittendi nuntium. Offeréntque eis particulas non modicas. scilicet brachia Beatorum Apostolórum Petri & Pauli. ac Ciphum Argenteum Sancti Athletæ Dei Quirini, aliorúmque Sanctorum non parva pignora. Sícque dimissi cum benedictione. De adeptis donis, ac promissis Patronis, utriúsque etenim intuitu, lætiores sunt effecti, celeriter revertuntur ad patriam.

Deinde anno Domini 752. ùt in antiquissimis libris invenitur. Fundatores miserunt Utonem sororium pro Corpore S. Quirini. Hic Udo sororius eorum fuit vir clericatus, dignitate ac nobilitate morum probatus, cum apparatu honorifico Romam dirigitur &c. Qui huc translatus. primo è vicino loco, juxta lacum Tegernsee, vigilias celebrantes, pernoctaverunt. Mane facto, cùm sublevassent sanctum Martyrem, Monasterium petituri: & in loco, ubi feretrum repositum fuerat, salubris vena fontis, priùs nunquam visa irrupit, quæ usque hodie manans. non parva ibidem miracula tunc & postmodum, *in* honorem servi sui, Dominus operari dignatur.

Secundò positus est ad primam Ecclesiam Salvatoris, ubi requievit duobus annis, & 19 ebdomadibus. Tertiò, scilicet anno Domini 754. translatus est Sanctus Quirinus ad majorem Ecclesiam sub Choro ad Criptam, stipantibus undique turbis, murorum parietibus. ac devoto laudum præconio consonantibus. Erat enim Cripta subterranea facta & testudinata, & lapis excisus. in medio ejus positus. Cúmque & hæc, sancta unctione solito sacrata essent, elevabatur Adletha Dei, per Antistitem, ex ea parte, qua pedes divisi erant, & per Presbiterum venerabilem Erinberthum, ex parte adversa. Et cùm iam in Sarcophagum mitteretur, elapsa est particula S. Corporis, per foramen palmæ sportæ, in manus eiusdem presbiteri, madens adhuc sanguine, velut eo die, quo passus inclitus Quirinus Martyr pro Christi nomine. Viso tali signo, affectu condigno sanguinem cum carne colligebant. & honorificentissimè, ùt decuit, servabant.

Dum verò omnia benè ordinata & composita forent. Alberthus & Ockarius. hujus mundi curas & opes spernentes. nihil liberius, nihil beatius paupertate. Hæc omnia apud se subtilius deliberantes, resignatis terrenis dignitatibus. simul & militari baltheo, post bellicos sudores, post graves hujus mundi labores, mutato animo & habitu, tradiderunt se cum multa familia, & possessione, sanctis Apostolis

Petro

Petro & Paulo. & Beato Quirino. Erat enim hæc mutatio dexteræ Excelsi, quæ dura est valde. transierunt quidem de comessationibus ad ieiunia, de carnibus ad olera, de sericis ad cilicia, de plumaribus ad stramina, cùm induissent vestimenta humilitatem cordis & contemptum mundi significantes. Ideo Dominus Adalbertus iudicio trium Episcoporum, & approbatione Universorum, primus Abbas constituitur.

Ockarius Fundator & Conversus. Obiit quarto Kalendas Martij.

Adalbertus Fundator, & Abbas primus. Obiit Kalendis Novembris.

Zacko Abbas secundus. Obiit tertio Kal. Octobris.

Yskero Abbas tertius. Obiit 4. Nonas Maij.

Megilo Abbas quartus. Obiit decimo tertio Kal. Julij.

Isti quatuor Abbates rexerunt nostrum monasterium per annos 169. usque ad primam spoliacionem. Anno Domini 969. exustum est monasterium Tegernsee funditus.

Hartwicus Abbas quintus, & primus post spoliacionem, postulatus de monasterio S. Maximini in Treueri, anno Domini 978. rexit annis quatuor. & quinque menses. Obiit sexto idus Augusti. sepultus ante altare S. Andree.

Gospertus Abbas sextus. de monasterio sancti Emmerami ratispo. postulatus anno Domini 982. & rexit 19 annis, menses quinque. dies 16. Obiit 12 Kal. Februarij.

Sanctus Godehardus Abbas septimus. de monasterio Althe inferioris. & Hersfeld, ubi Abbas fuit. In commendam habuit monasterium Tegernsee, anno Domini 1001. & rexit annum unum, & duobus mensibus. & eligitur in Episcopum Hildenshaim.

Eberhardus primus, Abbas Octavus. de Cella, quæ Silva dicitur, huic monasterio à Duce Heinrico præponitur, anno Domini 1002. & rexit duobus annis nondum completis. Obiit in peregrinacione quarto nonas Marcij.

Perengerus nostre congregationis Abbas nonus. Eligitur anno Domini 1003. & rexit novem annis. Obiit tertio nonas Februarij.

Burckhardus decimus Abbas. de Sancto Wichperto. in Hersfeld, anno Domini 1012. eligitur. & rexit quatuor annis, & quatuor mensibus. Obiit tertio Kal. novembris.

Elingerus Abbas undecimus. nostre Congregacionis. Anno Domini 1017. eligitur, & rexit primò octo annis, & suspenditur anno Domini 1025.

Albinus

Albinus duodecimus Abbas de Sancto Wichperto ex Hersfeld, eligitur anno Domini 1025. & rexit sex annis. Obiit nono Kal. Julij.

Elingerus, qui suprà, in Abbaciam restituitur, anno Domini 1031. & rexit 10 annis. & iterùm suspenditur quinto nonas Octobris. Hic venit ad monasterium Benedictenpeürn, cum duodecim monachis, eodem anno, quo fuit restitutus. & fuit ad Sigilberti Episcopi August. peticionem. & reliquit ibi Gothalmum Abbatem, cum undecim fratribus. & reversus est.

Anno Domini 1035. secundò Monasterium Tegernsee incineratum est.

Item sequenti anno, monasterium à latronibus spoliatur &c. Ob hoc Vir ille beatus Elingerus à cunctis impetitur, calumniatur. & omnis iactura in eum proiicitur. Ac apud Heinricum III. & Imperatorem secundum. atque Episcopum Nickerum Frisingensem XVIII. infamatur. Propterea tertiò suspenditur, & ad Altachense monasterium transmittitur. Obiit ibidem anno Domini 1056. nonis Februarij. & claruit miraculis post mortem longo tempore.

Udalricus I. Abbas decimus tertius. Abbas Sancti Emmerami. Anno Domini 1041. in commendam habuit, & rexit annum medium. Obiit 16 Kal. Junij.

Herrandus Abbas decimus quartus. de nostra Congregacione. Anno Domini 1042. eligitur. rexit quatuor annis. & deponitur. Obiit secundo nonas Maij.

§. Stephanus Leopolder ad marginem notat: *prædictus Herrandus Abbas. habuit secum. 15. Presbiteros. 6. Diaconos. 7. Subdiaconos. & 4. Juvenes novellos. sub suo regimine. Aput nos clarè habentur. nominatim. in plenario Sacristie.*

Eckibertus Abbas decimus quintus. de Sancto Wichperto ex Herschfeld. Anno Domini 1046. eligitur. & rexit duobus annis. & Fuldensibus Abbas præficitur. Obiit ibidem. 15. Kal. decembris.

Sijfridus Abbas decimus sextus. de S. Wichperto ex Herschfeld. Anno Domini 1048. eligitur, & rexit 20. annis. Obiit 2. nonas Marcij.

Stephanus Leopolder iterùm sic ad marginem: *Huius Abbatis Sifridi tempore. monasterium Wezzinsprunnen secundariò venit ad ordinem & regulam S. Benedicti.*

Eberhardus II. Abbas decimus septimus. Ex monasterio Campidonensi professus, primò Abbas in faucibus. postea in Ottenpeüren.

Deinde

Deinde ad S. Emmeramum. Demum monasterio Tegernsee præficitur. Anno Domini 1068. rexit annis 25. Obiit 5. idus Maij. sepultus, in medio Ecclesie. ante fontem aque benedicte.

Udalschalcus de nostra Congregacione Abbas decimus octavus. Comes de Neünburg, anno Domini 1091. eligitur. & rexit 20. annis. Iste anno Domini 1102. Fundavit monasterium in Dietramszell, Canonicorum regularium. Obiit idus novembris. sepultus ante altare S. Crucis.

Aribo Abbas decimus nonus. Anno Domini 1111. eligitur. & rexit 24 annis. minus uno mense. Obiit 11. Kal. Januarij.

Nota Stephani Leopolder: *hujus Abbatis tempore eligitur Walto nostræ Congregationis Abbas. postea inter sanctos translatus. clarens miraculis. prædicti Aribonis Abbatis. Anno Christi. 1129.*

Conradus I. Abbas Vigesimus. eligitur anno domini. 1135. & rexit 19 annis. & quatuor mensibus. Obiit tertio Kal. Julij.

Rupertus Abbas Vigesimus primus. Comes de Neünburg. de nostra Congregacione, anno Domini. 1155. eligitur. & rexit 21. annis, minus unico mense. Hic primus impetravit usum Mitre & Annuli. Obiit 11. Kal. Junij. sepultus est ad S. Benedictum.

Notat Stephanus: *Hujus Abbatis tempore Obiit Beatus Walto Abbas Wezzinsprunnensis anno Domini 1156. Eiusdem Ruperti anno secundo. hic 11. annis vacat.*

Conradus II. Abbas vigesimus secundus. eligitur anno Domini 1186. & rexit tribus annis. cum dimidio. Obiit 17. Kal. Januarij.

Manigoldus Abbas 23tius de Krembsmünster. Abbas anno Domini. 1190. eligitur. & rexit 15. annis cum dimidio. Hic anno Domini 1206. ecclesie Patauien. Episcopus preficitur.

§. Anno Domini 1212. Manigoldus episcopus, & Rapoto palatinus reni, simul discordantes, ubi monasteria, Ecclesias, unacum omni provincia deuastantur. Obiit Patauie, anno Domini. 1215. quinto idus Junij.

Stephanus Leopolder ex margine denuo hæc reddit: *Huius Abbatis tempore facta est Canonisacio S. Kunigundis V. & Regine. ab Innocencio III. multis convenientibus Episcopis, Archiepiscopis. inter quos affuit Eberhardus Saltzburgensis Archiepiscopus.*

Perchtoldus I. Abbas vigesimus quartus. de nostra Congregacione. Anno Domini 1206. eligitur. & rexit 10 annis. & duobus mensibus. Obiit 15. Kal. Marcij.

Hainricus I. Abbas vigesimus quintus. Anno Domini 1217. eligitur. & rexit 14 annis. & quinque mensibus. & resignavit anno Domini 1242. & intravit ordinem Cistercien: in Salmansweil. Obiit ibidem 7. idus Novembris.

Perchtoldus II. Abbas 25tus de nostra congregacione. Anno Domini 1242. eligitur, in presencia Laijcorum & à Laycis. & rexit non confirmatus sex annis. postea deponitur ab Episcopo Conrado frisingensi. Obiit 13. Kal. septembris.

Udalricus II. Abbas 27. prius Abbas in Sewn. dictus partterhauser, eligitur & postulatur. Anno Domini 1248. rexit 13 annis. Obiit 6. Kal. Augusti. sepultus ante altare Beate Virginis.

Rudolfus Abbas 28. Anno Domini 1261. eligitur. & rexit quinque annis. Obiit 6. Kal. Januarij.

Heinricus II. Abbas 29. Anno Domini 1266. eligitur. & rexit septem annis. & quatuor mensibus. Obiit 8. Kal. Octobris.

Ludovicus Abbas 30. Comes de Grayspach. monachus in Scheyrn. primo Abbas in Weychensteuen. postea in Scheyrn. ubi negligencia eius atque incuria accusatur. ideo anno 13. à Gubernaculis Cenobii extruditur. tempore Rudolfi Regis Romanorum. Anno Christi 1272. Ultimo tandem Hic in Tegernsee terciò Abbas eligitur. anno Domini 1273. & rexit 12. annis. & quinque mensibus. Obiit idibus februarii.

Hainricus III. Abbas 31. anno Domini 1286. eligitur. & rexit annum unum, & duobus mensibus. Obiit 5. idus Aprilis.

Marquardus Abbas 32. Comes de Vering. anno Domini 1287. eligitur. & rexit 35 annis. & septem mensibus. Obiit nono Kal. Maij. sepultus est ante altare Virginum.

Hainricus IV. Abbas 33. nostre Congregacionis. dictus Rayner, anno Domini 1324. eligitur. & rexit 15 annis. postea resignavit anno Christi 1339. obiit anno Domini 1345. undecimo Kal. decembris. sepultus ante ianuam capituli.

Sibrandus (aliis Sigebrandus) Abbas 34. dictus Geltinger, subrogatur contra voluntatem Conventus, anno Domini 1339. & rexit septem annis. & octo mensibus. Hic interficitur ab Ottone dicto Katzbecken, inter Aybling & Rosenhaim, propriè, auf dem Grabe Wege, sub anno Christi, 1346. sexto Kal. Augusti. sepultus ante altare S. Achacii.

Karolus

Karolus Abbas 35. dictus Hantzdorffer. Abbas monasteriensis postulatur. Anno Domini 1347. & rexit duobus annis. Obiit Kal. Octobris.

Conradus III. Katzbeck de nostra Congregacione. Abbas 36. anno Domini. 1349. eligitur. & rexit 13 annis. & septem mensibus. Obiit septimo Kal. Julij.

Conradus IV. dictus Eglinger. de nostra Congregacione. Abbas 37. anno Domini 1363. eligitur. & rexit octo annis. & octo mensibus. obiit octavo Kal. Aprilis. sepultus circa altare quatuor Evangelistarum.

Gebhardus Tauffkircher Abbas 38. de nostra congregacione. anno Domini. 1372. eligitur. & rexit 21. annis. Huius Abbatis tempore. anno Domini. 1373. in Capella S. Johannis Baptiste contigua Choro Ecclesie Tegernseensis non modicum miraculum omnibus circa predictam Ecclesiam, tunc temporis morantibus manifestè emicuit. Quia ymago sculpta in marmoreum lapidem, super positum sepulchro, Venerabilis Abbatis Ruperti Comitis de Neünberg. Qui obiit sub anno salutis 1175. quinto Kal. Julij. Continuè per triduum flere videbatur. Deinde aliquo tempore elapso pluries ploravit. Obiit predictus Gebhardus Tauffkircher, 3. idus Marcii. & sepultus est circa altare sancti Sebastiani.

Oswaldus Torer, Abbas 38. de nostra congregacione. anno Domini. 1393. eligitur. & rexit 25. annis. Obiit 17. Kal. Maij. sepultus circa altare S. Spiritus.

Georgius Türndl Abbas 40. de nostra congregacione. anno Domini. 1418. eligitur. & rexit quinque annis. Obiit 16 Kal. Februarii. Sepultus circa altare S. Spiritus in abside.

Hildebrandus Casner de nostra congregacione Abbas 41. anno Domini. 1423. eligitur. & rexit quatuor annis. ac resignavit, anno 1426. Obiit postea, anno Domini. 1446. nonas Junii. sepultus ante Capitulum in Ambitu.

Caspar Aindarffer de nostra congregacione, Abbas 42. anno Domini. 1426. eligitur. & rexit 35. annis. Obiit. 17. Kal. Februarij. sepultus in medio Chori.

Conradus V. dictus Ayrenschmaltz de Weylhaim. de nostra congregacione. anno Domini. 1461. eligitur. & rexit 31. annis. Obiit ii. profesto Conversionis S. Pauli. sepultus in medio Ecclesiæ.

Quirinus Regler, prius dictus Michaël de Winsshaim. de nostra congregacione. Abbas 44. anno Domini. 1491. eligitur. & rexit novem annis. & resignavit Abbacie, anno Christi 1500. & transtulit se ad monasterium Mänsee. Obiit ibidem anno Domini. 1510. in die Sancti Kiliani: atque ibidem sepultus ante altare Beatæ Mariæ Virg. sub marmore.

Hainricus Kuntzner de Kopstain, V. huius nominis. Abbas 45. anno Domini 1500. eligitur. prima die Augusti. & rexit 12. annis. Sed propter infirmitates corporales resignavit Abbacie, in die S. Ignacii Episcopi & Martyris. anno Domini 1512. Obiit.

Maurus, priùs Johannes, Leyrer de Landsperg. de nostra congregacione. Abbas 46. eligitur anno Domini. 1512. secundo nonas Februarij. Que fuit quarta dies Februarij. Et in Dominica sexagesime, que fuit immediatè post Festum S. Valentini. Fuit confirmatus Frisinge.

VIII.

Catalogus Abbatum Monasterij SS. Udalrici & Aphre Auguste.

SAnctus Reginbaldus primus Abbas, postea Spirensis Ecclesiæ Episcopus, sub Heinrico secundo, aliis sancto Imperatore.

Dago Abbas secundus.

Gotesgenus Abbas tercius.

Frideboldus Abbas quartus.

Heinricus I. Abbas quintus.

Dieto I. Abbas 6.

Adelbero Abbas 7. successit anno Domini & præfuit annis. Hic venerandus & Deo devotus Pater, construxit capellam S. Agnetis V. & Martiris. & inclusit monasterium cum muro. Idem venerandus Abbas. habuit tam strictam conscienciam. ut non celebraret Divina, coram concubynariis. ideo occulte in monasterio celebravit, ob quam causam fuit expulsus, & fugam petiit versus Romam. ubi impetratis litteris Apostolicis, patriam repeciit. & sic in via Romana, diem clausit extremum.

§. Hy supradicti, omnes fuerunt viri famosi & devoti in religione.

Dietmarus

Dietmarus Abbas 8. Invasor loci, nec Clericus, nec Monachus, neque memoria dignus.

Sigihardus Abbas 9. dictus fidelis, eligitur anno Domini. & præfuit annis. Hic sub anno salutis 1087. misit unum Conversum, quos Donatos vocamus, cum litteris ad Beringarium Episcopum Gerundie Hispaniarum, pro reliquiis S. Narcissi Episcopi, narrans idem Conversus. qualiter S. Narcissus, integro corpore sit inventus, cum tribus vulneribus perfossus.

Hartmannus I. Abbas 10. successit anno Domini & præfuit 15. annis. Hic instituit prebendas fratribus, & quod detur vinum Canonicis, in festis Patronorum. Et resignavit Abbaciam. propter indignacionem Cesaris. postea Gotwicensis Abbas effectus, eciam ibi persecucionem passus. resignavit. Tertio Abbas Campidonensis factus, aliquamdiu ibi prefuit, tandem in Danubio periit, & in eodem monasterio sepelitur.

Hartmannus II. Abbas 11. successit anno Domini & prefuit annis. Hic resignavit Officium Abbacie, propter indignacionem Episcopi Hermani. adversus Cenobium, & iterum se transtulit ad Monasterium Gotwicense, ubi prius Abbas extitit gloriosus.

Berengarius Monachus Fuldensis.

Guntherus. Monachus Wezzinsprunnensis.

§. Predicti duo Abbates, spretique sunt successive à fratribus, eoquod non fuerunt canonice electi, sed per Episcopum Hermannum suffecti & seducti.

Sanctus Egino Abbas. eligitur anno Domini . & prefuit 10. annis. Hic instituit Festum Conversionis S. Aphre, festumque sancte Hilarie, & Festum omnium Patronorum, tam Martirum quàm confessorum. & reliquias sanctorum Dionisij primi Episcopi & Martiris. & Quiriaci. Largiti. Crescenciani. Euticiani. Cariti. Fidolffi. Petri. sanctarum feminarum. Numinie. Juliane. Diomidie. Leonide. Agoope. cum aliis tredecim. quorum omnium nomina scripta sunt in libro vite. Predictus sanctus Abbas. post plures persecuciones & insidias, obiit in reversione de Roma, aput Pisam Civitatem Italie, & ibidem sepelitur in Sarcophago cuiusdam Episcopi, ac diu clarens miraculis.

Ex discipulis Beati Eginonis hy Abbates effecti sunt.

1. Wollemarus Abbas S. Udalrici efficitur.

2. Udalscalcus Vir doctus, & Capellanus Beati Eginonis in via Romana, Abbas Auguste eligitur.

3. Gotfridus, Abbas Fuldensis eligitur.

4. Sachso, Abbas Würtzburgensis efficitur.

5. Albericus, Abbas in faucibus eligitur.

6. Guntherus, in faucibus Abbas efficitur.

7. Aribo, Abbas Tegernseensis efficitur. &

8. Frater predicti Aribonis N. ad Schwollenhofen Abbas eligitur.

Wollemarus. successit anno Domini . & presuit annis.

Udalscalchus. Vir doctus ac musicus optimus. Capellanus beati Eginonis abbatis successit anno Domini . & presuit . annis.

§. Hic hystorias SS. Udalrici & Aphre, atque Marie Magdalene, quam specialiter dilexit. composuit, quem cantum ad Episcopum Hermannum Constanciensem primitus misit ad approbandum, similiter Gebehardus Legatus Romanus, approbavit & confirmavit, historias supradictas per totam Diocesim servandas. §. Huius eciam tempore Hermannus Custos Ecclesie ad Beatam Virginem, intravit religionem aput S. Udalricum, ac plura bona in pecuniis & aliis Monasterio obtulit.

Hezilo. Abbas eligitur anno Domini 1148. Vir in religione strenuus, & in exterioribus curis per omnia providus. & presuit 11. annis. Huius Abbatis tempore. Conradus dictus Lützelstain Episcopus Augustensis intravit religionem aput S. Udalricum, sub anno salutis. 1156.

Udalricus de Biberbach, successit anno Domini 1159. presuit 11 annis, & tres menses.

Heinricus II. de Maysach, vir pudicus & castus, & litterarum sciencia satis eruditus. successit anno Domini. 1171. & presuit sex annis.

Manigoldus. Prior huius loci, multo senio confectus, qui pene quinquaginta annos. in officio prioratus presuit, & multa utilia, consilio & actione sub prefatis Abbatibus peregit. successit autem in Abbacia, anno Domini 1177. & presuit 6. annis. octo mensibus. diebus undecim.

§. In

§. In huius Patris extremis temporibus, sub anno salutis 1183. Indictione prima, 16. Kal. Augusti, in die S. Alexij confessoris, circa horam nonam in meridie, cum nimius esset estus, fabrica quedam in valle sita, igne exestuans, vicinas domos, & inde omnes officinas, tandem claustrum & Ecclesiam SS. Udalrici & Aphre, mira celeritate in favillas redegit, ita ut in proxima cena, nec panis ad victum superesset, nec tugurium, in quo proxima nocte fratres quiescerent, Dispersi ergo per civitatem fratres, pre nimia afflictione tedebat eos vivere, Tandem resumptis viribus domicilia ceperunt edificare, in quibus ad Divinum servitium, & ad cultum religionis peragendum, se pro posse receperunt &c. Vide lacius de translacione S. Udalrici Episcopi.

Heinricus III. successit anno Domini 1183. & prefuit septem annis, mensibus sex. Hic fuit Prior huius loci, Vir castus & pudicus. & in spiritualibus, ac in religione, quantum tunc temporis exerceri potuit, devotus & discretus, nec minus in exteriori cura. providus & studiosus. §. Hic etiam muris veteris claustri funditus eversis, novas & ampliores officinas reparavit, & alia multa perfecit, quæ causa brevitatis hic obmittuntur. §. Sub ipso eciam facta est nova consecracio Monasterii, per Archiepiscopum Conradum Moguntinensem & Udalscalcum Augustensem, & Ottonem secundum Frisingensem, qui eciam consecravit capellam S. Bartholomei Apostoli, ac per Hermanum Monasteriensem, & Ottonem Eistetensem. Huic facto interfuit Fridericus I. Imperator, cum tribus filiis suis, ac aliis Principibus. Nam & ipse Imperator maxima devocione. cum tribus Episcopis, portavit S. Udalrici corpus, ad Sarcophagum, in quo usque hodie requiescit, quod factum est anno Domini. 1187. feria secunda post octavam pasce. prout usque in presens per Diocesim colitur. §. Obiit autem Heinricus venerandus Abbas 6. idus Decembris.

Erchinboldus Abbas eligitur anno Domini 1190. in die Conceptionis S. Marie V. & prefuit 10. annis. §. Hic fieri procuravit columnas lapideas, pro ambitu Monasterii. Iste fuit Vir elegantis persone & forme. nec non morum adornatus honestate. Sed prematura morte obiit, 4. nonas Marcij.

Udalricus II. Abbas eligitur anno Domini 1200. & prefuit quatuor annis. §. Iste prius fuit Prior. & multo senior Predecessore suo, ob quam causam adhuc vivens, pastorali se cura abdicavit.

Heinri-

Heinricus de Belshaim, huius nominis IV. successit anno Domini. 1204. & prefuit 12. annis. Hic fuit Vir bone conversacionis & fame, cunctisque affabilis, pius & largus, & hospitalis existens, omniáque malens vultu placido & miti animo, quàm rigore & severitate ordinare & iudicare, ac multa bona peregit, & monasterio suo exhibuit.

Dieto II. Abbas eligitur anno Domini. 1216. & prefuit 6. annis. Hic fuit Monachus Faucensis, vir probitate conspicuus, ac in temporalibus satis providus & honestus.

Luitfridus successit in Abbacia anno Domini 1222. & prefuit octo annis, Vir bonus & discretus in spiritualibus & temporalibus & resignavit voluntarie curam pastoralem.

Hilteprandus Vir bone conversacionis, ac providus in temporalibus. successit anno Domini. 1230. & prefuit 13. annis.

Gebinus de Türhaim. Abbas eligitur. Anno Domini 1243. prefuit 23. annis. & resignavit voluntarie Officium Abbacie.

Dietricus Alienigena, frater Wolfhardi postea Augustensis Episcopi. Cognomine de Rott. successit anno Domini 1266. Vir bonus. sed simplex. Et prefuit 22. annis, ac obiit nonis Maij.

Sibotto, dictus Curiat Cervus (aliàs Stoltzhirss) in Abbatem eligitur anno Domini 1288. in die SS. Martirum Gordiani & Epimachi. Sed postmodum opposuit se ei Wolfhardus Episcopus Augustensis. & quedam pars ex fratribus consentientibus Episcopo. deponitur. Et prefuit tantùm quatuor annis. cum auxilio consanguineorum suorum. Hic post deposicionem, ordinatur pro custode sacristie.

Heinricus V. de Hugnach, successit anno Domini. 1292. & prefuit 22. annis.

Marquardus de Hageln, ex Ordine Predicatorum, eligitur in Abbatem anno Domini 1314. & prefuit 20. annis. menses octo, & obiit tercio nonas Maij. Hic fuit Vir magnificæ bonitatis.

Conradus I. dictus Winckler huius Monasterii professus, successit in Abbacia anno Domini 1334. tercio nonas Maij, & confirmatur in secunda feria Penth. ordinatur verò in Dominica Sancte Trinitatis. Et prefuit.

Johannes I. de Vischach. Abbas eligitur anno Domini & prefuit 11. annis. Hic optimè rexit Gregem sibi commissum, & reliquit Monasterium in bono statu.

Fridericus de Gimeringen. successit anno Domini.

Heinricus

Heinricus VI. de Gabelpach. successit anno Domini . & presuit 18. Annis. & deponitur propter suam negligenciam.

Johannes II. Lauginger dictus. Abbas in faucibus, ubi satis bene rexit, postea huc vocatus, & electus in pastorem Animarum; & similiter optime presuit, ac fratres extra monasterium stantes, ad congregacionem & unitatem Ecclesie revocavit.

Johannes III. Dictus Küssinger. presbiter & monachus nostre Congregacionis, eligitur in Abbatem ad Ottenpeüren, & rexit ibidem aliquos annos. postea resignavit, & Abbas primus Infulatus in loco professionis gloriosus efficitur & presuit 25. Annis.

Heinricus VII. Heütter vocatus, successit anno Domini , & presuit 11. Annis.

Johannes IV. dictus Hochenstainer.
Melchior de Steinham.
Heinricus VIII. vocatus Friess.
Johannes V. Gültinger.
Conradus II. dictus Mörlin. successit anno Domini.
Johannes VI. dictus Schrot, successit anno Domini.
Johannes VII. dictus Rüedlein (aliis Küenlin) successit in Abbacia. Anno Domini 1527. circa festum S. Jacobi Majoris.

IX.

Instrumenta vetera, in prima parte hinc inde citata, & quidem sub Wernero II. Abbate XXX.

Ein Leibgeding. Brief.

ANno Domini 1325. in Vigilia Purificationis beatæ Mariæ Virginis hab ich Abt Wernher zu Wessinsprunn ein Guet ze Mutters gelegen, verleibt auf acht Leib, Ulrich Burger dem Alten zu Innsprucch umb dreyzehen March Berner, mit solchen Geding, das die vorgenannten acht Leib unsers Gottshauß lauffenden Botten in das Mahl geben sullen der Kost auf den vorgenannten Guet. §. Wür sullen auch dem vorgenannten Gottshauß alle Jahr an den Herbst ze Urkund geben zwen weiß Hantschüech &c.

Ein Gagenbrief um Pipping, Menzing und Mosach.

ICh Ott Teufelhart Burger ze München, vergich offentlichen an disen Brief, für mich und all mein Erben, das ich die Handvest, die ich da

da innen han, umb zway und dreyßig Pfund Müchner-Pfenning über die Gütter zu Obern Menzingen, und da ze Pippingen, und auch ze Mosach, und yberall in demselben Ambt, daß mir die keinen Pfening nit stehnt, auch keiner Schlachtpfandung darauf han, ich, noch mein Erben. Und das ich die vorgenannten Handvest innen han umb anderst nicht, denn umb ein Schirm dem Gottshauß ze Wessesprunnen, und wann mein Herr Abt Wernher ze Wessesprunn, und auch der Convent, oder wer des Gottshauß Pfleger ist, der die vorgenannten Handvest vodert, das ich und auch mein Erben die wider sullen antwurten dem vorgenannten Gottshauß an all Pfenning, und an alle Jrrung; und das dem vorgenannten Gottshauß daß stät beleib, gib ich ihn disen Brief, versiglt mit meinem Insigl, das daran hanget. Das geschach, do man zahlt von Christi Geburt Tausend dreyhundert fünf und zwanzig, an dem Weissen Sunntag. Hæc Dominica tunc incidebat in diem 14 Aprilis.

Ein Brief umb die Vogtey über 3. Höf ze Scheffoltingen und ainen ze Neuenhausen.

Ich Chunrat von Wildenroth vergich offentlich für mich und für alle mein Erben, und thuen kunt allen den, die disen Brief ansehent, lesent, oder hörent lesen, das ich mit verdachten Muth han geben ze kauffen recht und redlich die Vogtey, die ich hätt auf vier Höfen, deren drey gelegen sint ze Scheffoltingen, und ainer ze Neuenhausen, die ich ze Lehen hätt von dem Gottshauß ze Weßisbrunnen, dem Ehrsamen Herrn Abt Wernher ze Weßisbrunn und dem Convent daselbe, umb zehen Pfund gäber Augspurger-Pfenning, deren sie mich gar und gäntzlich gewehrt habent: und soll ich und alle mein Erben nimmermehr kain Anspruch nach den vorgenannten Vogteyen haben; und was die voder Vogtey besser unt theuerer ist, daß ich dem Gottshauß Peters ze Weßisbrunn giben lauter durch GOtt, durch meiner Seel, und durch aller meiner vorderen Seel willen, und daß ihnen das alles stätt beleibe, von mir und von allen meinen Erben nicht vergessen wert, deß gib ich dem Gottshauß ze Weßisbrunnen disen ofnen Brief ze behalten ze ainem wahren Urkunt, versiglt mit meinem Insigl, das daran hanget. Das beschach, do man zahlt von Christi Geburt dreuzehen hundert Jahr, und darnach in dem zwainzigosten und fünften Jahr, an sant Veits-Tag.

Ich Mechthilt Ulschalcks Hausfraue von Echingen Vergich allen den, die disen Brief ansehent, oder hörent lesen, das ich verrichtet bin mit

dem

dem Abt zu Wessisbrunnen und mit seinem Gottshauß gar und gäntzlichen, mit guten Willen, umb die Vogtey über 3. Hof da ze Schessoltingen, die ich ansprach mit den Rechten, und klagt darauf, das mir mein Würth Ulschalckh zehen Pfund hätt geben ze rechter Margengab auf derselben Vogtey, und hätt auch mein Würth die vorgenannte Vogtey ze derselben Zeit ze rechten Lehen von dem vorgenannten Gottshauß ze Wessisbrunnen, und han auch ich mich derselben Vogtey verzigen auf des Reiches Strasse mit meinem Ayde auf meinen Brüsten, als man sich durch recht Margengab verzeyhen sol. Das ich, noch kein mein Erbe nimmermehr kein Anspruch darnach sullen gehaben. Und han auch darumb empfangen von dem Abt von Wessisbrunnen und von seinem Gottshauß vier Pfund Augspurger-Pfenning, die ich an meinen Nutz gelegt han. Wan ich aigens Insigl nicht hab, verbint ich mich mit meinen Treuen, unter des Erbern Mannes Insigl Hermanns von Umenhofen, der daselben gewaltiger Landrichter waß ze Landsperg, stät ze haben, als das hie geschriben steht. Deß sind Gezeuge Herr Herman von Borbach, Herr Eberhard von Pflugdorf, Herr Ulrich von Meilingen, Herrman von Pflugdorf, Engelschalckh von Pleitmanswang, der Scheyrer von Lansperg, und Hainrich Schestin daselben, und ander Erber Leuth genug. Das geschach do man zahlt von Christi Geburt Triuzehen hundert Jahr, und darnach in dem 26isten Jahr, an den heiligen Auffarth-Tag. Hæc festivitas illo anno incidebat in Calendas Maias.

Anno Domini 1327. an dem weissen Suntag hat Herr Greymolt Pfarrer zu Sant Peter bey Tyrol, für sich und all sein Erben ein Leibgeding-Brief, supplendum est hic: aufgericht oder empfangen, umb acht ürn Weins, Botzner-Masse, aus ainem Hof ze Grätsch, genannt in den Aigen, mit aller Kostung einen Prälaten, oder wen er schickht an seiner statt, ze Nachts und Morgens den Tisch mit Speiß, Wein, und Fuetter, unverzigenglich auf dem vorgenannten Leibgeding zehalten. Dominica in Albis illo anno erat die 19. Aprilis.

Ein Gerichts-Brief umb Leuth und Guet auf dem Forst, und ze Rott.

Ich Ludweich der Apholtinger, Landrichter ze Landsperg, thuen kunt allen den, die disen Brief ansehent oder hörent lesen, das Fraue Agnes,

die Pertolts des Grautters Hauefraue waß, dem Gott gnade, ansprach vor mir auf den Rechten das Gottshauß ze Wessesbrunnen, und den Abt umb den Hof da ze Grautt, der da ze Wessesbrunnen gelegen ist; und sprach auch an Hainrichen den Grautter mit dem Rechten umb einen Hof, der ze Rott gelegen ist; und sprach auch an Friderichen den Grautter mit dem Rechten umb einen Vogthof, der ze Rott gelegen ist, und umb einen Hof, der der Grabhof geheissen ist, der in der Pfarre ze Wessesbrunne gelegen ist, und umb acht Menschen, die hie geschriben stent, das ist, Hainrich der Swegler, und seine zwen Sün; Hainrich der Juchzler, und Hainrich der Trüller, und Chunrat der Dorfmaister, und sein Haußfrau Diemut, und seinen Brudern Hainrich der Dorfmaister, da sie auch umb ansprach die vorgenannten Grautter, das sie auf Leuth und Guet, die hie geschriben stent, hätt ihr Haimsteur, und ihr Margengab, und ihr Widerlegung. Deß antwurt ihr der von Wessesbrunnen, und Hainrich, und Friderich seine Brüder, die Grautter alle drey, mit dem Rechten umb die Leuth und umb die Gütter, da sie sich umb Ansprach da ze Landsperg vor Vitztum Wernhern, der selben tages an dem Rechten von meinen wegen sass, und enprasten auch Frauen Agnesen der von Wessesbrunnen, und Hainrich und Friderich sein Brüder alle drey mit dem Rechten umb die Ansprach, da sie sie umb anklaget, umb Leuth und umb Guet, die hie geschriben stent. Und warde ihn allen dreyen auch erthailet, daß man sie ze Fürpan thätt mit dem Rechten umb die Leuth und umb die Güetter, da sie Frau Agnes umb ansprach, und ward ihn auch mehr mit dem Rechten erthailet; was Frau Agnes Brief hätt von Pertold dem Grautter, über die Leuth und Güetter, die hie benennt sind, das ihnen allen dreyen die Brief unschädlich sullen seyn. Da ward ihnen auch mehr erthailet, das ich deß meinen Brief ihnen solt geben ze einem wahren Urkunde, mit meinem hangenden Insigl, das auch daran hanget. Der Brief ward geben, da man zahlt von Christi geburt triuzehen hundert Jahr, und darnach in dem neun und zwainzgosten Jahr, an Sant Andreß tag.

Anno Domini 1331. Indictione decimâ quartâ, die Lunæ quarto intrante Februario Bozani in domo Domini Dietlini dicti Füegel &c. Ibique Venerabilis Vir Dominus Wernherus Abbas monasterii & ecclesiæ de Wesselsbrunne locavit & concessit perpetuè iure hæreditario pro libero & expedito allodio Michaëli de Bozano, & filio suo Michaëli, commoranti an dem Roin, unum mansum situm in pertinentiis de Griess, & vocatur Engelburgers Hof, & sunt tres peciæ terræ

terræ cum vineis &c. Et debent insuper dicti conductores & eorum hæredes dare & solvere perpetualiter iure * ficti sive census, & iure fori omni anno in vindemia & tempore vindemiarum dicto Domino Abbati & suis successoribus, aut suo nuncio speciali, duodecim urnas vini de illo vino, quod nascetur in vineis suprascriptis, vel de alijs tam bono, si non nasceretur. Et insuper viginti solidi debentur pro censu: debent & tenentur dicti conductores & hæredes eorum ipsum censum Abbati & suis successoribus assignare omni anno perpetuè in Bozanum, in quodcunque cellarium ipse Dominus Abbas vel sui nuncii voluerint, sine omnibus expensis Monasterii &c. Vide latiùs instrumentum. Ego Perchtoldus Stainboch Imperiali auctoritate Notarius his interfui rogatus & scripsi.

*, an *ficti*?

Anno Domini 1336. an Sant Matheus-tag des heiligen Euangelisten und zwelfpoten, hab ich Friderich der Grautter, für mich, und all mein Erben, geben ein Berichts-Brieff Adelhayde Schusterin, und allen ihren Erben, gesessen auf den Mantelhof und Hagenlehen umb alle Ansprüche vergangner Zins und Dienst 2c.

Anno Domini 1343. an Sant Gallen tag haben wür Wernher Abt und der Conuent ze Wessesbrunne, unser Güetter ze Reutt bey Schlossberg verleibt auf Erbrecht Richero & Sifrido Gebrüdere, und allen ihren Erben um 22. March Perner, die man zalmarch haisset, darmit wür etlich unser Gelter gestillet haben. Sy sollen, auch all ihr nachkomment Erben, zwaymahl im Jahr geben, zwaymahl an der Einfart in das Pürg, auch zwaymahl an Aussahrt, auf 6. Pferd, mit einem Koch, und einem lauffenden Knecht, und auf iegliches Mahl zwo Patseiden guets Weins, und dem laufenden Botten Nachtsål mit sambt der Kost, als offt das Noth geschicht 2c.

Anno 1351. feriâ sextâ post Walburgis in Maió haben wür Wolfhart und Ott Brüder, genannt die Zwarger geben einen Kundt-Brief dem Erbern Herrn Abbt Wernhern von Wessesbrunn, umb die 15. Schilling Pfening de Kurzen, die auf dem Hoff da ze Weyl, darauf der Kurz gesessen ist, ze Steur gehn, und die in die Steur Landsperger Gericht gehörent, haben wir uns verwilligt die treulich ausszerichten an des Gottshaus Schaden 2c.

Anno Domini 1353. feriâ 2dâ post Lætare hat Heinrich Reynshofer von Morenweiß vor Gericht ze Landsperg verjehen, das sein fünff Hoffstet daselbs gehören in das Dorffgericht ze Morenweiß.

Anno Domini 1359. an dem heiligen Pfingst-Abent haben wir Christan von den Gatern, und Anna sein ehliche Wirtin, und ich Adelhait und Margret sein zwo Töchter, ein Gut ze Zyrel gelegen, ze rechten Leibgeding gekaufft, zu unsern vier Leiben, von dem Würdigen Herrn Apt Wernhern ze Wessesbrunne, umb zhen Marckh und umb siben Pfund guter und geber Perner, Meraner-Müntz rc. Und wan wir vorgenannt vier Leib gestorben sint, so ist das Guet dem Abt und Convent frey ledig von Jahr ze Jahr ihren Erben gelassen, in diser Beschaidenheit, das sy alle Jahr jährlichen davon dienen sullen fünfzehen Pfund Perner der obgenannten Münze, und ain Pfund Perner zu Geding geben. Und sullen einem Prelaten von Wessesbrunne alle Jahr jährlich ein Mahl geben Abents und Morgens. Das sullen unser Erben tuen nach unserm Tod, und sullen dann ihre Bau-Recht jährlich also verdienen, als vor geschriben stat rc.

Anno Domini 1359. in die S. Valentini Duringus Abbt ze Peuren und Wernherus Greutter Abbt ze Wessesbrum haben einen Wechsel gethan umb das Kasten-Lehen ze Päll, darumb Abbt Wernher und sein Convent geben hat dem von Peuren ein Hoff ze Müssen.

Anno Domini 1361. in vigilia Annunciationis Mariæ Virginis ain Leibgeding-Brief um die Zehant zu Landsperg und Perg, die der Jos Hortner gekaufft hat von Walthern von der alten Klingen und seiner ehlichen Frauen Katherinen. Disen Zehant in Krafft diß Briefs hab ich benanter Jos geben und verleibt, und redlichen verkaufft dem ersamen und weisen Ulrico Schreiber Purger ze Augspurg. Anno quo supra.

Anno Domini 1361. Indictione 14. die solis, decimâ mensis Octobris, Merani in domo mei Conradi de Akheim Notarij, dedit Instrumentum Ulricus Fleyser Wernhero Abbati pro duabus pecijs vineales sub tali conditione, quandocunque Dominus Abbas aut Conventus vel eorum Officiales & nuncij ad eos venirent, quod ipsi vinum potationis ibidem habeant. Idcirco prædictus Ulricus Fleyser eis dedit & persolvit florenos quinque boni auri & legalis ponderis &c.

Ich Ulreich der Torer, Richter ze München, Vergich und thun kunt, offentlich mit dem Brief von Gericht wegen umb den Zeuch, den Hainreich Chaepelinam Puryer ze München gethan solt haben hintz dem Erwürdigen geistlichen Herrn Abbt Wernhern von Gottes Genaden ze Wessesbrunn umb 14. Schilling Pfenning, minder 13. Pfenning, die er ihm gelihen solt haben umb Wein, und umb Brod, und auch umb den Schaden den er sein genommen hiet: Desselben Zeugs hat er sich entgeben vor offnen Rechten. Und also ist der vorgenannt Herr Abbt Wernher des Tags mit dem Rechten entprasten nach des Buchs sag, und als recht ist. Ze Urkund gib ich ihm den Brief von Gerichtswegen, versigelt mit meinem Insigl mir an Schaden. Das geschach nach Christi Geburt dreuzehent hundert Jahr, und in dem zway und sechzigisten Jahr, an sant Michaehls tag.

Wir Wernher von Gottes Genaden Abbt ze Wessesbrunnen, und über all der Conuent daselben veriehen offenlichen an disen Brief, das Herr Greymolt Pfarrer da ze Sant Peter bey tyrol kaufft die torgel auf des Gottshaus aigen ze Gratsche mit Willen und Gunst Abbt Gebharts und auch des Convents daselben über all, und dieselben torggel hat er geben ewiglichen durch Gott dem Conuent in das Oblay mit willen unser und unsers Conuentes, und hat damit gestifft ein ewige Messe in der nidern Capellen da ze unser Frauen, da sol man alle Sambstage haben ein Messe in den Ehren unser Lieben Frauen, und in derselben Messe ein Collecten von Sant Johansen Euangelisten, und soll auch dieselbe Messe nimmermehr abgehn; Und ob das wär, das der Convent die Messe nicht haben wolt, so soll haben vollen Gewalt, wer dann Abbt und Herre ist, einen oder zwayen, die die Mess haben wöllen, das vorgenannte Gelt von der torggel geben, das die Messe ewiglichen besorgen werde; Und daß das also stät beleib, darumb geben wir disen Brief versigelten mit unsern Insigeln, die bayde daran hangent. Das geschach, do man zahlt von Christi Geburt triuzehen hundert Jahr, und darnach in dem zwey und dreysgosten Jahr, an Sant Katherinen tag.

X.

Decani & Parochi Fœderi Defunctorum subscribentes Landsperga sub Abb. Paulo I. fol. 321.

DAs pin ich vorgenannter Walrab von Sindigen Kirchherr und Dechand ze Landsperg: ich vorgenannter Otte von Tullenshausen Kirchherr

herr und Dechand ze Pözenhausen: und ich Jobst Puchenbrunner Kirchherr ze Eresingen, ich Eckart Kirchherr ze Schewringen, ich Cunrad der Taniger Kirchherr ze Stadl, ich Herrmann Hirchher zu Reichlingen, Ich Johannes Kirchherr zu Pirgen, ich Hainrich Scheitrer Kirchherr zu Morenweiß, ich Jordan der Hering Kirchherr zu Bewren, ich Cunrad der Sandauer Kirchher zu Schwabhausen, Ich Perchtold der Gömetz Kirchherr zu Ludenhausen, Ich Hermann der Durgenfelder Kirchher zu Durgenueld, Ich Heinrich der Pawr Kirchher zu Stoffen, Ich Cunrad Kirchherr zu Hofsteten, ich Hainrich von Findigen Kirchherr zu Scheffeltingen, ich Hainrich der Blöß Pfarrer zu Sandau, Ich Perchtold der Hodes Pfarrer zu Uttingen, Ich Hainrich Pfarrer zu Wallershausen, Ich Albrecht Pfarrer zu Kaufringen; Ich Hainrich der Schwabhauser Pfarrer ze Morenweiß, Ich Hainrich Eckart Pfarrer zu Penzing, Ich Johannes Pfarrer zu Weile, & post aliquot laicos: Ich Peter von Menchingen Capplan ze Landsperg. Post pauca: der Brief ist geben, do man zahlt von Christi Gepürt Dreuzehen hundert Jahr, und darnach in dem Sibenzigisten Jahre an Sannd Johanns Tag ze Sunbenden.

XI.

Sententia Ernesti & Wilhelmi Ducum.

Spruch-Brief von Herzog Ernst und Wilhalm über den See zu Zell und die Eisenschmidt darbey glegen zwischen Wessosbrunn und Diessen 1415. sub Abb. Eberhardo f. 332.

Wir Ernst und Wilhalm von GOttes Genaden Pfalzgrauen bey Rein und Herzogen in Bayrn ꝛc. bekennen offentlich mit dem Prief umb die Zuspruch, die der Ehrsame unser lieber andechtiger der Probst und das Convent gemainiglich unsers Gottshauses zu Diessen, hunts dem ersamen unserm lieben andechtigen dem Abbt und dem Convent unsers Gottshauses zu Wessesbrunn gehabt hat von des Sees wegen, der gelegen ist bey Zell zwischen des Walds und des Peyssenbergs, dem das obgenannt Gottshauß zu Wessensbrunn aufgefangen, und zu Früchten pracht hat. Und auch von der Schmit des Eysenhamers wegen, der unter demselben See gelegen ist, daß si von derselben Vodrung und Spruch wegen einen plossen Hintergangk hinter Uns gethan haben. Und wie wir sy mit sambt unsern Räten darumb entschaiden. Dabey süllen und wöllen sy

gern

gern pleiben. Also sprechen wür zum ersten, das der obgenannt See nicht auch die Schnit des obgenannten Eysenhamers um Fürpaß ewiglichen an all Anspruch pey dem obgenanten Gottshauß ze Wessesprunn pleyben sullen. und die nützen und niessen, als andere des Gottshauß aigen gut. Darnach sprechen wür, das der obgenannt Abbt und Convent unsers Gottshauß zu Wessensprunn dem egenannten Probst und Convent unsers Gottshauß zu Diessen für ihr rechts aigen übergeben und einantwurten sullen mit namen den Sündhof. Den Hof da der Schmid aufsitzet und die Hueb und das Lehen in dem Dorf zu Raisting, und den zehenden zu Tan gelegen in dem Dyessserwald. Und daß soll der obgenant Abbt und das Convent zu Wessesbrunn tuen und vollenden inner vierzehen Tag nach Datum diß priefs. Wolt er aber die obgenannten Stuckh von seinen Gottshauß mit geben noch empfremden so soll er dem Probst und unsern Gottshauß zu Dyessen für die obgenanten Stuckh. sibenzig pfundt Müncher-Pfening geben. Und im inner vierzehen tagen darumb genueg thuen nach seiner notdurft, das er in der obgenannten Summ an allen schaden inner Jarsfrist nach datum diß priefs richten und bezahlen well. Mit Urkund deß priefs der geben, und zu München mit unsern Insigeln versigelt ist an sant Johannstag zu Sunwenden Anno Domini MCCCCXV.

XII.

Documenta negotiationum sub Friderico Abbate ad fol. 336.

1. ANno Nativitatis Domini 1429. die vicesima mensis octobris Religiosus vir dominus Fridericus Venerabilis Abbas Monasterii S. Petri in Wessesbrun Ord. S. Bened. presente & confirmante Religioso viro Domino Stephano Pawr fratre conventuali jure locationis concessit Heinrico genero olim Petri villici ab Awr & sue Domine Barbare quoddam bonum situm ze Gratsch in plebe S. Petri de Tyrol in Aygn nuncupatum &c.

2. Anno Domini 1425. An sant Veitstag hab ich Abt Friderich von Wessebrunn und das Convent daselbs abgelöst den Sedlhof mitsambt dem Turn zu Penzingen mit aller Zugehörung von Hans Pfennigman und Cecilien seiner hausfrauen, die Leibgeding und erbrecht darauf gehabt haben, umb LXII. gut reinisch &c

3. Anno Domini 1422. Infra Octavam Pentecostes hab ich Hain-

rich Hermans sun von Hausen, auf rat probst Jacoben ze Dyessen und probst Wilhalm von Pollingen einen heyrat und gerichsbrief geben meinem gnedigen herrn Abt Friderich ze Wessesprunn, das ich und mein Hausfrau und alle unsere kind fürpas ewiglichen aygen sind &c.

4. Anno Domini 1420. An sant Thomas tag ist geben worden ain gerichts oder spruchbrief umb Purgstal auf dem Forst, genant ein hueb, lechen von Wilhelm Hunthaimer, Hainzen Prugstaler, und Hainzen Locher, pesizende &c.

Notandum, quod ea, quæ sub Urbano, postea S. Magni Abbate diximus, in Nota (i) folio 340. inveniantur.

Similiter necessarium non est integram Pauli II. Papæ clementissimam Bullam hîc repetere, cum substantia eius circa ecclesias Rottensem & Illingensem iam expressa sit fol. 356.

XIII.

Nomina Abbatum, & aliorum Provinciæ statuum Monachii congregatorum fol. 357. num. 12. ex Codice Sebastiani Ranck.

VErmerckt die, so aus der Landschafft von Prelaten, Rittern und Stetten geordnet sein Herzog Christoph aus sein enthaltnus bericht haben, auch die gesigelt haben, die Bericht und Ainigung der vier Fürsten Gebriedern Herzogen in obern und nideren Bairen, in mass wie hernach gescriben stat.

Oberland.

Abt Pauls von Wessesprunn.
Brobst Johans Vend von Pollingen.
Herr Haug Parsperger.
Herr Sigmund Frauberger.
Caspar Thorer.
- - Schmiher.

Niderland.

Der Abt von Prüell.
Der von Minster.
Herr Hainrich Nothafft.
Herr Ludwig Paulsdorffer.
Hans Judman.

Hay-

Haybech.
Straubing.
Kelhaim.

Sigler im Niderland.

Altach.
Prufening.
Prüel.
Straubingen.
Tegkendorff.
Kelhaim.

Aus der Ritterschafft.

Herr Johans von Stauff.
Herr Hainrich Nothafft.
Sigmund Puchberger.
Hans Satlpoger.
Peter Rainer.
Herr Ludwig Paulstorffer.
Dietrich Haybech.

Sigler in Oberland.

Abt Conrat von Tegernsee.
Abt Pauls von Wessesprunn.
Probst zu Undensdorff.

Ritterschafft.

Herr Johans von Abensperg.
Sigmund Frauberger.
Herr Haug von Parsperg.
Herr Hans Thorer.
Herr Veit von Egloffstain.
Stephan Schilli.
Wolfgang Waldau.

Stetten.


Munchen.
Landsperg.
Weilham.

Scripsi hæc eodem ordine, quo Sebastianus Ranck, ne cui præjudicium excitarem seriem inventam pervertendo.

XIV.

Thassilonis Abbatis LV. Epitaphium.

Thassilo.
Abbas Wessofontanus, LV.
Natus 1666. Profess. 1688. Sacerdos 1691.
Electus 1706. 13. Octob.
Cui Wessonis fontes novum
claustrum; hæc Ecclesia aras
fere omnes, duo SS. Corpora,
Sodalitates duas;
S. P. Benedictus hoc Sacellum,
SS. Vigilius, Margarita, Leonardus
nova templa debent.
Ereptus ovibus Pius Pastor,
Ordinis Propagator, Musis Mœcenas,
Pauperibus Pater, omnibus omnia,
Vale dixit terris A. 1743. 21. April.
tu viator, heic accubanti
Post assiduos pacis, geminatos belli labores
Precare
Requiem æternam.



JUBILÆUM QUIRINALE,

CUM

EMINENTISSIMUS S. R. E. CARDINALIS

ANGELUS MARIA QUIRINUS

S. R. E. BIBLIOTHECARIUS,

BRIXIÆ EPISCOPUS,

QUINTUM

AB ADITA EPISCOPATUS HUJUS SEDE

LUSTRUM

IPSIS NATALITIIS CONDITI A SE APUD S. EUSTACHIUM CLERICALIS COLLEGII FESTIS,

ILLUSTRARET,

GRATULATORIO CARMINE CELEBRATUM

AB HUMILLIMIS

MUSIS WESSOFONTANIS.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO

ANGELO MARIÆ QUIRINO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA S.
R. E. TITULI S. PRAXEDIS IN URBE PRESBYTERO

CARDINALI,

NEC NON

TITULI ECCLESIÆ S. MARCI

COMMENDATARIO,

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

BIBLIOTHECARIO,

AC

EPISCOPO BRIXIENSI,

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

D. D. C.

HUMILLIMÆ MUSÆ
WESSOFONTANÆ.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Epistola Eminentissimi Cardinalis QUIRINI ad D. Bedam Abbatem Wessofontanum clementissimo voto signatur, ut iste post iubilaeum S. Professionis suæ alterum iubilaeum viginti quinque annis definiendum absolvat, quale ipse EMINENTISSIMUS PATER *eodem hoc anno ab adito Episcopatu Brixiano se confecisse fatetur. Officii igitur nostri esse putavimus, tanto Ecclesiæ Principi, Purpurato Patri, & Episcopo, ac super omnia Sodalitatis Wessofontanæ sub Immaculatæ DEI Matris patrocinio Protectori, Monasterii verò nostri Patrono ac Mæcenati vere Maximo, proniore voluntate, quàm ingenii facultate, gratulari præteritum, & alterum quoque sanctissimi Muneris sui Jubilaeum enixè precari. Verùm tametsi cum Virgilio Marone dicere non audeamus:*

Si canimus silvas, silvæ sint consule dignæ.

Perspectum tamen habeo Eminentissimi Principis animum, cuius insignis bonitas (quemadmodum Cæsar Augustus Tityrum) post alios me quoque

Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

Quisquis hæc legeris, boni consule qualecunque hoc Wessofontanæ Gratitudinis monumentum.

JUBI-



JUBILÆUM QUIRINALE.

AUrea nunc iterum, Divis moderantibus, ætas
Exoritur. Poſt quinque novus iam luſtra QUIRINUS,
Ille decus Venetûm, magnæ celeberrima Romæ
Gloria, & ille tuus, fortiſſima (a) Brixia, Præſul,
Quem non Italiæ ſolum, ſed & extera regna
Virtutis, Sophiæque novum ceu numen adorant,
Ille exantlatis merita inter opima tot annis
Ecce novum orditur ſuſcepti muneris ævum. (b)

Plaudite Pierides, Phœbo nunc plaudite veſtro,
Aurea pulſantes votis ardentibus aſtra,
Nullæ ut ſplendorem nebulæ, nulla invida nubes
Subducant oculis, Pindi queis maximus Atlas
Immortale decus, mundóque ſtupenda QUIRINUS
Incrementa dedit. Felix o Brixia gaude
Præſule ſub tanto nullum moritura per ævum,
Quo duce cuncta tuum ſurget per ſæcula nomen.

Non Martis tantùm, ſed & Arx laudabere doctæ
Palladis, ingenti dum Bibliotheca labore
Præſulis, ac ſumptu, Tiberino à littore venit
Divitias auctura tuas, quibus ipſe QUIRINUS
Nudavit ſeſe, & totas tibi, Brixia, donat.

Plaude Quirinali vix ſuppare, Brixia, templo,
Quod centum & plures annos, fundamine ſolo
Cœptum, deſierat, (c) ſolus poſt plurima luſtra
Perfectum oſtendit populis, & marmore multo
Ornatum, nulla ornandus ſat laude QUIRINUS.
Quàm doctum & zelo ardentem tibi, Brixia, Clerum
ANGELUS exercet, venator jure vocari
Dignus, & Euſtachii proprium ſibi ſumere nomen,
Culmina ubi Superis, ubi limina condit alumnis
Æternum factis Eccleſiæ ad incrementum! (d)
Non potuit meliore epochâ celebrarier annus,
Hic niſi, qui mitræ quintus viceſimus inſtat,
Magne Quirine, tuæ, cui pridem te aſtra parârunt.
Novimus hoc equidem, te ad Corcyræa vocatum
Littora, tam Græcis, quàm ipſis placuiſſe Latinis: (e)
His Ciceronis eras, illis Demoſthenis inſtar.
Nam quæ linguarum, ſeu Gallica, ſive Pelasga
Ingenium fugiſſe tuum, quis Tullius, aut quis
Euclides potuit? (f) Maro quis, vel Horatius? omnes
(Mirandum dictu eſt) uno ſub pectore claudis.

Quid linguas memoro? quid amicas prædico Muſas?
Torrentem eloquii, quem per ſacra pulpita pridem
Sparſiſti, & nunquam, dum vivis, ſpargere ceſſas,
Miramur. Quot iam per cuncta Europica regna
Numine cœleſti plenæ, Fideíque magiſtræ
Volvuntur chartæ! (g) Quid non Eccleſia debet
Illi, Pontificum qui dudum Acta omnia novit,
Qui Synodos, qui Concilia, & monumenta verenda
Sacra vetuſtatis jam funditus hauſit, & ultra
Ardet adhuc hauſtos in mundum effundere rivos!

Hoc ex Oceano largiſſima flumina mittes
Omnigenæ doctrinæ, & lectos nactus alumnos
ANGELUS Angelicos, aliósque, QUIRINE, Quirites
Efficies, promptos magnæ defendere Romæ
Dogmata, & in cunctos calamo verbóve timendum
Hæreticos hinc, inde in crimina ſtringere ferrum.

Hæc

Hæc ego dum cecini, Phœbus mihi vellicat aurem,
Et (quonam usque ibis *grandi promissor hiatu?*)
Admonet: An speras pelagus describere laudum,
Quas meruit? credisne pari certare minerva
Tot cum vatibus, ornavit quos laurea Phœbi
Emeritos cantando, fatigatósque reliquit?
Fige tibi fines *ad aqua*, quam Wesso reclusit,
Leve caput sacra, atque oculis spectata recense.

Cedo Deo. Vos, queis propius spectare QUIRINUM
Purpureæque togæ licet oscula figere limbis,
Narrate, & totum populis vulgate per orbem,
Quas Romæ moles, quæ templa erexerit ille,
Ornaritque, & spectatum omnem traxerit Urbem.
Brixia dic, quis amor Sebinum, intérque virentes
Benaci lymphas, Alpes hinc inter, & Ollî
Flumina succendat gentes. (h) Germania tèstis
Esto, & quæ septem colitis propiora Triones
Regna, QUIRINALI præconia dicite Mitræ.

At vos, Wessonis Fontes, nunc ordo canendi
Invitat, meritasque PATRI depromere grates
PURPUREO, qui sponte suos vos esse clientes
Ante alios voluit: neque fallimur, aut ut amantes
Dulcia quisque sibi fabricamus somnia; namque
Morphea non opus est accersere: facta loquuntur.

ANGELUS, Ausonii inter lumina prima Senatûs,
Teutonicas iter impavidum molitus ad oras,
Post alias, Bavari visit quas limitis ædes,
Venit & ad Fontes, triplici quos amne repertos
Wessoni tribuunt veteres, & nomina claustri.

Tantus apex non dedignatus tecta subire
Haud equidem tanto (quis dixerit?) hospite digna,
Grata tamen, placido annutu, facieque serena
Suscepit facilis pro paupere præstita censu
Obsequia. Hanc faciem (famuletur fabula factis)
Credo fuisse Jovi, Phrygias cùm egressus ad oras

Paupe-

Pauperis elegit parere Philemonis hospes,
Pomáque, castaneásque, & pressi fercula lactis
Nectar & ambrosiam sibi propinata putavit.
Nec minus hospitii pretium tulit ipse Philemon,
Attonitus postquam tecto se comperit, ipsum
Excepisse Jovem, & vegetæ promissa senectæ
Audiit, in viridem mutandus denique laurum.

O fortunatos, queiscum cœnare QUIRINUM,
Queiscum sermones serere, & doctissima quævis
Colloquia inferre haud piguit, fixósque stupore
Detinuit, Ciceróque novus nos nectare pavit!
Vidimus, assiduo noctémque diémque labore
Trivisse, & lætum veteres evolvere libros,
Quos pia Dimodæ, & Ludevici industria scripsit.
(Illa, atque hic septi claustro Wessonis ad undas.) (i)

Nox abiit, rediitque dies, rediêre feraces
Doctrinæ omnigenæ fontes, Sophiæque canales,
Quos etiam externi nobiscum hausère sodales. (k)
Talibus alloquiis, Musis & Apolline dignis,
Erecti fuimus: crevit fiducia cunctis.
Dum cortina patet, tripodem rimarier ausi
Sæpius, & nostras tibi commendare Camœnas
Quisque suas, adytis responsa poposcimus imis,
ALME PATER, dextérque omnes recreavit Apollo.
Hæc fuit illa dies: at quænam aurora prævivit?

PURPUREUS PRÆSUL, qualem annis poene trecentis
Cernere non licuit nostros invisere Fontes, (l)
Maiori eloquio, num Religione valeret,
Tunc docuit, cùm ipsum ad sacram duximus Ædem.
Quis verò illum æstum, PULCHRÆ quo MATRIS ad aram,
Præveniens sôlis radios, sacra publica fecit,
Dignè scripserit? Intuitus vix Virginis almam
Icona, de puro fabricandam lampada vovit
Argento, & votam factámque ad nostra remisit
Limina, magnificámque, amplámque, & pondere multo,
Grandibus argenti in medio quæ appensa catenis
Illustri totum complevit mole sacellum.

Postquam

Postquam dilectos fuit hora relinquere Fontes,
Ad Montem Sanctum, cui nomen plurima Divûm
Pignora donârunt, hinc Amberæ in littore claram
Pollingam molitus iter (iam bruma rigebat,
Spargebátque nives) desertam invisere Vallem
VIRGINIS (m) ardebat rapidi memorem Vulcani,
Quo periit Claustrum; templúmque insigne furentes
Collapsum in flammas, miseris solatia rebus
Ut pius afferret: mox pontem præpetis Oeni
Transmisit, niviásque hybernis nubibus Alpes.

Nec tamen absentis memori de corde QUIRINI
Wessonis vitreos furax oblivio fontes
Abstulit, aut animum patriæ post longa videndæ
Tempora vicit amor, cæcúmque ad visa reliquit.
Non ILLI *fuimus* Troës, (n) sed amore perenni
Dilecta NOSTER pro Troia stabat APOLLO.
Námque Tridentinam trajectis alpibus urbem
Dum venit, patrios propè cernens surgere fumos,
Non ILLI in patriam citiùs dulcésque penates
Ire cupido fuit, charos quàm viseret amnes
Wessonis, calamo saltem, cùm voce nequiret.
Sedit, & à brumæ glacie nivibúsque rigente
Dexterâ ad attonitum dignatus scribere Bedam
(Nam quis ob immeritum non obstupuisset honorem?)
Exposuitque vias obitas, patriique favoris
Pignora certa dedit, nullum moritura per ævum.

Nec soli eximium Bedæ largitur amorem,
Sed quidquid Bedæ est, memori sub pectore gestat.
Et, si Pastorem sincero diligit igni,
Non leviùs dilexit oves: harum ille labores
Adjuvat, & gemitus tollit, dextráque potenti
Sustentat dubios, animum trepidantibus addit,
Roborat audentes, & pabula fida ministrat.
Addidit & laudes, quas testis epistola prodit
Plurima, tum solis quæ cognita Fontibus hæret
Scripta manu, & nobis pluteo servata fideli:
Tum curâ IPSIUS, Cenomani munere præsi

Edita,

Edita, Wessonis demulcet amoribus undas. (o)
Fabor enim ingenuè: studio sudata QUIRINI
Pagina nulla latet Fontes, donatáque largam
PURPUREI efficiunt pretiosa volumina PATRIS
Bibliothecam, (p) & erunt monumenta æterna favoris.

Wessinæ Aonides! paulò majora canamus,
Nulla licèt sit laus cantando hoc Præsule digna.
Quis fuit ille dies, longis ambagibus actam,
Pérque nives, glaciémque, & cano vellere tectos
Montes ac valles, per multa pericla viarum,
NURSIADÆ PATRIS Statuam cùm cernere nobis
Contigit, excelsi donum immortale Quirini?
Argento hæc solido, & vivâ fabricata figurâ
Reclusos cœlorum aditus, terrásque, salúmque,
Astrorúmque faces, radio collecta sub uno,
Mirantis faciem PATRIS, ceu degeret, aut jam
Ereptus terris cœlesti in lumine Numen.
Cerneret, attonitis nobis, populóque stupenti
Exhibuit. Mora nulla: humeris subière feretrum
Certantes, aliique vices mutare parati
Pugnant, & citiùs Statuæ succedere gaudent.
Campani interea sonitus percrebuit æris,
Et tonitru multo resoni tormenta metalli
Implevêre auras, vicináque rura boatu.

Jámque subit sacras cœlestis machina portas,
Atque in marmorea placidè deponitur ara,
Auguriis actus Divûm quam struxerat Abbas
Thassilo: (q) cùm nobis aliud mirabile donum
Inclusum apparet Statuæ: spectabilis illud
Pars erat, ex almo BENEDICTI sumpta MONARCHÆ
Brachio. O egregium cœli de munere donum!
Juglandis superat molem, argumentáque canæ
Clara vetustatis pulchrâ fuligine monstrat. (r)

Unde, oro, nostris donum hoc venerabile terris?
Non sat erat MAGNI Statuam misisse Parentis,
Cui collatæ aliæ, anterior quas fecerat ætas

Ædi

Ædis in ornatum pro censu pauperis ævi,
Vix pumilos æquare queant? Cœlestia dona
Insuper accedunt, & pars de corpore, cujus
Brachia mirificas olim ostendêre Casino
Virtutes, quarum imperio nunc paruit unda,
Nunc rapidæ flammæ, quin & reserata sepulcra
Restituêre, quibus solem spes dempta videndi.

O nostræ pignus fidei! Salve PATRIARCHA
Maxime, quem totum parva hac in parte videmus,
Præsentémque suis omni venerabimur ævo.

Non fallit spes firma animos: testata canemus.
Altera lux aderat, BENEDICTI à funere clara
Felicique obitu, nostris lux festa colonis
Et populis multis, quos ad solennia semper
Sacra trahit pietas, cœli tractura favores.
Confertæ in templo plebes; solæque relictæ
Vix uno custode domus. Fiducia tutos
Reddit, & immemores, quid fata sinistra valerent.

Villa fuit procul in clivo spectabilis alto
Plena boum & fœni, summo quod mittere tecto
Jumentis solet attentus de more Menalcas.
Præter vernam unum fuit, ancillámque fugacem,
Solus hic in tectis, reliqui pueri atque puellæ
Dum ad Fontes properant visuri ingentia festa,
Hesternus quorum rumor compleverat agros.
Cùm subito cineris dudum captiva dolosi
Flamma repentino fumantia tecta furore
Corripit: accelerantur opes, vicúmque propinquum
Præcipitat famula: ad Wessonis claustra citatus
Verna volat, támque ossa tremens, quàm pallidus ora
Irruit in templum: funesto murmure notos,
Ferte citi lymphas, clamans, extinguite flammas,
Evocat. Interea infesto iam cum igne Menalcas
Luctatur: fumo erumpens iam flamma minatur
Postremum exitium laribus: verùm unicus ille
Quid faceret contra torrentem avidi Vulcani?

Sponte

Sponte ſtetit gliſcens, nec adhuc graſſarier auſus
Mulciber in peſtem villæ, rabiémque repreſſit.
Cuius enim imperio? BENEDICTI brachio adactum
Hinc patuit, tanto quòd tempore mitior ignis
Se tenuit, donec longinquis excita villis
Ponere turba modum flammis, Neptuniáque arma
Objicere accurrit, quamquam iam non opus: ultro
MAGNO à NURSIADE miſſis deceſſit alumnis.


Troiugenæ inſani, quæ vos dementia cepit,
Scanderet ut veſtros fatalis machina muros
Fœta viris, veſtráque manu? Mirabile donum
Palladis in laudem? Quænam iſta Sinonis ab ore
Relligio? In Divos, magnis virtutibus orbem
Qui quondam implêrunt, fiducia tutior armat
Chriſticolas. Vos peſtem urbi, interitúmque tuliſtis:
Nos flammarum uno BENEDICTI ex offe medelam. (s)

Quo duce ſed noſtros talis fortuna penates
Defend t, niſi TE, Weſſonis mœnia tanto
Qui cumulas theſauro, & ſpem metuentibus affers
Usque inconcuſſam? Sup ri pro munere luſtra
Altera quinque tibi, poſtquam iam quinque tuliſti
PRÆSUL (& ô quantus, quámque omni cognitus orbi,
Quàm celeber Romæ, & dilecto charus ovili!)
Mathuſalæque annos tribuant, ſi tempora ferrent
Fixa homini, ſummus neque metas poneret ævo
Arbiter. At ſi vulgi animas, paucíque putandas,
Quæ neque magna Deo, patriæve, aut civibus unquam
Commoda contulerant, centenos vincere ſoles (t)
Vidimus, abjicienda mihi & ſpargenda per auras
Spes erit? In ſuperos, in templa, in caſtra Minervæ,
In totam Europam, torvi uſque Aquilonis ad oras,
Talibus inſignem meritis, cui mellea ſuada
Neſtoris inſedit, Suadæque medulla, QUIRINUM
Neſtoreos etiam provivere poſſe per annos,
Et quinis Mitræ luſtris quinque altera lætum
Jungere deſperem? Certatim accurrite Nymphæ,

Flumi-

Flumina Wessonis quarum sunt credita curis:
Mecum omnes socia ad coelos effundite vota.

Qui celsis super arce sedes, mundúmque gubernas
Omnipotens, attende preces & vota petentum,
Quæ gratus profundit amor. Tueare QUIRINUM
Longiùs, Arctoas salvum quem sæpe per alpes,
Sæpe per hybernas valles, Adriatica sæpe
Marmora duxisti incolumem, extremósque Britannos.
Serva temporibus PATREM, quem Brixia multo
Exposcit gemitu: quem Alemanna & Norica tellus
Æternum cupiunt. Attende ingentia templa
Ipsius impensis erecta; attende, Camoenis
Quæ solia & dignas divina Pallade sedes
Struxit, & innumeris conscripta volumina chartis.
Aspice ad Eustachii modò condita culmina templum,
Unde Sacerdotum sementis surget in omnem
Suffectura usum, quemcunque Ecclesia poscet.
Aspice pauperibus constructa mapalia turmis,
Occultas & opes, largo quas gurgite fudit
Commiserans, Christique tui promissa revolvens.
Quanta, vide, extremis nobis longéque repostis
Præstiterit, Fontésque nóvo illustraverit ASTRO, (u)
Cui citò se sociam promissa SCHOLASTICA junget.
Accipe de nostris, illiúsque adjice lustris,
Ut post lustra decem Jubilæum (x) compleat annum,
Quo primùm INSIGNEM venerata est Brixia PATREM.
Juverit & natos post nos vidisse QUIRINUM,
Atque reliquisse hæc miranda nepotibus ora,
Quæ nec apud Lethen nobis oblivio tollet.



 NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Inter civitates Italiæ, quarum singulæ singulas laudes habent, Brixia vocatur ARMATA.

(b) Nempe ab adito Episcopatu Brixiano. Quamdiu verò iam Religionem professus, aut Sacerdotio initiatus fuerit, me latet: sicut & quamdiu Corcyræ Archiepiscopum egerit. Interea omni jure quinque gesti Episcopatûs lustra verum Jubilæum vocamus, cùm ætatis quindena iam lustra, id est, septuaginta quinque annos iam emensus sit Eminentissimus Cardinalis.

(c) Videri desuper potest Epistola II. D. Abbatis Antonii Sambuccæ, italicè Salodii, latinè à me edita Augustæ Vindel. anno 1749. num. V. VI. & seq.

(d) Videatur iterum tam Sambuccæ, quàm mea Epistola I. num. IX. Nemo tunc noverat, quo fine ædificium istud moliretur Episcopus zelosissimus. Videmus nunc ex epistola Eiusdem ad D. Abbatem nostrum, nuper Brixianis, nunc Augustanis typis edita.

(e) In Comment. de Rebus Card. QUIRINI.

(f) Illustravit Ipse Elementa Euclidis.

(g) Epistolæ nimirum, quarum plures iam Decades publicæ luci commisit, maximè ad Heterodoxos convincendos.

(h) Fines hi sunt Agri Brixiani ab Abrahamo Ortelio nominati in libro, cui titulus: *Theatrum Orbis terrarum. fol. 73.*

(i) De Diemode Inclusa Wessofontana egi in Historia Wess. Sæc. IV. pag. 166. De Ludovico Monacho Wess. Sæc. V. pag. 257. Horum volumina quædam exhibuisse memini Eminentissimo Clar. P. Alphonsum Campi Bibliothecarium Wessofontanum.

(k) Aderat enim Reverendiss. D. Placidus Abbas Schyrensis Congreg. Bav. Aderat Vir Clar. D. Eusebius Amort Canon. Reg. Pollinganus, Seren. Ep. Augustani Theologus.

(l) Anno

(l) Anno 1452. venit ad Fontes nostros Em. Nicolaus Cusanus S. R. E. Presb. Card. S. Petri ad Vincula, ut testatur Hist. Wessofont. Sæc. VII. pag. 349. num. 9. & 10.

(m) Monasterium nim. Ettalense, quod nomen à deserta, vasta, solitaria valle accepit, Deiparæ consecratum, tunc diro incendio, paucis ædibus exceptis, prostratum; cuius ruinas largissimo dono Em. Quirinus refecit.

(n) Non *fuimus* Em. Quirino, non animo excidimus, sicut Virg. in contrarium canit de Troianis: *Fuimus Troës, fuit Ilium &c.* sed adhuc *sumus*, ut præcedens Eius epistola testatur.

(o) Clementissime suscepit *Famæ Mariano-Wessofontanæ*, germanico stylo edi solitæ, *synopsin latinam* cum Dedicatione: *Reflexionem Criticam* in Ideam Divini Amoris: *Responsionem Apologeticam* ad Animadversiones in Reflexionem: *Cœlum Christianum*, seu Considerationes in Vitam Christi Symbolis illustratam: *Epistolas geminas Abb. D. Ant. Sambucca* ex Italico in Latinum translatas: præsertim *Concordantias S. Scripturæ operâ Religiosorum Monasterii Wessofontani novâ methodo adornatas*, quas idem Emin. Card. in præcedente epistola commendavit.

(p) Omitto, quæ, olim visa, nunc ad manum non sunt. Epistolarum Card. Reginaldi Poli, Commentariorum de rebus ad Card. A. M. Quirinum pertinentibus, Epistolarum ad SS. P. Benedictum XIV. P. M. ad Episc. Card. Mechliniensem, ad Principem Abb. Campidonensem recordor. Uno hoc anno ab Em. QUIRINO scriptæ sub manu mihi sunt

Die 3. Aprilis ad Virum Clar. Abrahamum Gotth. Kæstnerum Mathematicæ publ. Professorem in Academia Lipsiensi.

Die 5. Maij ad Vir. Cl. Georg. Guil. Kirchmajerum Consil. Reg. & Prof. publ. in Universitate Vittembergensi.

Die 31. Maij Epistolæ tres ad Nobilem Virum Andream Quirinum Senatorem Venetum ex Italico Idiomate in latinum conversæ.

Die 18. Julii ad Amplissi. Virum Flaminium Cornelium Senatorem Venetum.

Die 13. Augusti ad SS. D. N. Benedictum XIV.

Et harum Epistolarum singulæ justi Tractatûs nomen merentur.

(q) Obiit

(q) Obiit Thassilo Abb. Wessofont. anno 1745. die 21. Aprilis, cui eodem anno (serius ob turbas bellicas) electus die 30. Julii successit Beda Abb. modernus.


(r) Testimonium publicum de venerabili hac Particula ex brachio S. Benedicti Abb. Monachorum Patris extracta nobis transmissum & signatum 20. Febr. 1753. legi potest in Hist. Wessof. pag. 500. Legatur & præcedens Epistola.

(s) Lege sis hoc loco Emin. Card. QUIRINI Monitum ad Heterodoxos, quod eodem hoc anno cum Epistola Bedæ Abb. nostri, extincti per S. Benedicti suffragia incendii teste, Mediolani publicavit Reverendiss. P. D. Felix Marius Nerinius Congregationis Monachorum S. Hieronymi de Italia Abbas Generalis; & nos cum dicta epistola Monitum hoc edidimus in Historia Wessofontana pag. 501.

(t) Nihil novum hoc est in Germania, præsertim in montosis regionibus, ut viri & fœminæ centum & plures annos vivendo superent, etiam de vulgo nati.

(u) Statua nempe argentea, & particula de brachio SS. P. Benedicti.

(x) Jubilæum. Exemplo Mantuani primas corripui. Vid. Prosodia controversa Ricciolii.



CORONA

ANNI MILLESIMI,

QUEM A PRIMA FUNDATIONE

MONASTERIUM

WESSOFONTANUM,

JUBILÆI VERO, SEU QUINQUAGESIMI,

QUEM A PRIMA S. RELIGIONIS PROFESSIONE

Reverendissimus D. BEDA

EJUSDEM COENOBII ABBAS CELEBRABAT,

SEU

EMINENTISSIMI CARDINALIS

ANGELI MARIÆ QUIRINI,

S. R. E. BIBLIOTHECARII, BRIXIÆ EPISCOPI

AD REVERENDISSIMUM PATREM

D. BEDAM

ABBATEM WESSOFONTANUM

ET CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ

PRÆSIDEM GENERALEM

EPISTOLA.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Verè hanc Epistolam Coronæ nomine appellamus, quæ Historiæ Monasterii nostri jam pœne ad finem perductæ subitò supervenit, nec meritis nobis, nec sperantibus. Præcesserant pridem copiosæ à Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. Pont. Maximo Indulgentiæ, non solis nobis, sed omnibus iis clementissimè concessæ, qui nobiscum DEO pro tam diuturna cœnobii conservatione gratias agerent. Subsequitur Purpurati Patris alia, qua S. Patriarchæ Benedicti pretiosa Reliquia cum ejusdem argentea Statua nobis munificentissimè donata fortissimè vindicatur: ut gemino Authore, Sanctissimo illo, hoc Eminentissimo dicere possimus: Benedices, *imò benedixisti*, Coronæ anni tui. *Ps. 46. Addidimus Epistolæ breves & paucas notas, quas nemini obtrudimus, cùm, quantus sit Quirinus, ex Epistola pateat: subtrahere tamen Lectori noluimus, ut grata voluntati, si non officio pro modulo nostro satisfaciamus.*

Ædium Collegii mei Ecclesiastici (c) binis hisce autumnalibus mensibus celebranda, quæque profecto fausto omine carere censerem, quoties Clericalis tyrocinii in eo Collegio instituendi primum experimentum absque me spectatore & moderatore caperetur. Quo animo, qua cura, quibus sumptibus Ædes illas construxerim, intellexistis Vos omnes ex Pastoralibus literis, quarum exemplar nuperrime huc transmisi; quare non dubito veniam faciles mihi daturos, si sollicite caveam, ne ea Natalitia, me peregre abeunte, inauspicata contingant. (d)

II. Hæc ipsa causa efficiet, ne interesse valeam Solemniis, quæ cultu ultra consuetudinem insigni in honorem Conceptionis Immaculatæ Mariæ Virginis a Confraternitate eo titulo insignita proximis mensibus recoli istuc debere mihi scripsit pius & doctus Cœnobita vester Pater Veremundus ejusdem Confraternitatis Præses, magnopere me urgens, ne iisdem, quoniam Protectoris nomen gero, (e) mea deforet præsentia. Deerit hæc autem, ut dixi, quandoquidem statim ac autumnus decesserit, verear, oportet, minas hibernas, quæ certe Italo homini quindena jam lustra numeranti (f) Germanicum iter minime suaderent. Accipite vero quam rationem excogitaverim damnum, quod ex mea ista absentia celebritatum vestrarum splendori obventurum putetis, compensandi. Eam ipsam inibo rationem, quæ menti meæ ante binos annos

insedit,

insedit, dum publicis pro circumferendo sacro Corpore Divi Caroli Borromæi supplicationibus indictis a Mediolanensi Purpurato Metropolita, cujus ego Suffraganeus, minime interfui. Celebre illud Jurisconsultorum axioma, *Qui non habet in ære luat in corpore*, ita tunc inverti, ut multam mihimetipsi imposuerim luendi in ære quoniam corpore absfueram. Ornando itaque S. Caroli Sacello sicuti conflari curavi octo argentea Signa virtutes illas referentia, quarum odore, Visitatoris ille Apostolici in Diœcesi Brixiana munere fungens, eandem replevit; haud dissimili ratione Wessofontano Templo, quod superioribus mensibus ornavi Statua Divi Benedicti Monachorum Patriarchæ, (g) atque ab annis tribus Lampade ad aram Mariæ Virginis Immaculatæ suspendenda, (h) novum donarium adjiciam, videlicet Statuam Sanctæ Scholasticæ, ejusdem Patriarchæ Sororis, eamque, sua & ipsam instructam Reliquia, æque ac illa S. Benedicti, curabo ad Monasterium vestrum deduci, ante diem decimum proximi Februarii, in quem Divæ illius Sanctimonialium parentis Festum incurrit. (i)

III. Mentio autem, quam modo feci, Statuæ S. Benedicti, occasionem mihi præbet literis hisce meis vobis explicandi, quod valde me piguit prætermisisse in superioribus, quæ una cum eadem Statua Wessofontanum iter confecerunt. (k) Recitato siquidem ibidem luculento testimonio antiqui Chronistæ Le-

nensis Abbatiæ, Brixiano in agro sitæ, quamque egomet fiduciario jure possideo, de Brachio S. Benedicti Brixiam delato ab annis jam mille e Casinensi Monasterio, satis habui eo testimonio demonstrare, nullam de Brachio illo, quod hisce quoque temporibus inter insigniores Brixiæ Reliquias asservatur, oriri posse controversiam. At vix exaratis a me literis illis animadverti per Lenense illud testimonium æque certe definiri controversiam de sacro Corpore S. Benedicti inter Italos, & Gallos Monachos acerrime a sesquisæculo agitatam, & nostra hac etiam ætate exardescentem; definiri, inquam, ita ut victoria Casinatibus meis in posterum absque dubio sit adjudicanda. Quomodo autem rem conficiam, æquis quæso auribus accipite.

IV. Eruditissimus Mabillonius Gallorum suorum causam strenue, quod fieri posset, agere satagit primo in Dissertatione edita in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæc. II. P. I. deinde in Annalib. Benedictin. atque in postremis hisce refringere conatur argumenta, quæ Casinatum causæ patroni, ac præsertim Angelus de Nuce Abbas primum Casinensis, postea Archiep. Rossanensis ad eandem tuendam in medium attulerant. Profert primo loco idem Mabillonius eorundem Annal. T. I. authoritatem Adrevaldi Monachi Floriacensis, quem vixisse tradit Sæc. IX. deinde Anonymi cujusdam ex Codice Monasterii Ratisponensis, quem affirmat conscriptum fuisse *ante*

annos

annos nongentos, Kalendariorum præterea non modo Gallicanorum, ſed etiam Germanicorum, imo Italicorum, quæ oculis ſuis ſe perſpexiſſe teſtatur. At ineluctabile argumentum ſe deſumere arbitratur ex Hiſtoria Pauli Warnefridi Monachi Caſinenſis, qui aſſerit „Francos e Cenomannicorum, & Aure-„lianenſium partibus Caſinum, ubi tunc vaſta ſo-„litudo exiſtebat, (l) ſimul conveniſſe, ejusdemque „venerabilis Patris, pariterque ejus venerandæ ger-„manæ Scholaſticæ oſſa abſtuliſſe, & in patriam „ſuam aſportaſſe, ubi duo Monaſteria, unum in S. „Benedicti, alterum in Sanctæ Scholaſticæ hono-„rem conſtructa ſunt.„ Hiſce verbis ex Paulo Diacono a Mabillonio recitatis, ſubdit hic poſtea, iisdem Paulum hæc addere, *Os illud venerabile, & omni nectare ſuavius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cætera quoque membra quamvis reſoluta in cineres* penes Caſinates remanſiſſe. Hæc ſcripſiſſe Paulum in ipſo Monte Caſino paullo poſt mortem Carolomanni Principis, qui juſſu Abbatis ſui Caſinenſis miſſus ad Pippinum Regem, germanum ſuum, Corpus ſacrum beati Benedicti e Galliis revehere, ſed fruſtra, tentavit, idem Mabillonius affirmat.

V. Adverſus hæc omnia pro aris focisque arma ſumunt Caſinates, atque contendunt I. narrationi Translationis Corporum S. S. Benedicti & Scholaſticæ in Gallias ab Adrevaldo, ſeu Adalberto Floriacenſi Monacho ſæc. IX. conſarcinatæ omnes ſubeſſe

falſi-

falſitatis characteres. II. Adrevaldi narrationem minime illi cohærere, quam ex Codice Ratisponenſi exſcripſit Mabillonius, Anonymumque illum potius Gallum credendum eſſe quam Germanum. III. Nimis glorioſe excidiſſe Mabillonio in *vetuſtiſſimis quibusque Martyrologiis*, ſe conſignatam reperiſſe hanc Translationem, quin animadverteret quæcumque de ea legantur in illis Bedæ, Flori, Wandelberti, Uſuardi, nihil Caſinatum cauſæ officere. IV. Quod ſpectat ad Pauli Diaconi teſtimonium, hoc eſſe referendum ad vulgi opinionem, quam retulerit quidem Paulus, non vero ſit ſequutus, quippe qui poſt narratam ſacrorum Corporum ſubreptionem ſubdit, certum eſſe os, oculos, ac cætera S. Patriarchæ membra apud Caſinates remanſiſſe defluxa quidem & corrupta, ſcilicet ad invicem diſſoluta, & diviſa, ita tamen ut *illibata* dici poſſent, ut legitur in hujus Hiſtoriæ editione ex officina Plantiniana an. 1595. Paulum non in Caſinenſi monte Hiſtoriam Langobardorum, ſed extra Italiam, & dum in Caroli Magni aula verſaretur, conſcripſiſſe probabilius videri, eandemque Hiſtoriam correxiſſe poſtea Caſini, additis quæ oportuit, ac inter iſta S. Patris exuvias vindicando; Paulum denique pluribus locis ſuæ Hiſtoriæ, aliorumque Operum faſſum fuiſſe Corpus S. Benedicti ſuo tempore Caſini requieſcere, & præſertim in Homilia quadam, quæ in pluribus Caſinenſis Bibliothecæ Codicibus reperitur. V. Ad firmandam Caſinatum poſſeſſionem iisdem teſtium

cum

cum domesticorum, tum externorum magnam nubem suppetere. VI. Suppetere pariter innumera propemodum in Archivo Casinensi vel Autographa, vel exscripta monumenta. VII. Falso affirmare Mabillonium Petrum Diaconum in Sermone suo de inventione Corporis S. Benedicti, nugas tantum narrasse, & Romanorum Pontificum seu facta seu Bullas falso retulisse. VIII. Baronium Bullas a Casinatibus prolatas rejecisse, Floriacenses autem probasse ea tantum de causa, quod Casinatum Autographa nunquam viderit. (m)

VI. Hæc vero omnia, quæ eruditissime & copiosissime, ac maxime subtiliter in medium adducta fuisse reperio in Apologia addita Tomo VI. Annal. Benedict. Lucæ an. MDCCXLV. authore Petro Maria Justiniano Monacho Casinate, deinde Episcopo primum Sagonensi, postea Albintimiliensi, etsi validissimum præsidium ministrent Casinatum causæ, præ illis tamen ad eam ipsam rem triumphare Lenensis mei Chronographi testimonium illico demonstro. Ita illud se habet: *Non longe post introitum Regni* (Desiderii) *& inchoationem hujus Cœnobii* (Lenensis) *Domino cooperante, & prænominato excellentissimo Rege translatum est a civitate Beneventum de Casino castro quædam Corporis partem Beatissimi atque Excellentissimi Confessoris Benedicti Abbatis, & ab urbe Roma Corpora Beatorum Martyrum Vitalis & Martialis, & in eodem sacrosanctum conditum est Cœnobio.*

Bre-

Brevissimum Chronicon illud, quod primus in lucem eduxit Muratorius præmisso Monito, quo ejusdem venerandam antiquitatem commendat, initium sumit ab anno DLXVIII. progrediturque usque ad an. DCCCLXXXIII.

VII. Ex eo certe testimonio luce meridiana clarius elucet, vel centum annis post adeo jactatam a Mabillonio surreptionem Corporis S. Benedicti ita indubiam fidem apud Casinates viguisse sacrum illum thesaurum æque ac antea in eorum Monasterio requiescere, ut ejus partem, scilicet integrum Brachium ad Lenenses fratres suos dono transmiserint, idque eo ipso tempore quo Floriacenses commenti sunt, ceu superioris fabulæ laciniam, tentatam fuisse omnibus modis relationem ejusdem sacri Corporis e Monasterio Floriacensi ad Casinense. Itaque certo certius evincitur ex vulgi tantum rumore, non ex propria sententia Paulum Diaconum eandem surreptionem retulisse in Historia Langobardorum, & quidem ex rumore per Gallias sparso (n) quin ad Casinatum aures ullo pacto pervenerit; roburque inde sumunt plura argumenta, quibus in Apologia superius laudata ostenditur, gratis a Mabillonio, absque ullo scilicet fundamento scribi, Pauli Historiam compositam ab eo fuisse in Italia, imo in Monasterio ipso Casinensi. *Procumbit* itaque *Gallorum murus Achilles*, nam pro Achille suo jactat Mabillonius eundem Paulum, quem tamen constat a Casinatum parti-

partibus totum stetisse, praesertim postquam non quidem studio, sed occasione data Lenensis Chronographus, Paulo Diacono suppar, luculentissime expressisse censendus est praesentiam Corporis S. Benedicti in Cœnobio Casinensi, hujus liberalitati erga Lenense perhibito testimonio. Quoniam vero integrum ejusdem Patriarchæ Brachium Brixiam adhuc possidere, certa prorsus res est, & æque certa exuvias Vitalis, & Martialis Martyrum ex urbe Roma ad Cœnobium Lenense translatas in eodem requiescere, nihil profecto deest, cur fides summa a quolibet seu æquo judice, seu honesto censore Chronistæ Lenensi adhibeatur.

VIII. Ex hac ipsa summa fide consequitur, numquam fore ut Casinates acquiescant Muratorii sententiæ. Hic Tomo II. Script. Rer. Italic. in lucem edens Epitomen Chronicorum Casinensium *Auctore, ut fertur, Anastasio Bibliothecario*, atque in eo Opusculo narrari comperiens, S. Benedicti ossa in Gallias asportata fuisse, eaque rursus Casinum delata, adductus est ad existimandum in celeberrimam illius Translationis quæstionem frustra tot vocibus effundi tum Casinates, tum Gallos, quandoquidem ambo in concordiam redigi facile possent admissa Anastasii illius narratione, de qua subdit, *Suspenso quidem gradu procedendum est Eruditis in amplectenda Anastasiana hac narratione, sed ab eadem rigide, atque omnino exsibilanda abstinendum fortassis est, quum Pauli*

li

li Diaconi auctoritas re consentire cum hoc Scriptore videatur. Clariss. Muratorius, cui debemus, ut supra dixi, Chronici Lenensis editionem, utique si animadvertisset ad testimonium a me ex eodem recitatum, mecum confidenter affirmasset, nullam de furto sacri Corporis oriri amplius posse suspicionem. Etsi autem Anastasii illius Opusculum ex Bibliotheca Italica, scilicet S. Georgii Majoris Venetiarum, prodierit, & quantumvis verosimile sit Casinatem Monachum ejusdem authorem haberi posse, neutrum hoc Chronici nostri authoritatem imminuit.

IX. Pauli Diaconi authoritatem re consentire cum Anastasio illo, nemo Muratorio concesserit post expensam verborum Pauli interpretationem ab Apologista Casinate, (o) aliisque ante ipsum solide allegatam. Addam, perperam interpretatum fuisse ipsum Muratorium verba Mabillonii ad annum 795. Annal. Benedict. de miraculo surdi & muti *ad sacratissimum Corpus* S. Benedicti, ita scribentis: *Cum vero Paulus dicit* (in quadam ex suis Homiliis) *hunc sanatum fuisse* ad sacratissimum Corpus *S. Benedicti, id sine dubio intelligit de ejus tumulo, in quo beatissimi Patris* Cineres, *post ossium translationem in Gallias factam, superfuisse tradit in historia sua.* Ea verba Muratorius intelligit, perinde ac si Mabillonius per ea affirmasset, Paulum in ea Hom. *absque dubio* loquutum fuisse de Corpore S. Benedicti Floriaci posito,

quare

quare Mabillonium carpens hæc ſubdit: *At Paulus ſuos Caſinates ibi alloquitur, & ipſos ejusdem miraculi teſtes appellat, neque Caſinates cum Floriacenſibus verſabantur.* Haud opus erat Mabillonium moneri a Muratorio, Paulum in ea Homilia alloquutum fuiſſe Caſinates, ſiquidem ipſemet Pauli verbis ſua hæc inſerit, *ait Caſinates ſuos alloquens*, & præterea idem manifeſte indicat tumulum Caſinatem, dum dicit S. Benedicti cineres, poſt oſſium translationem in Gallias factam, ibidem ſuperfuiſſe tradi a Paulo in Hiſtoria ſua. Mabillonii verba non eam notam, quam illis inurit Muratorius, ſed aliam multo juſtius promeruiſſent, quod ſcilicet ille pro Corpore interpretetur *Cineres*, etſi Paulus quinquies vel ſexies Corpus dixerit S. Benedicti Caſini extare.

X. Aliam in Mabillonium cenſuram contorquendam ſuppeditat Pauli locus ab illo in Annal. recitatus, nam prætèrquam quod ibidem de ſuo addidit *in Caſinenſium conſolationem* ſcriptum a Paulo fuiſſe, Cineres S. Benedicti Caſini remanſiſſe, Pauli verba iſta ſuppreſſit, SED CERTUM EST NOBIS, quæ verba ἐμφατικῶς prolata ſat clare oſtendunt, Paulum illa ſubdidiſſe non in Caſinenſium tantum conſolationem, ſed ad detrahendam falſis rumoribus fidem, ac proinde oſtendunt, ipſum Caſini jam Monachum, ibique Hiſtoriam ſuam relegentem correxiſſe quæ de ea Translatione, inter Gallos dum degeret, inaudiverat. Redeo ad teſtimonium Le-

 nenſe,

nense, & iterum dico, ipsum *a veneranda antiquitatis Chronista* sincera quadam simplicitate, non arte ulla, aut fuco, sed e re nata prolatum, vel ex se uno Casinatum possessionem certo certius adstruere, ideoque vanam ostendere Mabillonii jactantiam, dum scribit, *Unum habent Casinenses Leonem Marsicanum Chronici sui authorem, ejusque continuatorem Petrum Diaconum, quibus Adrevaldus, Adelerius, & Aimoinus Monachi Floriacenses ætate, ac proinde authoritate superiores sunt.* Si modo in vivis degeret, diceret bona fide Mabillonius (placet mihi ita vaticinari) *Unum Casinates habent Chronistam Lenensem, unum habent Brachium S. Benedicti Casino Brixiam sub initia regni Desiderii delatum, atque utrumque triumphale signum istud, malo fato nostro, manu præferens hac tempestate Brixianus Antistes, idemque Lenensis Abbas nos adigit, ut herbam victori porrigamus.*

XI. Contracta in hunc modum a me, in fasciculum scilicet exiguum, amplissima segete, quæ justo volumini materiam præbuisset, fatebor, Reverendissime Pater, laborem, quo modo defunctus sum in eo breviario texendo, animum meum acrius desiderio incendisse, quam antea, *Fontes* Monasterii tui adeundi, quippe ex iis pro certo habeo fore ut mihi ad plenius illustrandam controversiam, de qua disserui, opulenta sacræ eruditionis copia manaret. Quanta enim Tibi cura sit Cœnobitas tuos in bonarum disciplinarum studiis versari, oculis ipse

e meis perspexi, librique ab iisdem compositi, & prae caeteris doctum & laboriosum aedepol Concordantiarum Biblicarum Opus (p) nuperrime evulgatum universo litterario orbi declaravit. Haustu itaque laticis vestri sitim meam sedassem; (q) idque non ea solum judicio vestro subjiciens, quae mea Epistola ista complectitur, sed insuper una vobiscum ad examen revocans paris generis argumenta, quae, dum Germaniam vestram pererrarem, quosdam veluti aculeos in mente mea reliquerunt.

XII. Translationem ajo Corporis S. Dionysii Areopagitae e Gallia in Bavariam ad Civitatem Ratisbonam, & Translationem Corporis S. Marci Evangelistae Venetiis ad Monasterium Augiae-Divitis prope Constantiam. Ratisbonam adii, hospitemque me benigne excepit in Coenobio S. Emmerami Jo. Baptista Abbas & S. R. I. Princeps, isque omnigena qua pollet doctrina inter exquisitas dapes, quibus ingenium meum discendi cupidum recreavit, legendos mihi obtulit optimae notae Codices manuscriptos, ac plurima effatus est, unde de veritate Translationis S. Dionysii edocerer, eaque omnia paulo post, biennio scilicet a meo in Italiam reditu, in publicam lucem eduxit libro conscripto, de quo ipsemet modeste admodum scripsit in Praefatione, *Se nullam certitudinem de veritate Translationis S. Dionysii Lectori obtrudere velle, nec posse, quam eam, quae ex allatis in Dissertatione sua testimoniis, & dictis elici potest.*

XIII.

Marci Evangeliſtæ animum meum aperuiſſe meme-mini, dum Helveticum iter confeci, San-Gallenſibus Monachis, qui me ex eorum Monaſterio ad locum *Roſacio* dictum, ſubditumque San-Gallenſi ditioni comiter deduxerunt. Statim enim ac Roſacium attigi, & in ædes Monaſticas deſcendi, memini, inquam, San-Gallenſem Abbatem & Principem, Monachosque ejus ſocios Augiam-Divitem in lacu Brigantino ſitam, ſexque tantum leucis Conſtantia diſtantem, mihi digito monſtraſſe, inſpectantique ſemel ac iterum dixiſſe, *Ea eſt*

Augia Dives agris, hortis, temploque, lacuque,
Fructibus hæc Dives, Dives abundat aquis.

Profecto ſi regionem illam repeterem, edoctus jam eorum, quæ ad refutandam Augienſem fabulam, ſcilicet de Corpore S. Marci Venetiis furtim ſubducto & ad Monaſterium illud devecto, eruditiſſime digeſſit Flaminius Cornelius Senator Venetus in priori parte Decadis XIII. Operis ſui præclariſſimi de antiquis Venetarum Eccleſiarum Monumentis, cauſam haberem, cur ei Diſticho verſiculum iſtum ſubjungerem,

Ditior at multo fabellis Augia Dives.

Ut verum fatear, viſus eſt mihi Vir ille doctiſſimus ceu novus Hercules in profligandis præſidio Criticæ

artis

·tis omnifariam instructus, difflandisque ineptiis, at-
ue quisquiliis, unde Augienses Cœnobitæ fabellam,
uam dixi, ornare consueverunt, adeo ut eidem Scrip-
ori aptari valeat Ovidianum illud de Hercule,

Septimus Augiæ stabulum labor egerit undis.

aud mollius tractasse me olim in Gallia Floriacenses
lonachos, etsi apud ipsos hospitarer, fidem facit nar-
tio, quam inserui Commentariorum de rebus meis
ol I.

XIV. At de tribus hisce, aliisque hujuscemodi
ranslationibus quo caute & tute sentiamus, eundem
obis est *adVidentem*, consulenda nimirum sunt sapien-
simα BENEDICTI XIV. de Beatific. & Canoniz.
olumina, nam in IV. tractantur luculentissime quæ-
ones ad Corpora, & Reliquias Sanctorum pertinen-
s. Gavisus autem sum quam maxime, dum ejusdem
. IV. Part. II. cap. XXV. affirmare deprehendi SAN-
TISSIMUM AUTHOREM se Angelo de Nuce suf-
agari admittenti, *aliquam particulam* (Corporum S.
Benedicti, & Scholasticæ) *potuisse in Gallias esse trans-
tam, & hinc invaluisse opinionem prædictæ Translatio-
s.* Quare subdit PONTIFEX, *Nec res profecto ali-
r se habere potest*, citatque, ut id probet, binas Bullas
acchariæ Papæ, & Alexandri II, quaternasque Visita-
ones, & inspectiones eorundem Corporum, scilicet
nis 1071. 1486. 1545. 1659.

XV. De omnibus hisce si datum fuisset jucundos
ter nos seri sermones prope lene caput aquæ Wesso-
ntanæ, nullus tamen mihi jucundior, quam vobis ob

rum Natalem diem pia Brixia in præsens peragit, ı
initio hujus Epistolæ dixi, eaque occasione in mente
vobis revocare, quod in literis prælo impressis die :
Novemb. an MDCCXLVIII. professus sum, nimiru
Collegium Ecclesiasticum a Serenissimo Episcoj
Lantgravio Darmstadiensi, in Oppido Pfaffenhusa
Augustanæ vestræ Diœcesis excitatum, & de quo, d
ad partes istas diverti, multus mihi fuit sermo cum r
giosissimo Antistite illo (r) cogitationem animo n
injecisse de pari consilio in Brixiana hac urbe capier

XVI. Hæc ipsa commemoratio exempli q
mihi itineranti vestra præbuit Bavaria, efficiet pr
vius a vobis veniam dari necessitati, quæ iter meu
vestrum istud Monasterium hac tempestate rem
tur. (s) Ea autem venia impetrata certos vos ess
beo, me celebritatibus vestris, dum corpore abero,
sentem animo ita adfuturum, ut plures alios mi
mos annos Monasterio vestro apprecari non desi
Jubilæum autem alterum ejusdem meritissimo P
li viginti quinque saltem annis definitum, cujus
est illud, quod ante paucos menses absolvi ego a m
Brixianam Diœcesim regendam adventu. (t) F
net Deus, quæ pro vobis nuncupo, vota, mibiq
sericors indulgeat, non quidem *dierum longitu*
sed ut nemo de me dicere valeat, video ædes Cler
video Templa, video Sanctimonialium claustra
pauperum tuguria, video Bibliothecas, Episcop
tem non video. (u) Itaque, ne id jure a quoquar

metur, vos omnes enixe rogo ut mei memineritis, quoties de more funditis ad Deum preces *pro fratribus nostris absentibus. Amen.*

Brixiæ die XV. Septembris an. MDCCLIII.

XVII. P. S. Lætus admodum ego Brixiam meam bina invicta documenta ministrasse ad propugnandam Casinatum meorum causam, de quis in hisce literis, cumulando eidem gaudio novum hic afferam Brixiæ decus, quo pariter ea ipsa causa mirifice juvatur. Casinensis Monasterii post Langobardicam eversionem instauratio Brixiano civi, Abbati nimirum Petronaci debetur, isque eo adveniens Gregorii Sum. Pont. jussu adeo non invenit locum illum latibula, habitationemque ferarum evasisse, quod tamen Floriacenses, & ex iis Mabillonius pro re certa venditant, ut contra ibidem monachos aliquot ad sacra pignora Benedicti, & Scholasticæ custodienda residere repererit. Quomodo res acciderit, narrat Baronius Annal. T. VIII. an. DCLXIV. sociatque ei narrationi animadversiones quasdam, ex quibus patet, eundem nullo modo Floriacensibus, ut jactat Mabillionius, patrocinatum fuisse, quum potius Casinatibus faverit, nam inter cætera hæc habet: *Certe quidem quando Petronax Brixianus ad instaurandum locum perrexit, aliquos ibi residere invenit, pro ut idem Paulus Diaconus docet. Vel si velimus nimia oscitantia stertisse omnes, ut absque cultu veneranda lipsana dereliquerint, quomodo transferre ea Romam ad Lateranense Cænobium in mentem potuit non venisse, tot præterlabentibus annis? Quod cum eos non fecisse constet, plane bene cultum tunc, & custoditum fuisse locum illum, aliquando restituendum, argumento est. Rursum vero, si innotuit Gallis, & iis magnopere exultantibus, Corpus Sancti Benedicti Floriacum esse translatum, cur non Floriacum, sed Casinum a Francorum principibus, & aliis innumeris undique confluentibus post hæc frequentes fuerunt pietatis ergo peregrinationes susceptæ?*

XVIII. Postrema tantum earundem Baronii animadversionum verba textum Pauli Diaconi allegantia, ac una simul testantia ejus Scriptoris authoritatem apud se plurimum valere, Floriacensium causæ quoquo modo inservirent; at nebulis quotquot hactenus textus ille exhalavit, tenuandis, imo omnino discutiendis satis jam esse debet Brachium S. Benedicti Leonensibus dono datum a Casinatibus permultos annos post decantatam adeo Gallicanam Translationem; nam donum illud, cujus certam fidem facit *venerandæ Antiquitatis* Chronista, nullum dubitationi locum relinquit, commentitiam habendam esse eam Translationem, ac proinde Casinense Monasterium jugiter possedisse

non *Cineres* tantum sacrorum Pignorum, sed ossa etiam, quorum unum Lenensibus fratribus suis fuerint impertiti.

XIX. Tandem mihimet ipsi gratulabor, quod curæ in hac Epistola susceptæ pro adstruenda ipsa Casinatum meorum possessione, veluti prolusèrim ego ante annos triginta, dum nimirum typis excudendam curavi Vitam S. Benedicti. In ea enim operæ pretium putavi anno 1723. publicare Angeli de Nuce Dissertationem de Benedicti exuviis Casini quiescentibus, quippe ipsa a typographis Parisiensibus in Editione Chronici Casinensis suppressa fuerat, & in quibusdam dumtaxat exemplaribus Italicis vulgata legebatur; & præterea Hymnum vulgavi ex Veteri Breviario Monasterii S. Zenonis Veronæ, quo Hymno fides fit unum tumulum servare Fratrem & Sororem, scilicet Benedictum, & Scholasticam. Utramque meam curam illam comiter laudat doctissimus Apologista Petrus Maria Justinianus; isque insuper me accenset Viris eruditis Peregrino, Phæbonio, Henschenio, Bollando, Mabillonio, Montfauconio, quorum omnium oculis, ait, Archivi Casinensis authentica diplomata patuisse.

XX. Meum illud Opus hoc titulum præfert: *VITA Latino Græca S. P. BENEDICTI. Textus Latinus Authore Gregorio M. cum duobus Codd. MSS. Sublacensibus nunc primum comparatur, exhibitis etiam variantibus veterum Editionum Lectionibus. Versio Græca Authore Zacharia Papa, eadem ratione cum Cod. MS. Abbatiæ Florentinæ confertur. Altera Pars Veterum Carmina, Sermones, & Homilias de S. P. BENEDICTO complectitur. Postrema variorum Notas in eamdem Vitam, contractas, & ad examen revocatas in medium affert. Venetiis MDCCXXIII.* Subditur loco Epistolæ Nuncupatoriæ, seu Præfationis Elogium istud: *DIVO BENEDICTO Literarium Sublacensis secessus Fructum eidem in sacra ejus Crypta Voto addictum, Pietatis, gratique animi erga sanctissimum Parentem, atque Magistrum Monumentum dicat & offert Discipulorum ac Filiorum infimus.*

XXI. Hæc ego scribebam quintodecimo Encœniorum Collegii mei Ecclesiastici die, quibus dum assiduus intersum, præter modum gestio, oculis meis cernens nihil amplius a me posse desiderari, ut finem, quem mihi in Ædibus illis construendis ad formandos Cleri mei mores proposui, me undique assequutum fuisse cognoscam, seu quoad magnum sacris Ordinibus initiandorum conventum, seu ad sanctiorem disciplinam ibidem ab illis servatam, seu quoad Magistros divinarum rerum, quarum edocenda juventus illa peritissimos. Itaque iter quod dudum hisce versiculis descripsi

Quotidie

Quotidie dum pergo viam quæ ducit ad Ædem
Eustachio sacram, haud Villæ dulcedine captus,
Delicias Domino sit quamvis apta parare
Illa suo, ast avidus surgentem visere molem
Formandis Cleri structam moribus, illud
Lento, inquam, pede iter peragens legi, atque relegi
Galli Scriptoris Carmen, quo plena periclis
Nostri hujusce ævi Spectacula scenica monstrat.
iter, inquam, illud multo hilarius nunc repeto, nempe avidus
Crescentem segetem morati visere Cleri.

NOTÆ.

(*a*) Tyrocinium i gressus Beda anno 1702. die 20. Septemb. solemnem Professionem edere debuerat anno 1703. exeunte Septembri: verùm non poterat, cum Mars Austriacus universam inundans Bavariam Abbatem Virgilium & omnes monachos è monasterio in diversa exilia ejecisset. Tandem anni sequentis die 6. Januarii faventior stella fulsit, & in festo Epiphaniæ Beda Deo solemnia vota nuncupavit. Nos tempus emittendæ & jus, non emissæ attendimus.

(*b*) Fundatum enim fuit juxta plerosque authores & vetera documenta anno post Christum natum 753. Authores in Historia Wessofontana Cap. I. §. II. copiose allegati.

(*c*) Quod modestissimus Card. Quirinus exemplo Serenissimi Josephi Darmstadii, Episcopi nostri Augustani se fecisse inferius in hac Epistola Num. XV. fatetur. Et sanè Pfaffenhusanum Seminarium moratissimos jam Clericos, imò & utilissimos, protulit, & prolaturum meritò speratur, velut ex equo Trojano, *delectos Heroas, & insuperabile robur* ad universæ Ecclesiæ munimentum.

(*d*) Hujus Collegii Ecclesiastici orthographiam exhibet numisma à Reverendissimo D. Felice Mario Nerinio Congregationis Monachorum S. Hieronymi de Italia Abbate Generali in Epistola II. ad Em. Card. Quirinum hac inscriptione:

Pro
dignoscenda
vocatione
Ordinandorum
Brixiæ erectum
a fundamentis

Collegium
plaudente
Clero & populo
universo
Anno Jubilæi
MDCCL.

(e) Imò & exequor, potuit dicere Eminentissimus Protector. Et plane copiosissimè executus est, sicut testatur lampas argentea, quàm Brixiæ fabricatam ad fontes Wessonis, & Aram ibidem Immaculatæ Matris, transmisit. Ad P. Veremundum idem hæc scripsit: *Gratissimus enim vero ac jucundissimus accidit honor, quem mihi tributum video, dum in Protectorem electus sum Confraternitatis, cui Paternitas Vestra dignissimè præsidet.* Et post aliqua benevolentiæ plena inquit: *Spondeo igitur, cordi mihi maximè fore omnem memoratæ Confraternitatis profectum, auxiéque attenturum ad quamvis occasionem, ejusdem commoda promovendi.* Experti sumus hujus promissi fidem abeunde impletam.

(f) Nempe annum quintum supra septuagesimum numeranti.

(g) De hac insigni & speciosa Statua videri meretur Reverendiss. Nerinii Appendix ad tres epistolas suas Eminentissimo QUIRINO inscriptas, fol. LXIX. ubi primo loco litteras D. Bedæ Abbatis nostri ad Eundem Purpuratum nostrum scriptas recitat. In iis stupendum miraculum narratur, de incendio villæ Wessofontanæ in ipso Divi Benedicti festo, quo sacra ejus statua primùm in templo nostro exposita videbatur, durante Divino Officio, mirabiliter extincto, cujus beneficii authorem omnes sanctissimum Patriarcham nostrum collaudabant.

(h) De hac lampade in Historia Wessofontana fol. 494. num. 20. sic scripsimus: *Ad hanc denique*, Aram Immaculatæ Matris, *Purpuratus Ecclesiæ Princeps, Cardinalis Angelus Maria Quirinus, Sodalitatis Protector zelosissimus, votum, quod hic sacrificans fecerat, exsoluturus, lampadem ex argento splendidissimam suspendit.*

(i) Multæ nempe loco, ut supra dignatus est dicere. Ast ego dico:

Injungis tibimet multam, generose QUIRINE:
Nursiadæ Patris est multa statuta Soror.
O! non hæc multa est, sed pignus grande coronæ,
Quam tibi de merito Virginis astra dabunt.

(k) Litteræ cum Statua SS. P. Benedicti allatæ typo mandatæ sunt in Historia Wessofontana fol. 500. & à Reverendissimo Abbate Nerinio in Appendice trium ad Eminentissimum Card. Quirinum Epistolarum.

(l) Negat vastam hanc solitudinem Reverendiss. D. Erasmus Gattula Ab-

bas

bas S. Matthæi & Cassinensis Archivi Custos adductis in testimonium duobus Emin. Card. Baronii locis ad annos 664. & 716 Hist. Abb. Cassin edita Venetiis anno 1733. fol. 11. colum. 1. & 2.

(m) Imò Baronium pro Cassinatium possessione stetisse, patet ex allegatis duobus ejusdem locis notâ præcedente. Accedit Paulus Diaconus Cassinensis, qui circa annum 778. ætate jam grandævus monachus evasit, ostendente Mabillonio, & de monasterii sui instauratione sic scripsit: Petronax civis Brixianæ urbis divino amore compunctus Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apostolicæ Sedis Papæ Casinum castrum petiit, atque ad sacrum CORPUS B. Patris BENEDICTI perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris jam ante residentibus habitare cœpit &c. Eadem Hist. Abbatiæ Cassin. fol. 18. §. III.

(n) *Ex rumore per Gallias sparso*, qui sub Imperatoribus Francis etiam in Germaniam nostram transiit, ubi Translatio S. Benedicti Calendario inscripta invenitur: verùm illa ex sententia SS. D. N. Benedicti XIV. Pont. Max. meliùs de particula aliqua sacri Corporis intelligetur. Vide inferiùs Num. XIV.

(o) Apologista hic superiùs Num. VI. nominatur Petrus Maria Justinianus Monachus Casinas, deinde Episcopus primùm Sagonensis, postea Albintimiliensis, cujus Apologia anno 1745. in lucem prodiit. Jam ante hunc plures alii heroes Cassinates certaverant hac ipsa de causa, uti Angelus de Nuce Abbas primùm Cassinensis, postea Archiepiscopus Rossanensis; Erasmus Gattula, sui, causæque securus historice loquitur, sola Casinatium firmamenta proponens, & in his conquiescens.

(p) SS. P. N. Benedictus XIV. Pont. Max. dedicandum sibi hoc opus clementissimo Brevi Apostolico excepit, quod Concordantiis novis præfixum post Dedicationem legi potest. Alterum itidem clementissimum Breve, quod misso sibi perlustratóque opere, gratiis & amore paterno plenum remisit, Historiæ Monasterii Wessofontani inseruimus beneficii memores folio 508.

(q) Imò Tu nostram, EMINENTISSIME PATER. Namque
Exigui Fontes pelagus satiare valerent?
Næ Pelago nobis Ipse futurus eras.
Larga, PATER, parvis Wessonis flumina rivis
Attuleras: magnum hinc Oceanum bibimus.

(r) Toto etiam itinere Landspergâ ad fontes Wessonis suscepto, non alia de re, quàm laudatissimi Episcopi nostri suscepta Clericalis Seminarii erectione frequentior sermo fuit Eminentissimo Cardinali, quod Venerab. Beda, Abbas meus, me quoque comite, semper testabitur.

(s) Vidisses verò, si venire licuisset, EMINENTISSIME PRINCEPS, initio

tio statim Millenarii nostri Legatum Serenissimi S. R. J. Electoris & Bavariæ Ducis, Virum Illustrissimum de sanguine Tœringano, aliosque sex ejusdem Stirpis Heroës, summis Togatæ, Sagatæque Palladis muneribus excellentes, quorum antiquissima Prosapia nunquam finet emori Fundationis nostræ memoriam, cùm sola jam, extincto Wessonis stemmate, Taringeri posteritas testimonium illius perhibere possit. Illustrissimæ hujus Familiæ munificentia attulit in perpetuam rei memoriam craterem prægrandem ex argento, spisseque deauratum, Monasterioque donavit, in quo faberrimè Thassilonis venatio, præsentibus Taringero & Wessone instituta, inventique cœlesti augurio Fontes exhibentur. Vidisses etiam, PURPURATE EMINENTISSIME, singulis totius hebdomadæ diebus divina Officia à mitratis Præsulibus celebrari: quotidie ad confertum populum conciones ab optimis Oratoribus elaboratas haberi: diebus singulis numerosissimas plebes publica supplicatione properare ad Fontes nostros, ut Indulgentiæ plenariæ à SS. D. N. Benedicto XIV. pro toto octiduo liberalissimè concessæ participes fierent. Neque ex villis tantum aut vicis, sed & civitatibus ac municipiis fiebat concursio, quas longum esset hoc loco numerare, Recreásset certè Eminentiam suam eorum numerus, quorum hac unica septimana quindecim millia piaculari confessione mundati ad Eucharisticum epulum accesserunt. Soli Deo Gloria!

(t) Memores monemur, EMINENTISSIME PATER. Verum quot Musæ sufficient ad summum Apollinem pro dignitate laudandum, qui viginti jam annis Parnassum Brixiæ à se excitatum in altius semper culmen educit! Moliemur aliquid? *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

(u) Imo vel maxime. Nam

Structas formandis Cleri pro moribus ædes
  Qui videt, & summo condita templa Deo:
Stipandis libris erecta ingentia tecta
  Qui videt, & misero limina tuta gregi:
Etsi ILLUM haud videat, cujus stant PRÆSULIS ære,
  Ille tamen plus, quam Præsulis ora videt.






Errata.

Fol. 376. Num. 14. lin. 13. Uti *lege* utinam.
ibid. lin. 18. istud *lege* istum.
fol. 378. post num. 20. *adde*: Henricus iste ultimus ex alieno monasterio vocatus Wessonis Fontibus præfuit. Ab illo tempore nullum aliunde postulavimus, sed ex gremio elegimus.
fol. 406. num. 5. lin. 10. inscripti *lege* subscripti.
fol. 408. num. 8. lin. 11. *lege* elegante arâ.
fol. 411. num. 1. lin. 3 *adde*: relicta.
fol. 413. num. 6. lin. antepenult. *dele* præsentatio, *lege* nominatio.
fol. 423. num. 17. lin. 3. *post* Hofmarchiam suam *adde* Kümbstorffensem.
fol. 425. num. 20. lin. 2. *lege* rubicunda.
fol. 426. num. 24. lin. 10. *lege* at cives.
ibid. lin. 13. cum *dele*.
fol. 426. n. 27. lin. 3. perhiberi *lege* prohiberi.
fol. 427. n. 4. lin. 7. clariss. *lege* chariss.
fol. 470. num. 23. lin. 2. per verem *lege* ver.



An den Buchbinder.

Die Blätter pag. 21. bis 26. müssen in dem ersten Theil dieser Historie heraus genommen, und die, so an diesen Bogen gedruckt seynd, darfür eingebunden werden.



B K D